
6
23 K
4



Neapoli apud Ægidium Longum Typographum Regium An. MDCXLIII



ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

MARTIO PIGNATELLO

Mineruinensium Principi, &c.

Io. Baptista Masculus è Societate Iesu S. D.





Oelites, quos piè colis (Princeps Excellentissime) mihi hanc mentem iniecerunt, vt ipsorum Encomia sub tuo potissimùm ederem nomine; nihil .n. ijs acceptius, quàm pietas, præsertim si in excelso liquo dignitatis humanæ gradu collocata sit. Atqui ad te rnandum, & fortuna, quæ dicitur, conspirauit, & virtus. iàm primùm quidem ab ipsis ruderibus antiquitatis eruenda est memoria gentis tuæ. nempe lumen, atq; splendorem accersit (vt vetustiora omittam) in primis à Lucio Pignatello, qui annis ab hinc quingentis, & amplius Comes stabuli fuit: quam lucem ita in te tanquam in speculo excipis, vt auctiorẽ reddas. quàm verò illustris ille Lucij titulus olim fuerit, vel illud argumento est, quòd non modò Robertus Campanus Princeps eum Iordano fratri germano contulerit, sed à Valentiniano ipso Imperatore Valens item frater, quem postea consortem adsciuit Imperij, Comes stabuli sit appellatus. quid quòd Ioannes Pignatellus, cũ Reipublicæ formam Neapolitana hæc ciuitas teneret, Consul numeratur in fastis? Sed non est huius loci percensere numerãdo omnes tuę gentis heroes, domi, militiaq; præclaros, qui amplissimis magistratibus, ac legationibus apud summos Pontifices, apud Imperatores, ac Reges functi sunt; neq; commemorare insignes titulos, ac ditiones eorum latè productas. illa me ad se vocat laus, quæ propria tui animi est, quæq; ad huius operis institutum maximè pertinet: studium videlicet eximiũ religionis, atq; pietatis. hanc ab ipsa penè infantia cum lacte nutricis hausisti; hæc cum adolescente adoleuit; hanc probatissimis moribus ita præfers, vt beatissimi videantur ij, qui tuæ ditioni subiacent, quos aureo quodam beneuolentiæ nodo colligatos tenes. Habes autem apud te domestica, eaq; egregia exempla virtutis.



nam, vt omittam viros tibi sanguine coniunctissimos, qui in varijs religiosorum hominum ordinibus, & doctrina, & pietate praestant; matrem habes Principem Portiam Carafam Ducis Adriani filiam, ornamētum huius vrbis, tātò nobilius, quantò est ipsa tectior, cum se, omni fastu contempto, in suorum parietum latebras, ac potiùs asceterium vltro abdidit; vel hoc spectatissima matrona, quòd & spectari nolit, & à theatralibus aulę spectaculis se subduxerit. Iā liber hic meus ad te peruenit, ipsa, quæ sapientię praeesse dicitur, duce Mineruæ; nimirum in te illa nomen agnoscit suum; cui. n. dicare hunc potius debui, quàm Mineruinensium Principi? neq; illud omittam ad rem maximè accommodatum, quòd annus, ac fasti, quos scribimus, claudantur auspicijs tuis; vltimus .n. anni dies, præter alios Cælites, illustri martyri, nomine Mineruino *sacer est: vt videatur quodammodo* Mineruini *oppidi dominus laureatū annum sibi suo quasi iure deposcere, quò finis cum initio congruat. Ceterùm nihil est, quòd hic liber aduersarium, si quis fortè occurrerit, metuat, tectus videlicet ipsorum præsidio* Cælitum.; *nec carebit tuo. neq; .n. parum præsidij constituo in ollulis illis præclaris tuæ gentis insignibus; quippe soliti Romani veteres in nauali certamine profligare hostem, coniectis in nauim plenis igniū*

Dio. *ollulis. hinc illud ex Dione.* Cæsariani vndiq; ad hostilē aliquā nauim accedētes, iacula ignifera in eā emittere, faces manu cõiicere, ollulasq; etiā carbonū, picisq; plenas.

Campa. *Ac tuæ quidē familiæ itē ollulas, sunt, qui tradant, & scribāt visas à se aliquādo cū artificiosis huiusmodi ignibus depictas, ob aliquid fortasse gestū Cæsarianę victoriæ simile; aut ad pietatis æstum indicādū, aut ad gētilis nominis, gloriæq;*

Valer. *splendorē; nam à* Lacedæmonijs *Reges ipsos per ollulas significatos legimus; quòd Regis proprium sit alere, ac sustentare populos. quidquid ea re significatū sit; habeo certè (Princeps* Excellentissime*) & auctoritatem tuam, quam opponam aduersarijs, & beneuolētiam, qua ipse sustenter: ut aliqua ratione de te vsurpare possim, quod est in sacro carmine (* olla

Ps. 59 spei meæ.*) Vale, teq; nostri Cælites ament, ac tegant.*

L E

LECTORI
IO. BAPTISTA MASCVLVS
E SOCIETATE IESV

ATheniensés (erudite Lector, ac pie) cum impensiùs indulgerent Demetrio cui se plurimum debere dicebant, decreuerunt non aliquam temporis partem, sed annum integrum ei dedicare; quamobrem tot ipsius statuas Athenis statuerunt, quot tunc ea natio numerabat dies anni, trecentos videlicet, & sexaginta, vt singulis diebus singula responderent signa; ne quis dies tanti Ducis memoria, & gloria vacare videretur. At verò mihi haudquaquam sunt tot opes ingenij, vt vnicuique Cœlitum totidem, quot Athenienses Demetrio statuas, dedicem Encomia; sed cum innumerabiles penè ii sint, vnum ferè, aut alterum celebriorem ex quotidianis Fastis assumam. neque acta omnia historiæ, vel panegyrici more comprehendere in animo est, sed præcipua quæque, inter seque deuincta breuissimo laudationis orbe complecti, & tanquam rerum flores delibare, non sine aculeo. Iam præter Encomia, ne reliqui Cœlites, qui continentur in Fastis, prorsus indicti abeant omnes, constitui primo loco singulis mensibus præponere, ac proferre antiquitatis Fastos, Græciæ præsertim, ac veteris Romæ; quibus continentur victoriæ, triumphi, sacrificia, ceteræq; res insignes; tum ii Fasti conferuntur cum nostris, ita tamen, vt hi præferantur, quo apparebit quantum vera religio emineat, atq; præcellat. Fuit autem hoc ab initio institutum sapienter, ac piè, vt Veterum superstitioni opponeretur nostra religio, ac falsorum Deorum celebritatibus Cœlitum festa; quò spectat illud Theodoreti *Deos gentium* (inquit) *cassos gloria, vanosque Deus reddidit; suis autem Martyribus honorem illorum dedit. pro Pandijs, Dasijsque, ac Dionysijs, hoc est Iouis, Liberique patris solemnitatibus; Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio; Antonio, Mauritio, alijsq; sanctis Martyribus solemnitates peraguntur: proq; illa veteri pompa, pro turpi obscœnitate, &*

impu-

impudentia,fiunt modestæ, castæ,ac temperantiæ plenæ celebritates. Hinc etiam illa Tertulliani parænesis. *habes* (inquit) *tuos census, tuos Fastos;nihil tibi cum gaudiis seculi &c.* quibus tam grauibus verbis ostendit,non esse cur nostri vanam illā superstitioso vulgo lætitiam inuideant,cum multò præclariores apud nos Fasti sint, in quibus recensiti Cœlites gratissima quemq; recordatione delectent. In eandem sententiam multa habet & *Gregorius* Nyssenus, dùm Thaumaturgi acta describit. Porrò in Veterum fastis si quando scriptores inter se discrepant (quod rarò fit) tum eam sequor sententiam, quæ aut similior vero, aut certè ad rem accommodatior visa fuerit. res est eruditionis plena, habebitq, ea lectio (nisi fallor) voluptatis non parum. Iam absolutis cuiusque mensis Fastis, subsequuntur Encomia.his synopsin præpono, quam etiam periocham, siue argumentum breuissimum dixeris; ea synopsi colligitur, & quasi vno aspectu proponitur, quod laudatur. Is autem tantùm Cœlitum habet Encomion, qui in quotidianis Fastis asterisco notatur. nullus certè anni dies vacat Encomio. In fastis autem ostendam interdum,Cœlites,si minùs sēper eodē anno, at certè die in communionem gloriæ, ac societatem laudis aptè, congruenter, & opportunè conuenisse, & quodammodo sibi velut in odèo, choroq; concinere, cognatione videlicet aliqua factorum, aliquando etiam nominum: vt cum auspicata illa incidunt, triumphalibus præsertim diebus, *Victoris, Victorini, Nicanoris*, immò etiam *Capitolinæ*, & similia; & quoniam victoriæ comes est felicitas, libenter arripio, vsurpoq; illa nomina, *Fausti, Fortunati, Felicis,Eutychis*, & similia: quò spectant etiam *Epimachi, Alexandri, Pancratij, Herculani*, ac cetera bellatorum, ducumque nomina, quæ laureatum exornant annum inesse autem solet in paranomasia, & eiusmodi schematibus, cum rectè fiunt, quiddam leporis, & gratiæ; quod fecit (vt vetera cùm Latinorum, tùm Græcorum exempla taceam) præter alios, & in *Agnete Ambrosius, & in Laurentio Augustinus, & in Victore Bernardus*. Paruum opus, at non parum impensum operæ, ac laboris. præsertim cum nonnulli dies in eos incidant Cœlites, quorum acta aut vetustas oppressit, aut eiusdem ferè generis sunt, vt in Martyribus cruciatus; in his autem ac ceteris exempla pietatis.Hunc porrò tomum consequetur alter de illustribus viris,ac fœminis veteris historię sacrę;qua in re ratio-

nem

nẽ habere dignitatis,quã tẽporis mal ui. Nolim aũt eorũ tantùm laudationibus insistas, qui vulgo sunt noti; nonnũquã enim fit, vt quantò obscuriora sunt nomina, tantò clariora insint lumina, siue prodigiorum, siue virtutum. quotidiana igitur te lectio teneat cùm in Fastis, tùm in Encomiis; neque enim hortor te, vt omnia simul exhaurias, allectus, si qua fortè inest, dulcitudine conditi, sapidique sermonis. scitum est illud sapientis: de inuento melle (quanquam nihil in me nectareum, aut Nestoreum agnosco) parcè degustandum, ne id satietate fastidias. Quid autem sit Ἐγκώμιον, & discrimen inter illud & ἔπαινον, habes apud Aristotelem. Iam hęc scribere nõ est tironum negotiũ: longa ætate, ac multa exercitatione primùm corroborandum est ingenium. coercendi illi sunt, ne subito impetu ad ista rapiantur. discant antea excurrere in fusum dicendi genus, & tanquam in orbem circumferatur oratio; tùm ad hæc contractiora, acutiora, & quasi argutiora se conferant. ex herbescente illa viriditate talis venustas efflorescat oportet: alioquin in pueriles sæpe ineptias abibũt, multa putidè dicent, multa contortè; eruntque ipsi sales insulsi, & redarguẽtur argutiæ. præsertim cum Encomia non modò vnà cum acumine latinitatem, sed grandiloquentiam sibi deposcant, cũ sentẽtiarũ grauitate, & maiestate verborum; quanquam facta Cœlitum eiusmodi sunt, vt in ijs laudandis, & sermonis maiestas humilior, & ingenii acumen videatur obtusius. Libet tamen eos, quos ex parte cecineram ad lyram, etiam hoc altero dicendi genere prosequi, ne qua pars nostræ disciplinæ pietate vacet. Ceterùm ea benignitate illi sũt, vt ego vel ineptus laudator amplam possim sperare mercedem, eiusdem videlicet, qua ipsi perfruũtur, beatæ, sempiternæq; vitæ societatem, ad quam tu quoque vestigijs eorũ insistens, Lector, aspira. Vale.

Testantur ea, quæ in hoc opere dicuntur.

IN ENCOMIIS.

Martyrologium Romanum
Menologium Græcum
Metaphrastes, & alii apud Surium, & Lippomanum
Eusebius
Nicephorus
Beda
Gregorius Turon.
Gregorius M. in dial.
Petrus de Natali
Vsuardus
Ado
Molanus
Baronius, & alii

IN FASTIS.

M. Verrii Flacci tabulæ Capitolinæ
Kal. vetus Romanum
Kal. Græcum
Ouidius in Fastis
Festus
Varro
Iulius Pollux
Macrobius
A. Gellius
Plutarchus
Liuius
Dionysius Halic.
L. Florus
Suidas
Cælius Rhodig.
Theodorus Gaza
Alex. ab Alex.
Lilius Gyrald.
Sigonius
Onuphrius Panuuinus
Beutherus
Goltzius
Auctor Th. v. h.
Rosinus
P. & A. Manut.
Et alii multi eruditi scriptores.

HIERONYMVS MARCHESIVS
SOCIETATIS IESV
Præpositus Prouincialis in Regno Neapolitano.

CVm Io. Baptistæ Masculi Neapolitani è Societate Iesu librum, qui inscribitur, Encomia Cælitum tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint ac in lucem edi posse probauerint, potestate ab adm. R. P. nostro Mutio Vitellescho Præposito Generali ad id mihi tradita, facultatem concedimus, vt typis mãdetur: si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Neap. 4. Martij 1638.

Hieronymus Marchesius.

IMPRIMATVR. Felix Tamburellus Vic. Gen.

Alexander Russus Can. dep.

Io. Dominicus Aulisius Can. dep.


F A-

FASTI

veterum Romanorum, atque Græcorum collati cum nostris.



IANVARIVS.





Ianuarius mensis primus occurrit à Iano dictus, quem multi Solem putarunt, ideò geminum, quasi vtriusque ianuę cœlestis potentem, qui vel oriens aperiat diem, vel occidens claudat, quamobrem Sol, idem, qui Apollo, dictus est à Græcis θυραῖος ἀπὸ τῆς θύρας hoc est à ianua. At verò nos ab eo auspicamur annum, qui & mortalibus verum lumen infudit; & primus, ac solus ianuam salutis aperuit iam tum, cum recens natus aperire sibi cœpit venas sanguinis. Aeonarium Ianuarium olim appellatum testes sũt Theophilus, & Suidas; quòd scilicet pater sit τῶν αἰώνων, hoc est seculorum; nunc statim ei sacratur, qui inter cetera nomina appellatus est à Vate Pater futuri seculi. Athenienses hunc mensem appellarunt Demetrium, quòd huius opera à Macedonica seruitute liberati fuissent; atqui multò æquius nunc eius non modò nomine, sed numine consecratus est, à quo seruitutis sempiternæ confractum est iugum. Fuit autem Ianuarius in tutela Iunonis, quæ nuptijs præsidebat, quamobrẽ Græci Gamelion eum dixere, idest nuptialem: apud nos potius est in tutela virginum, nam statim Kalendis ipsis occurrunt Martina, & Euphrosyne. ac certè decuit à pudicitia virginali auspicari annum, ne videretur bifrons Ianus vtraq; frõte perfricta, hoc est sine pudore. Sed iam ad singulos huius mensis dies aggrediamur.

Macrob. | Plutarch. | Gyrald.

A Kal.

I *Januar.* Kal. Ianuar. Iano Romæ sacra fiebant. habitus est hic, vti diximus, pro Sole ipso, quanquam & Græci Kalendas singulas Phœbo, hoc est Soli dedicarunt. Quin etiam apud Lacędemonios in more positum fuit, vt initio anni, ac reliquorum mēsium libamenta, & victimam Regi sisterent, quā ipse Phœbo mactaret, sacrorum minister, ac popa factus ex Rege. At verò apud nos sacrę sunt hæ Kalendæ potius conditori Solis, assumenti † *Iesu* nomen, illud videlicet nomen, quòd orbe radiato circumfusum Sole clarius fulget. sacræ quoq; sunt † *Fulgētio* præsuli, & nomine, & factis illustri, & planetę illius simillimo. Fuit hic item dies Romæ auspicatissimus triumphis tribus. nam & C. Marius de Iugurtha Numidarum rege, & Antonius Cos. de Alpibus, & M. Censorinus de Macedonia triumpharunt. Sed multò nobilioribus apud nos triumphis est exornatus, præcipuè *Basilij* cognomento Magni de Ario, ac ceteris religionis hostibus parto, quanquam in aliū diem pompa celebrior reseruatur. Nec carent triumphi gloria, aut is martyr, qui nomen ipsum sortitus est *Magni*, aut fortissimus vir † *Almachius* intèr cruentos Retiariorum, & Mirmillonum gladios strenuè pro religione versatus. adde triginta milites laureatos, qui Diocletiani furorem fregerūt. Atque vt omni ex parte triumphus ornatissimus sit, neque gemmæ desunt, neq; aurum, idest † *Euphrosyne* virilis animi virgo; quæ mutato fœmineo habitu in virilem, indidit pretiosum sibi nomen, *Smaragdum*. adest item † *Odilo* vir sanctissimus, qui cum suis habitauit in valle cognomēto Aurea, Incidit in triumphalem hunc diem etiā † *Martina* virgo, cuius fortitudo cum nomine ipso congruit, quæ noua ratione se fecit illustrem: nempe Apollinem, ac Dianam, hoc est Solem ipsum, & Lunam de medio sustulit, cum iussa vtriusque simulacra, ac fana venerari, ea euertit, ac perculit, tellure in crebros motus, cœlo in fulmina concitato. Illud non nemo fortasse mirabitur, cur Kalendis his Ianuar. cùm ceteri artifices, tùm maximè causidici lites intenderent, quod Sulmonēsi ipsi poetæ mirum est visum.

Macrob. Alex. ab Alex.

Onuph. Pan. anno ab vrbe cond. 647 712 713

14. Iun.

Ouid.

Postea mirabar, cur non sine litibus esset
Primā dies.

Non ignoro, id ad inertiæ vitandę omen factum; sed congruentius certè, & auspicatius primus anni dies sacrari debuit, vt nos fecimus, † *Concordiæ*; nisi quòd huic quoq; fuit lis

om-

omnium maxima, videlicet cũ Ioue de cultu; nam Iouis templi dedicatio hoc agebatur die in insula Tyberina; sed adiudicata lis est *Cõcordio*. fuderũt eius sanguinem, vt à religione diffideret, sed illo potius initũ est fœdus. & sanè cum Cœlites conspiratione animorum quodammodo sibi concinant, & tanquam in chorea quadam annuũ circumagant orbem, inseri statim debuit choro *Concordius*.

IV. Nonas Ianuar. Ater dies hic Romanis fuit: ob horribilem enim illam cladem, quam à Gallis apud Alliam fluuiũ acceperunt, postridie idus Iulij, cautum est decreto pontificum, vt dies posteriores omnium, siue Kalẽdarum, siue Nonarum, siue Iduum atri dicerentur, & haberentur: præsertim cũ Senatores ipsi affirmarent, recordari se, quoties, his diebus belli gerendi causa supplicatum esset, proximum prælium reipublicæ calamitosum fuisse. Reprehensa est ea superstitio ab Ambrosio, sed irrisa etiam ab ipsis Deorum cultoribus: nam L. Lucullus atro die contra Tigranem, & innumerabiles Parthorum copias duxit exercitum, asserens se ex atro, & lugubri felicissimum illum diem, & candidissimum esse facturum victoria. Nostris certè hic maximè dies felix fuit, & faustus: nam & Diocletiani audacia de sacris libris euulgandis edictum proferentis, superata est, & adepti sunt nostri lauream. Quo item euentu faustissimo pugnarunt *Argeus*, *Marcellus*, & *Marcellinus* adhuc puer, ac tiro. At *Isidoro* decus est additum, cum virides pontificatus infulæ purpurarunt sanguine. Denique ater nullo modo dicendus est dies, & infaustus, quem beatitate etiam nominis † *Macarius* consecrat.

2 *Ianuar.* *Macrob.* *Geral.* *Μακάριος* *i. beatus*

III. Nonas Ianuar. Mineruæ olim sacer hic dies fuit, nunc † *Genouefa* virgini præclarissimæ. Idem natalis fuit Romanæ eloquentiæ principi. atqui apud nos etiam sub ipsa bruma effloruit sapientia: cognationem enim quandam habuere cũ literis cùm *Antherus* Pont. Max. qui præclara Martyrum facta à notarijs conquiri, literis mandari, atque asseruari iussit; tùm *Florentius* Viennensis antistes virtute, doctrinaque clarus. Adde *Athanasium* à sacris commentarijs. Ita gemina illa laus, quæ in Minerua fuisse dicitur, & virginitatis, & sapientiæ, tota nostris cessit. Libenter verò, ac pulchrè cum pudicitia, quæ in *Genouefa* effloruit virgine, consociat se *Florentius*, & incorruptæ immortalitatis auspex *Athanasius*.

3 *Ianuar.* *Pausan.* *ἀθάνατος* *i. immor.*

Pridie Nonas Ianuar. Cæsar collatis signis, & explicatis 4 *Ianuar.*

A 2 aqui-

Cæsar. aquilis cum exercitu traiecit contra *Pompeium*. apud nos præclariores expeditiones susceptæ aduersus impietatem, siue ab *Aquilino* cum socijs in Africa, siue à *Tito* Cretensi præsule inter primos religionis duces. † *Rigobertus* verò ceteris mitis, ac lenis, dynastis tamen Romanæ aduersantibus libertati rigidus, & asper fuit.

5 Ianuar. 476. Bamber. Nonis Ianuar. Insignis hic dies Romæ veteri fuit ob triũphum C. Iunij Bruti Cos. de Lucanis, & Brutijs; sed magis insignis nouæ ob *Telesphori* hierarchæ triumphum de Antonino Cæsare *Pio* sæuiente in religionem impiè. Triumphauit & pudor in *Eduardo* Britanniæ rege castissimo, & in *Aemiliana*, & *Apollinari* virginibus. Stylites verò † *Simeon* ipse sibi victori columnam erexit.

6 Ianuar. Gyral. VIII. *Idus Ianuar.* Celebrabatur à Græcis *Isidis* ἄφιξις idest accessus. habita est Isis Luna, ac propterea cum radiatis cornibus expressa. Atqui multò clarioris sideris accessum habet hic dies, eius inquam sideris, quod recens natum Deũ non modò prodidit ortu, sed incessu, accessuque. † illustris est etiam ipsorum aduentu Regum. Isiacis autem sacerdotibus superstitione imbutis oppositus est religiosissimus Fesulanus antistes † *Andreas*. Non est autem omittenda Pauli Orosij sẽtentia, qui putat Octauium Cęsarem hoc ipso die, idest octauo idus Ianuarij Vrbem cum triplici triũpho fuisse ingressum, deuicta videlicet Dalmatia, Macedonia, atque Aegypto, quod opportunè caderet in hunc diem Epiphaniorum, cum de tribus Orientis Regibus triumphauit puer Deus, nisi eos triumphos Dion, & Macrobius ad æstatem potius, & Augustum mensem retulissent. Soliti certè postea sunt Imperatores, ac Reges hoc pręsertim inaugurari die: nam & Carolus magnus dictus est Augustus; & Philippus Pulcer Francorum Rex, & Michael Palæologus Imperator Orientis coronati dicuntur.

vide Salian.

7 Ianuar. Appian. vita S. Victoria VII. Idus Ianuar. Ex Senatusconsulto Lentulus, & Marcellus Coss. itemq. Pompeius contra Cæsarem belli ciuilis classicum sumpsere; quo die apud nos *Nicetas* à victoria sortitus nomen memoratur, qui in Bessas gentes immanitate barbaras, & religionis expertes expeditionem feliciùs inijt. sed præcipuè memoria est pueri *Iesu* adeuntis Aegyptum, vt superstitioni, quæ ibi regnabat, indiceret bellum. *Canutus* verò rex aduersus impietatem fortiter dimicans purpuram cruore suo fecit dibaphã: Hoc igitur die adhæsit Vrbi funesta

fax

fax belli ciuilis, quo nostri de Stygio rediere victores; quo item quasi naualem agere triumphum visi sunt duo; † *Lucianus* videlicet, cum Maximini furore deuicto, in mare proiectus nouo spectaculo admisit currui triumphali Delphines, à quibus est deuectus ad littus; & † *Raimundus*, cum post edomitam aulæ licentiam, sine nauigio prodigiosè mare traiecit

VI. Idus Ianuar. Dies quisque mensis octauus apud Græcos sacer Vulcano fuit, ignis elementi pulcherrimi præsidi, sed fœdissimo Deorum, apud nos sacer hic est *Theophilo*, atq. *Helladio*, qui pro religione sunt in ignem pulchrè coniecti, vbi ipsum spreuere Vulcanum. nec mirum, quòd his, qui tam fortiter cruciatus tolerarunt, se adiungat in fastis Metensis antistes *Patiens* nomine. At *Seuerinus* si minùs huiusmodi flamma, certè pietatis æstu, & factorum gloria splendet, Noricorum dictus Apostolus; tanta item magnitudine animi in periculis præditus, vt de ipso verius vsurpari possit illud. 8 *Ianuar.* *Alex. ab Alex.*

. . . . quem neque Noricus *Horat.*

Deterret ensis.

nec *Seuerinus* alter splendore caret, dignus *Victorino* fratre, qui eius victoriæ, cuius ferebat auspicium, retulit laureã.

V. Idus Ianuar. Agonalia, siue Agonia Romæ celebrabantur, quæ à Græcorum certaminibus, quos Agones vocabant, nonnulli appellari putant; alij verò ab hostiarum, quas hoc præsertim die mactabant plurimas, metu, ac trepidatione, inter districtos videlicet cultros, & vibrantis secespitæ ferrum: ἀγὼν enim Græcè trepidatio dicitur. At quãtò celebrior apud nos hic dies est, quo die non modò sine trepidatione, ac metu, sed summa cum alacritate litatum est à † *Iuliano*, & *Basilissa* sponte pro religione deuotis. *Martiana* quoq; puellæ virtus spectaculo fuit, visa enim est in amphitheatri arena leoparde ipso, cui eam obiecere, ferocior. Cum his hodierna die aptissimè conuenerunt *Iucundus*, & *Vitales duo*, & *Anastasius*; immo verò, & *Fortunatus*, & *Secundus*, & *Felix*: nimirum tãtam cum nostrorum obitu cognationem habet voluptas, atque beatitas. 9 *Ianuar.* *Ouid.*

IV. Idus Ianuar. Hic dies laude caret apud veteres; apud nos insignis est in primis *Agathone* hierarcha, qui contra Monothelitas instruxit antistitum aciem. † *Paulo* quoque eo, qui primus è nostris lucos fecit illustres. At verò *Nicanor*, 10 *Ianuar.*

vnus

vnus ex septemuiris hierodulis, sui memor nominis de strage
ipse Vr. victoria. Deorum victor noua,& antea inuisa Romæ trophæa suspẽdit.
11 *Ianuar. Gyrald.* III. Idus Ianuar. Carmentalia Romæ agebãtur, dicata Carmentę Euandri matri, nuncupato à matribus familias voto, ob euitatum probrum, ac dedecus, quo se putabant affectas, interdicto vehiculorum vsu, cum iussę essent per Vrbem incedere pedestres, & inhonorę. apud nos contrà *Honorata* virginis memoria est, sororis *Epiphanij* Ticiensis antistitis; atqui *Mithel.* *Honoratam* hanc pudicitia præsertim summo cum honore sublimem curru euexit in cœlum. in communionem porrò eius honoris veniunt † *Theodosius*, ac *Palamon*, quorum vterque religiosæ palęstræ magister fuit: ac *Palęmonis* quidem nomen à leuitate fabulæ ad solidiora traductum est; vt non hic inter maris monstra, sed inter cœli astra censendus sit.

12 *Ianuar. A.Gel.* Pridie idus Ianuar. Compitalia per Vrbem agitabantur. sacri erant hi ludi Laribus Dijs, ac Maniæ, hoc est insaniæ Larium matri; parum enim visum est priscis insanire in cultu Deorum, nisi etiam insaniam ipsam facerent Deam. huic cum antea innocentes pueri mactarentur, institutum postea est à Iunio Bruto, vt papauerum capitibus placaretur. ipsam verò Maniæ effigiem pro domorum foribus ad familiæ sospitatem appendebant. hic dies multò saniùs nunc sacer est *Tatianæ* virgini, quæ neglectis Dijs, in ignẽ cõijci maluit, ac mori crudeliter, quàm viuere dementer. At verò à *Satyro* fortissimo martyre tàm probrosè illusi sunt Dij, vt marmoreum simulacrum solo huius spiritu, atque afflatu deiectum sit: obstipuit Græcia nostri vim *Satyri* simul, & religionem admirata; nam cum in Arcadia maximè monstra ista ludere, ac lasciuire dicantur, hic *Satyrus* socium pietatis, ac pudoris sibi virum sanctissimum adsciuit † *Arcadium* nomine quãtum verò distet à salacitate, ac procacitate veterum Satyrorum, indicare videntur ij; quibus adhæret aptissimè, *Modestus*, & *Castulus*, quid autem coniunctius modestiæ quàm castitas?

13 *Ianuar. Alex. ab Alex.* Idibus Ianuar. Faustus fuit hic dies Romæ, quippe quo primùm Octauius dictus est Augustus. prouinciæ quoque sunt in formam redactæ. tibicines igitur, & præcones ad voluptatem muliebri habitu incedebant, atque ita Vrbem lustrare dicebantur, quam potius ea effeminatorum specie inquinabant. apud nos nihil hic dies agnoscit muliebre, neq; in ipsa *Glaphyra* virgine, quæ Licinij Imperatoris petulãtiæ viriliter restitit.

Præ-

Præcones autem fidei quadraginta sub Gallieno ſtrenuè ceciderunt. In formam quoq; ſanè pulcherrimã redacta religio eſt ab † *Hilario* ſanctiſſimo, ſapientiſſimoq; præſule. Fuit hic item dies C. Mario natalis, idemque fatalis ſeptimùm Conſuli ei ſcilicet, qui Iugurtham captiuum ante currum duxit, de Cimbris, ac Theutonibus triumphauit: niſi quòd ſibi ipſe conſciuit necem, ac natalem diem fecit emortualem: lucem, quam acceperat, contulit in rogi flammam: contrà apud nos immortale eſt *Viuentij* nomẽ, quod ſatis congruenter traxiſſe videtur à vita, cum vixerit annos ipſos centum & viginti, vt impietati delendæ ſuppeteret tempus. *Flo[r]us.*

XIX. Kal Februar. Ater hic dies Romanis fuit, & calamitatibus infamis; at nobis fauſtus, & felix eſt memoria ipſius † *Felicis* Nolani, quẽ illud maximè notum fecit, quod occultatus eſt ab araneo. quamquã hunc ipſum diem ex atro fecere purpureũ cùm triginta, & octo à Saracenis; tùm ſupra quadraginta à Blemmis pro religione impiè at non ſine conſtantiæ laude necati. 14 *Ianuar.* *Macrob.*

XVIII. Kal. Februar. Iterabantur, ac repetebantur à matribus familias Carmẽtalia ob receptum honorem vehiculi, vti diximus. ſacer apud nos dies eſt *Secundinæ* lectiſſimæ fœminæ, ac nulli veterum heroidum, vel pudicitia, vel animi fortitudine ſecundæ, quæ non quolibet digna videatur curru, ſed triumphali: quo certè digniſſimus eſt † *Macarius* Aegyptius, victor de Stygiorum Lemurum legione, quę ſe ipſa vocabat Flammeam. Hoc ipſo die duabus Vatibus Romę ſacra fiebant, Porrimæ, atque Poſtuertæ, quarum altera, quæ porrò fuerant, hoc eſt præterita, altera futura vaticinando canere dicebatur. nos duorum itẽ Vatum, ſed veridicorum, *Michea*, & *Abacuci* meminimus, quorum corpora imperãte Arcadio, diuino monitu è ruderibus in lucem ſunt eruta: dictorũ quippe veritas, quæ luce gaudet, eos diutius latere non ſiuit. 15 *Ianuar.* *Kal. Rom.*

XVII. Kal. Februar. Dedicatio erat ædis Concordiæ, quam L. Iulius Camillus erexerat, Liuia verò Auguſta penè collapſam reparauerat: nunc depoſcit hunc diem ſibi † *Marcellus* hierarcha Romanus, qui inter aduerſos caſus religioni penè labenti ſuccurrit ſuo; cui etiam poſtea ſuccurrerunt *Accurſius*, & *Adiutus*, auſpicata ad fulcimentum nomina. heroes hi ſunt ex ea familia, quæ Minorum dicitur, ſed maximi animi, qui aduerſus Africana monſtra religioni oppoſita concordi 16 *Ianuar.* *Gyrald.*

an.mo,

XII. Kal. Februar. Chalcedonij diem vigesimum primum cuiusque mēsis funestum, & inominatum habuere, quòd illo Darij præfectus pueros euiratos in Persidem captiuos misisset. at cōtrà nostris auspicatissimus hic dies est; quid enim nisi felix & faustum habere potest? cum inter ceteros Cęlites numeretur *Augurius* ipse: quicum conuenere, & ad prædicationem tantę virtutis *Eulogius*, & ad prouentum religionis indicandum *Fructuosus*; coniecti omnes in ignem sunt, vt diem hūc Chalcedoniis atrum facerent illustrem; nihil sinistrum timuerunt à flamma, qui socium habebāt ad omen felicitatis Augurium. *Agnes* verò, & nomine innocētiam præsetulit, & re fortitudinem. 21 *Ianuar.* *Alex. ab Alex.*

XI. Kal. Februar. Omnem huius diei gloriā eripuit vetustati. *Vincentius*, qui victoriæ pennis clarus, atque auspicio nominis sibi subiecit quicquid immaniter excogitauit impietas. *Anastasij* quoque Persæ cōstantia spectaculo fuit; eius verò vultus ipse, vel lineamentis expressus, terrorem Manibus impiis incussit, penè reuiuiscentis Anastasii anastasin veritis. His se alter *Vincentius* inserit, immò & *Victor* ipse, ac, ne victoria careat gratulatione, *Gaudentius*. 22 *Ianu.*

X. Kal. Februar, M. Attil. Regulus de Salentinis triumphauit. sed huius triumphus planè obruitur eo, quem egit † *Clemens* Ancyrianus antistes, qui triumphalem pompam toto penè terrarum orbe circumtulit, innumeris pugnis, atque victorijs nobilitatus. Numerantur nostris item in fastis auspicata illa nomina, siue victoriæ, siue coronæ, *Aquila* videlicet, & *Florus* ex vna familia. Eandem triumphi gloriam *Emerentiana* virgo præsertim, strenua bellatrix emerita est. Inter tam illustres martyres, inter aquilas, & coronas floreas, inter stipendia virtutis inserit se suo iure ipse *Martyrius* sed incruenta victoria. 23 *Ianuar.* 487 *Beuther.*

IX. Kal. Februar. Sementinæ feriæ indicebantur, fausto quodam sementis omine, vt fruges grandescerent; ideoq; dicatæ Telluri, ac Cereri. atqui præclarè à nostris sapientibus dictum est, Martyrum sanguinem sementem esse Christianorum, quem propterea fuderunt largiter multi, in primis ille quasi colonus quidam religionis recens exaratæ † *Timotheus*, prouētu sanè felici, & vbere gloriæ messe collecta; quamobrem opportunè etiam *Felicianus* occurrit. Egit olim hoc ipso die triumphum Romæ de Salentinis L. Iulius Libo Cos. sed impar fuit triumphus ei maximè, quem *Baby-* 24 *Ianuar.* *Kal. Rom.* *Tertul.* 486

las de Apolline apud Daphnen laureatus tulit, etiam mortuus.locus ipse fecit illi omen laureæ. in tumulum suum pro inferiis ferreas iussit inferri catenas ; ijs ita obligauit Apollinem,ac tam arctè ipsas quasi collo circũdedit, vt ille neq; vocem fundere,neq oracula reddere deinceps potuerit;at contrà tunc maximè facta est de *Babyla* fama vocalis,liberè peruagata.

25 Ianuar. Plutar. VIII Kal.Februar.Theseo sacra fiebant Athenis.hic ille Theseus, qui adolescens penè à patre veneno interijt, postea euectus ad regnum tot,ac tam digna memoratu gessit, vt inter plures Hercules vnus commemoretur,tauri, minotauri,centaurorum domitor;cum Pirithoo autem arctè coniunctus.at verò apud nos memoria *Pauli* est, qui adolescens & ipse penè perijt paternis ritibus. constitutus autem religionis princeps etiam cum *Petro* impietatem , atquè omnia antiquæ superstitionis monstra deleuit. Ceterum(ne quid præterire videamur) Aegyptiacus hic dies est dictus. Aegyptij enim singulis mensibus duos inominales dies habebant,quorum meminit Augustinus,eos à Ciuitate summi Imperatoris ablegan : stellarum positum obseruabant,& infaustos vitabant aspectus:quo tamen die nihil faustius *Paulo* accidit,qui postea raptus in Cœlum est. vt superstitioni oppositus calcaret stellas. eum porrò quasi ex senescente cultu renouatum congruenter consequitur *Iuuentinus*,cuius robore Iuliani Cęsaris fracta est audacia, atq;perfidia.cõsequitur etiam † *Proiectus*,nisi quòd Paulum renascentem lux circumfulsit,hunc autem mortuum; quãquam potius tunc renasci,& in lucem visus est edi, cum proditus est à luce.

Cyrald.

26 Ianuar VII.Kal.Februar.Vniuersam huius diei gloriam vetustas †*Polycarpo* cõcessit,impunè inter flammas illustri;itemque matronis duabus non modò virtute,sed etiam genere præclarissimis,*Paulæ* videlicet Romanæ Gracchorum , & Scipionum soboli;& reginæ Francorum *Bathildi*,coniugi Clodouei,& fœcundæ regũ matri,Clotarii,Childerici,Theodorici: ita omnis antiquitatis fumus,ac fastus,quà fulgore nostrę purpuræ,quà splendore ignis obruitur.

26 Ianuar. Ouid. VI Kal.Februar.Dedicatio fuit templi Pollucis,&Castoris, quorũ in tutela Roma esse putabatur. vouerat, & extruxerat illud templum bello Latino A.Posthumius Dictator,

tor, ea de causa, quòd cum inter se concurrerent acies, visi essent duo primæ lanuginis iuuenes præstantiore quadam statura, & forma (vt solet vafer humanis generis hostis variis spectris, ac laruis inductis illudere) præcedere Romanū equitatum, aduersariumq; hastis ferire cominus, & in fugā cogere; qui rursum post fusos, fugatosque Latinos, & castra eorum capta, obtulerunt se videndos in Romano foro militari eodem cultu, ac specie, quam habuerunt in pugna, equis sudore madētibus; interrogatos autem, ecquid ab exercitu noui afferrent, respondisse ferunt, victoriæ partæ se nuncios esse, tum ex oculis euanuisse: putati sunt Castores, atq; iis eodem loco extructum templum tāquam soteribus & apotropæis. At profectò Romana religio in † *Chrysostomi* tutela, & veriùs fuit, & firmiùs: scilicet cessit auro ferrum, illorum equitatus sublimi huius dicendi generi. successit hic in Antiochena administratione præsuli Nectario; hoc est Nectarium subsecutum est nectar ipsum: quamquam Præses suauissimus aduersariis religionis visus est acerbior felle. ob eximias verò, & innumeras victorias de impietate partas plaudunt *Chrysostomo* laureati martyres supra viginti, immò & ipse *Vincentius*. 28 *Ianuar.*

V Kal. Februar. Non est ausa vetustas secundò cum † *Agnete* congredi, & in contentionē venire de gloria, nempe paucis ante diebus superata. immortalem se fecit *Agnes* etiam apud tumulum, vnde se quasi viuentem parentibus obtulit. hanc insignem magnitudine animi puellam consequuntur Alexandrini martyres, quibus ob victoriæ pulchritudinem aptè *Callinicus* adhæret. At verò † *Iacobus* semel victus, mox exardescens ad pugnam innumeras Stygio hosti victor præripuit palmas. καλλος *pulchrit.* νίκη *victoria.*

IV. Kal. Februar. Equiria celebrabantur in campo Martio incitatis ad cursum equis; horum indoles, generositas, celeritas spectabatur. sed excurrerunt maiore cum laude complures è nostris in stadio virtutis, † *Maurus*, & *Papias* in primis admirationi fuerunt, præsertim quòd tam expeditè, ac sine vlla offensione confecerint cursum inter lapides ipsos, quibus appetiti sunt impiè. ab hac generosa indole seiungi nolunt cùm *Valerius*, & *Constantinus*, tùm quodam quasi omine, vel victoriæ, vel velocissimi cursus, immò præpetis volatus, *Aquilinus*. 29 *Ianuar.* *Gyral.*

III Kal. Februar. Paci Deæ candida litabatur agna. Pa-
30 cem scilicet Vrbs illa coluit, quæ conditorem ipsum habuit
Ianuar. infensum, & infestum fratri, cuius cruore maduit, quæ inte-
Ouid. stinis odijs, ac dissidijs arsit: Pacem, inquam, inter Deos ce-
teros venerata est, qui Dij interse dissentire, immo verò di-
gladiari soliti dicũtur. nunc sacer dies est *Barsimæo* antistiti,
qui bellum potiùs indixit acerrimum, cùm ceteris Dijs,
ùm Paci ipsi Deæ. sacer itẽ *Hippolyto*, qui aliquãdo sequu-
us Nouatum à religione desciuit, sed postea antiquato
672 consilio, ac pace inita, tam tenax seruandæ fidei fuit, vt de-
uoto capite fœdus cruore sanxerit suo. Hoc item die Sylla
Dictator ex Græcia, Ponto, & Mithridate per biduum Ro-
næ triumphum egit; quem apud nos de impietate multò
fortunatiùs egerunt inter ceteros fortissimi martyres *Fe-*
31 *licianus* † & *Alexander*.
Ianuar. Pridie Kal. Februar. Sacrum fiebat Penatibus, qui præsi-
Kal vet. des, & custodes mortalium habebãtur, per quos penitùs spi-
ritum duci putabant; Patriis item Dijs fiebat: at cum his,
ac ceteris Dijs dimicauit in primis martyr *Victor* non va-
cuo nomine, qui socios eiusdem præclaræ indolis habuit
aturnium, ac *Thyrsum*. nec minus superstitioni fuit infesus
Cyrus, qui cũ medicinæ arte præstaret, huic malo mederi
oluit pœnis suis, ac morte: atque hi omnes tũ maximè pa
riæ amantes fuerunt, cum Deos patrios oppugnarunt;
uod etiam aggressa est Romana matrona magni animi
Iarcella, quæ vrbẽ olim vetere superstitione inquinatam
eligione, ac pietate expiauit sua.



Kalendis Ianuarij

S. FVLGENTIVS

Episc. Ruspensis.

Synop. *Conferuntur inter se primus mundi dies, & primus anni. Ille initium sumpsit à luce, hic à Fulgentio. Restitit Trasamundo regi impio Ariano, cuius iussu exulauit. Aliorum item hareticorum detexit fraudes.* 1 *Ianuar.*

ENCOMION .I.

Par est eadem esse auspicia orientis anni,
quæ primùm fuere temporis;
vtriusque videlicet natalia illustrari luce,
nisi quòd altera lux Mundo adfuit rudi,
altera hęc profuit, vt erudiret.
Tua, Fulgenti, lux siue doctrinæ, siue pietatis
religionem fecit illustrem, occidit nunquam:
Restitisti Trasamundi regis Ariani perfidiæ;
non erubuisti obloquens purpurato,
non expalluisti obtuens cum securibus fasces;
diadema gemmis illuminatum nō perstrinxit oculos,
immò cum ille exulare te iussit,
à se remouit fulgore perstrictus tuo.
magis scribendo explenduit tui acumen styli,
quàm minando eius acies gladij.
Fuisti Ruspensi naui, & gubernator, & sidus;
nullus potuit scopulus latere Fulgentium.
Quin etiam depressisti tumentes Pelagij fluctus;
profligasti armis ingenij archipiratas impios,
Donatum, Eutychium, Nestorium, Arium.
In tot edomandis monstris
plus pontificio valuisti lituo,
quàm roborea Hercules claua.
Sed mirum quòd, cum esses oriundus ex Africa,
tam longè abhorreres à monstris.

Ka-

Kalendis Ianuarii

S. ALMACHIVS
martyr.

Synop. *Gladiatorios ludos in Deorũ honorem datos interturbauit; quamobrem ab ipsis gladiatoribus impiè occisus. Putatur hic à nonnullis sapientibus uiris idem cum Telemacho, ita dicto ob finem eiusmodi ludis impositũ.* I Ianuar. Baron.

ENCOMION. 3.

Nunquam resonuit Romę cauea digniùs,
quàm cum gladiatorijs, Almachi, reclamasti ludis,
maior animus ipso amphitheatro fuit.
vetuisti principem diem seruili fœdari sanguine,
delibutum diuino;
sed eum purpuratum fecisti etiam tuo.
Inter commissa gladiatorum paria
nihil virtuti par fuit tuę.
impium putasti, ludos dare per vulnera;
stultum, placare Manes immaniter,
eosdemq; mollire ferro:
scilicet sanguine satiabant Fortunã, vt haberent mitẽ;
propinabant frigidis simulacris Deorum
calidum spirantis cruorem;
publicę voluptatis hostiam mactabant hominem.
Tu potius lemniscata munerandus es palma,
qui talia sustulisti munera.
quod edicto abolere non potuit Constãtinus Cæsar,
tu aboleuisti constanter cęsus.
interdixisti spectaculo tui dato.
pulchro sanguine maculam eluisti sanguinis.
libẽter accepisti cum vulnere illam gladiatoris vocẽ,
Hoc habes. vt habere desinerent ceteri;
quia cruore tuo cruentę pugnę imposuisti finem,
meritò potuisti dici ex Almachio Telemachus.

uide Lips. in Satur. τέλος finis μάχη pugna.

Kal.

Kalendis Ianuarii

S. ODILO

Abbas Cluniacensis.

Synop. *Vallis Aureæ cultor fuit, rigido vitæ genere vsus; cinerem adhibuit in mensa: constituit sacra Parentalia vita functis; ex igne purgatorio nonnullos extraxit suis precibus. fluuios siccauit pedibus, nec immaduit.*

ENCOMION 4.

Tuis in primis opibus diues incedat annus, Odilo.
Degisti cum tuis in valle cognomento Aurea,
sed vitę asperitate ferrea.
Ostendisti, nihil ditius esse inopia sponte suscepta;
non eruitur aurum è venis nisi ferro.
adag. sciens hostem falsò montes polliceri aureos,
vallem elegisti, vt confluentes lacrymæ
fluuium facerent verè aurifluum.
quamquam arenis aureis à te pręlatus est cinis,
quippè sumere cibum solebas aspersum cinere:
at mirum vel hoc in te fuit,
quòd cinere tuo aliorum restingueres ignem.
multum tibi cinis vita functorum debet;
nēpè idē instituisti, post cōmune Cœlitibus sacrum,
expiatorium Manibus piis.
incēdisti aris thura, vt incendia vinceres;
emortualem diem iis fecisti natalem;
pro flammis inferis substituisti sidera.
quoties tuis, ac tuorum lacrymis egere gratias
beneficijs obstricti, suppliciis soluti Manes?
aperuisti & Benedicto hierarchę mortuo Cœlum,
cuius ille claues tenuerat viuens.
Neque ignis tantùm te veritus est, sed aqua;
vide adag. intumescentē in primis Ticinum viator pede siccastis
fręnasti sępe torrentes, ac fluuios, lacrymas nunquam

Ka-

Kalendis Ianuarij

S. MARTINA virgo, & martyr.

1 *Ianuar.*

Synop. *Plurimis confecta vulneribus semper constans, ac sui similis fuit. Apollinis, hoc est Solis fanum terramotu deiecit; Dianæ, hoc est Lunæ simulacrum cælesti igne consumpsit. acre in ceteros quoq. Deos bellum aggressa.*

ENCOMION 5.

*D*a tu quoquè laureato auspicium anno
Martij vigoris Martina virgo.
ferreis ipsis vngulis, quibus te lacerarunt, fortior.
centum, & octodecim cõfossa vulneribus restitisti.
nimis curiosa fuit, ac prodigiosa barbaries,
quæ, licet cæca ferretur ira,
tot vestigauit, ac vidit in tenui corpusculo loca,
quibus infigeret ferrum.
mitiores inuenisti in amphitheatro feras,
quia abstinuerunt à vulnere.
sed militare tibi visa est ipsa Natura;
terram vertisti motu, vt euerteres Deorum signa;
rectè opposuisti lapidibus lapideã, brutis brutam.
miratus est Mars aduersari sibi Martinam.
Apollinem, ac Dianam in primis colere iussa,
ambos spreuisti vnà cum iaculis suis.
Apollinem tumulasti templi sui ruina.
euocasti è cœlo ignem, vt Dianam perderes;
quæ facem ferebat suam, arsit aliena.
triformis Dea, cum per te cœpit hàberi deformis,
erubuisset, nisi palluisset cinere.
quid mirum! cessit bellatrici venatrix.
fregisti Dianæ cornua, tuis infracta pœnis,
prçclara virgo, & mira, q̃ vt ineũtẽ illustrares annũ
& falsa numina illi ademisti, & erratica lumina.

Kalendis Ianuarij

1 Ianuar.

S. EVPHROSYNE

virgo.

Synop. *Mutauit habitum muliebrem, & nomen, vt castè, ac piè Deo seruiret. Smaragdum se dixit. Ostenditur hoc maximè nomen ipsi aptè, & congruenter impositum fuisse, quod ineunti anno esset ornamento.*

ENCOMION 6.

Virilis animi virgo simulasti te virum.
visa es maior Alcide,
qui sumpta colu factus ex viro mulier.
laetitia. abiecisti Euphrosynes, hoc est lætitiæ nomen,
ne gestientem effœminaret illecebra
te ad aspera, & ardua quæque natam.
quia visa es Naturæ dote maior,
indidisti tibi nomen Smaragdo;
fecisti nomini pretium, non lenocinium.
cum spoliasti te torque baccato,
ineuntem annum fecisti pulchrè torquatum,
temporis intortum spiris;
tuo nunc ille superbus incedit ornatu.
sed abiecto toto mundo muliebri,
vnam tibi reliquam fecisti gemmam, Smaragdum;
hanc voluisti seruare insertam in annuli pala,
ne carere sponso videreris Deo.
At si firmitatem profiteris, cur te non Adamãtem?
si pulchritudinem, cur non Margaritum vocas?
an quia nullus aptior virgini lapis?
Plin. Val. nempè odit hic thalamos, solitus in toro frangi.
circumducto igitur in orbem anno, velut annulo
statim Smaragdus insereris,
ideò viridis, quia perpetuus amor viret;
ideò venustus, quia inimicus Veneris.

IV.

IV. Nonas Ianuarij

2 *Ianuar.*

S. MACARIVS

Alexandrinus.

Synop. *Mira victus parsimonia fuit. Exercebat se baiulando grauem arenæ saccum. Secum oleum deferebat, quo arreptitios maximè curabat. laruatum* KaKodæmonem *elusit, impunè tractatos angues elisit.*

ENCOMION 7.

Suspicari cœpit Alexandria, Macari,
te sub vmbra nemorũ adumbratũ gestare corpus,
sine vllo penè cibi nutrimento viuentem.
tunc demum hominem credidit,
cum colliquescere vidit in lacrymas.
ingentem arenæ cumulum baiulabas humeris,
salubris olei vasculum suspendebas è collo:
nempè non ignobilis pugil
ipse in arena stadium apparasti,
ipse te, ceterosq; inungebas ad pugnam.
sæpè es cum aduersario communi congressus;
sæpe ille in arena tua prostratus iacuit;
malè ab ipso vexatos hoc inungebas oleo.
nihil horrebat magis; abscedebat protinùs,
ne tuo perfusus oleo, acrius suo flagraret igni.
mutabat subinde formas vafer Proteus;
obtulit se tibi fuscis alis more coruorum,
sed venantem statim fugit accipitrem.
flammam se finxit omnia depascentem,
sed vt vidit lacrymarum flumen, extimuit.
armauit in te venenatas aspides,
sed admouit corpori frustra,
elidebas eas potenti manu.
non ausę sunt imperanti opponere aures surdas,
cui Natura ipsa obtemperabat arrectis.

III. Nonas Ianuarij

3 *Ianuar.*

S. GENOVEFA
Virgo.

Synop. *Mater ob alapam ei impactam, quòd crebriùs adiret templa, visum amisit, sed filię precibus recepit: alijs etiam oculos, & contractam manum sanauit. arreptitios 12. simul liberauit. puero vitam restituit fletu.*

ENCOMION 8.

Nullum gratius obtulit Romæ lilium Gallia,
quàm miri candoris Genouefam;
quanquam semel candidum erubuit lilium,
cum illa studiosa nimis adeundi templi,
maternam accepit alapam.
sed manus piaculum eluerunt oculi,
repente priuati lumine:
passa verò filia non est, sui causa ei lucem eripi,
à qua acceperat lucis vsuram;
siccis oculis non est maternos intuita,
donec redintegrati precibus.
quod matri præstitit beneficiũ, nõ negauit exteris;
cœli conspectũ sibi amicum communem fecit alijs;
nec tãtũ tenebras pepulit, sed & tenebrarũ p̃sides;
nam in duodecim incidens id genus hostes,
qui misera occupauerant corpora,
eos terruit, fugauit, propulit.
desierũt Parisienses Herculem mirari cum claua,
cũ puella inermis vno ictu totidẽ perculit mõstra,
Extinctũ quoque in puteo puerum flens excitauit.
mirum dictu: puer demersus aquis
tunc incolumis emersit ad vitam,
cũ à Genouefa iterum demersus est, nẽpe lacrymis.
Sanauit, & aliorum manus morbo contractas,
solita scilicet precando suas in Cœlum extendere;

Pri-

Pridie Nonas Ianuarij

S. RIGOBERTVS

4 *Ianuar.*

Episcopus Rhemensis.

Synop. *Pro religionis libertate cum dynastis strenuè pugnauit. à Pipino magni habitus, qui eum agro donauit, in quo perpetuum deinceps ver fuit. quidam saltans supra eius tumulum, compungi se sensit veluti spinis.*

ENCOMION 9.

Adesdùm propugnator sacrorum acerrime,
Rigoberte præsul;
adamantem appellare te libet,
qui tot ictibus restitisti.
Non es passus ornatu spoliari aras,
refigi trophæa templorum,
sacri Capitolij manubias
sacrilega diripi manu.
occurristi libero vultu auidis prædæ dynastis;
non contraxisti pallorem ex illorum purpura.
Sed idem charus fuisti religiosis, ac pijs,
in primis magno Pipino principi,
ab eo parte præcipua donatus agri.
Fama fert, ver ibi deinceps fuisse perpetuum;
hieme media fragrasse floribus solum;
eam solùm regionem, quam tute tibi descripseras,
nunquam passam ictum fulminis;
ad eius fines iram deferbuisse ventorum.
Sol videlicet eras moderator temporum;
hinc illa supra tumulum lux etiam post occasum.
concentus quoque ibi auditi sunt Cœlitum.
qui apud eum tumulũ saltationẽ instituit temerè,
sensit pedes compungi vepribus, claudicauit:
tunc demum aduertit, rosam subesse vel cineri,
bustum ipsum mutatum in hortum.

Ne:



Nonis Ianuarij

5 Ianuar.

S. SIMEON

Stylites.

Synop. *In columna statua instar stetit immobilis. Ostenditur à nullo alio statuario potuisse tanto viro digna effingi statua, præterquàm ab ipso admirabili artifice. eiusdem columnæ inscriptio, & dedicatio apponitur.*

ENCOMION 10.

Non indiget stylo Rhetorum Stylites.
non est formandus alterius arte sculptoris,
qui se ipsum fecit statuam.
supra columnam statuit se quasi æneum;
nisi quòd colliquescebat lacrymis.
à Praxitele tantùm sculpi voluit Alexander;
at hic, quia erat Alexandro maior,
& ars Praxitele ipso minor,
se ipsum præstitit & statuarium, & statuam.
Ades huc viator, paucis te volo;
intuere, obstupesce, modò ne & tu marmor fias.
Hic, qui marmoream erigit sibi columnam,
contemptor est omnis honoris, & fastus,
sperstat hic solus, teste cœlo.
nulla eum deturbat tempestas, ac turbo;
cœli iniurias vertit in decora:
cum Sol eũ in cancro torret, non recedit vt cãcer,
immotus semper cruribus rectis stat.
multò melius hic philosophatur sub dio,
quàm qui sub Zenonis porticu.
sublimis eminere voluit, vt immineret hosti:
Insculpe quisquis es columnæ victrices palmas;
incide notas tanto dignas heroe.
breuis sit hæc epigraphe, at laude non breui.
Statuarius simul est, qui huic incumbit, & statua.

VIII.

VIII. Idus Ianuarij — 6 *Ianuar.*

S. ANDREAS
Episc. Fesulanus.

Synop. *Adolescens cum liberiùs ageret, somnio à matre narrato territus, (quæ ipsum sibi per lupi speciem oblatum dicebat; sed adito templo in ouem mutatum) resipuit statim, Carmelitarum ordini nomen dedit.*

ENCOMION II.

Matris hic somnio territus
euigilauit ad benè viuendum.
cum liberiorem fecisset ætas,
narrauit illa, dum vterum ferret,
se sibi visam esse gignere ferum lupum,
quãquam editus hic nõ peteret lustra, sed templa;
exuisse dicebat inter aras lupinam formam,
mirè mitem euasisse ouem.
perhorruit audito adolescens monstro,
intellexit de se non fabulam narrari,
sed edi oraculum.
statim Circeum euomuit virus,
pręstigiosæ cesserunt illecebræ.
parum fuit agnum fieri, fit pastor
Fesulani gregis.
fit præclarus ouium custos, pridem lupus.
cum mitissimus omnium esset factus,
domuit se tamen quasi ferum;
catena constrinxit ferrea;
sed tunc ceteræ feræ eum timuerunt magis.
fugauit duros ex ægris morbos
molli balatu precum.
gauisa est patria iure Florentia, & mirata,
non latere iam horrida in silua lupum,
sed pasci florido in horto agnum.

TII.

VII. Idus Ianuarij

7 Ianuar.

S. RAIMVNDVS

Ordinis Prædic.

Synop. *In aulam à Rege accersitus, cum ipsius procaces mores, & vitæ licentiam ferre non posset, fugit; & interdicto nauigio, mare traiecit vsus pallio; quo Rex prodigio commotus ad bonam frugem se conuertit.*

ENCOMION 12.

Extulit hunc in Cœlum in primis honorum fuga.
infulas non admisit pontificias,
fascias non admiratus est regias.
vt liberos aulæ fugeret mores,
prodigiosè calcauit mare,
velificatus sine nauigio:
purior illi visa est vnda, quàm aula;
tutior pelagi fides,
Fauonius gratior, quàm fauor regius.
nisi quòd dum Reges fugit, in regna incidit;
imperare enim ipse tunc cœpit,
cum ab alienis recessit imperijs.
dedit non terris iura, sed fluctibus;
vsus est non tridente, sed baculo.
virga cessit in nauigij malum,
immò in maritimi regni sceptrum,
oppassum pallium ventis
insigne regij paludamenti fuit.
nouo se Regi subiecit Oceanus.
tumuit aura tegmen, detumuit vndis mare.
tunc primùm eius indumenta didicere,
quid esset tumor,
cum in ipso Raimundo erant, ignorabant:
cetera hic præclarè facta potuit velare,
sed velari non potuit tantum prodigium veli.

VII.

VIII. Idus Ianuarij 7 *Ianuar.*

S. LVCIANVS S.

Presb. Antioch.

Synop. *Vultu ipso adeò venerando fuit, vt tyrãnus interponeret in alloquendo velum. tùm manus saxo, pedes cippo adegit. deniq. ante necem sacra facturus, pro altari vsus est suo pectore. demersus est, sed à delphino elatus.*

ENCOMION 13.

Vicit hic Maximianum Cęsarem sine pugna,
armatus sola maiestate oris;
non ausus ille hunc alloqui, nisi interiecto velo,
veritus ne stupore constantiæ lapidesceret.
grandi lapide onerauit pugilis manum;
timuit videlicet leuis dexteræ grauem ictum.
pedes quoque cippo constrinxit,
ne in se inuecta virtus impetum faceret.
Tandem proijci iussit in mare, victus in terra.
facere hic ante necem voluit; sed cum ara deesset,
nouo ritu, & miro, pectus suum fecit aram.
nusquam est gratiùs litatum Deo;
nulla vel fragrauit ara iucundiùs,
vel flagrauit ardentius.
in mare proiectũ delphin excepit, littori reddidit.
mari talis non debuit ara tegi, sed Cœlo.
reddita terris est mensã non Delphica, sed diuina;
capta reti non est, vt Apollinis olim mensa, *Plutar.*
quia dubijs mortales oraculis non irretijt *Zaraz*
meritò illi Helena ingens excitauit delubrum:
alterius quidem Helenæ illecebra Ilium,
at alterius pietas incendit aras.
Arioni delphĩ ꝑ cymba fuit, at Luciano ꝑ feretro.
manus tantùm corpori defuit, relicta in gurgite,
& ideò relicta, vt tẽpestatib⁹ ĩperatura gestaret scepttũ

VI. Idus Ianuarij

8 Ianuar.

S. SEVERINVS

Noricorum Apostolus.

Synop. *Noricis religionem inuexit. vt Vienna annona consuleret, Danubij glaciē precibus soluit. idem fluctus inhibuit. Prædixit Odemaro regi, & regnum, & vitæ finem. à morte miro odore fragrauit.*

ENCOMION 14.

Inflammauit hic pietate gelidos septentriones.
vrbes sibi commendatas mirè eripuit hosti:
ingētis motu, ac mugitu telluris absterruit īuadētē.
Viennę fame laboranti succurrit,
ipse cœlesti pastus ambrosia.
vt naues onerariæ frumentum traijcere possent,
Danubium gelu duratum emollijt;
soluti oculi fletu soluerunt glaciem;
Sol videri potuit, cum liquefecit Istrum;
eidem intra templum excurrenti frænos iniecit;
in vtramque partem vsus imperio,
impellens ad cursum fluuios, repellens à cursu.
Aliorum honores præuidit, à suis auertit oculos.
Odemaro pellito militi regiam prædixit purpurā;
sed regnaturo præfixit annorum terminos,
ne licentiùs vagaretur ambitio;
visus tamē ipse penè nullos habere terminos vitę,
diù posteaquam est funeratus, spiranti similis;
quin etiam odoris fundens mirè fragrantiam
ostendit se dignum, qui coleretur thure:
ita tumulum sibi fecit aram.
Parthenopen tandem vrnæ dignatus est munere;
mirū, vel ꝙ Sirē excepit Sirenū infensū illecebrę;
vel quòd in arce Lucullana primū situs est,
qui alienus, dum viueret, fuit à Luculli luxù.

V.

V. Idus Ianuarij.

SS. IVLIANVS, ET BASILISSA Martyres.

9. *Ianuar.*

Synop. *Coniuges illibati fuerunt, è toro, ac thalamo odor mirus afflatus est testis pudoris, euocarunt è terræ sinu ignem, vt Deorum perderent & fana, & simulacra: quamobrem in ignem coniecti sunt, sed irrito conatu.*

ENCOMION 15.

Accepisti cōiugē auspicio regij nominis Basilissā: *Βασίλισσα regina.*
vt pudicitia regnaret etiam in thalamo.
genialem lectum in votiuam vertistis aram.
vertistis & in hortū; odor. n. dicitur afflatus è toro,
non flagrastis in thalamo, sed fragrastis:
mirante Venere, se ab horto excludi suo.
Hinc vos è thalamo virtus eduxit in campum;
Erebi pugnatura cum monstris:
quinquaginta vnico ictu afflixistis humi Deos,
simulacris vestrarum vi precum comminutis.
instaurarūt in vos Dij bellū, sed maiore cū ꝓbro,
nam ex ima tellure prodigiosum euocastis ignem,
qui deauratum fanū, & electrina tumulauit signa,
in primis tria, Iouis, Iunonis, Cupidinis.
Iuppiter ignem dictus iaculari cœlestem,
combustus est subterraneo.
Iuno regina Basilissæ cessit imperio.
Cupido alis euadere non potuit fractis;
igne consumptus est alieno sua cum face.
Frustra post hæc præses sæuijt Martianus,
cum sulphureo vos, ac piceo damnauit rogo,
at vobis, & fulgur Iouis exusti ludibrio fuerat,
& tæda Cupidinis in cinerem versi.
quia non arsistis thalami flamma,
rogus ipse iucundiùs cessit in thalamum.

IV. Idus Ianuarij

10 Ianuar. S. PAVLVS

Primus Eremita.

Synop. *Primus nostrorū Eremū consecrauit. coruo vsus est ministro. Leones humum effoderūt ad tumulandum vita functum. palma fuit eius amictus, quo indumento festis diebus postea vsus est ad decus magnus Antonius.*

ENCOMION 16.

Affecisti gaudio, Paule, desertum solum,
non nisi bestiarum antea pressum vnguibus,
illic impressa reliquisti vestigia pietatis primus.
minus vocales, & canoræ sibi visæ sunt alites
post auditos gemitus tuos.
Hoc maximè illustre, & gloriosum putasti,
viuere teste Cœlo, vincere plaudētib⁹ Cœlitibus.
Mirum fuit, quòd cum insigni esses animi candore,
nigrum tamen nactus ministrum fueris, coruum,
nisi fortè, quia ille te virtutum luce fulgentem,
Sueton. putauit alterum, cui olim sacer fuit, Apollinem.
Octauiano auspicium fuisse imperij narrant,
quòd aquila panem ex eius manu rapuerit;
auspicatior tibi fuit coruus, quia obtulit.
nouum tibi Natura tribuit ministerium,
nouum tu Naturæ dedisti magisterium.
dedidicerunt, te viuente, corui esse fures,
mortuo, leones esse feri;
effoderunt vnguibus solum,
non vt eruerent aurum, sed vt reconderent.
minus est, ꝙ Roma vidit, subiectos currui leones;
maius est, eos subijsse feretro triumphali.
meritò tibi amictum intexuisti ex palmis;
parum erat palmam sola præferre manu,
nulla pars vacare debuit palmis vndique victoris

III.

III. Idus Ianuarij.

S. THEODOSIVS. 11 Ianuar.

Cœnobiarcha.

Synop. *Insecutus est Nestorium, & Seuerum. messem integram collegit ex vno grano frumēti. multi eius opem senserūt eodē tēpore, & in cœnobio cum suis erat, & in cāpo cū exercit⁹ Duce, qui ei⁹ cilicio pro lorica vsus est.*

ENCOMION 27.

Docuit hic, ex ore Nestorij non melleum,
sed amarius felle manare sermonem.
natura mitior, nisi quòd fuit acrior in Seuerum,
hostem Romanæ religioni sæuum.
In exilium missus, fecit sibi patriam, orbem terræ;
quanquam Cœli municeps à pueritia fuit.
Cœnobiarcha dictus est eorum,
qui ab Epicuri hara, cœnoq; alieni erant,
vnū tritici granū integrā multiplicauit in messē,
nihilo minus colligens de segete gloriæ.
Absens mirè porrigebat naufragis manum;
Absens extrahebat ex ore belluarum prædam.
ita maior visus, quàm qui vno posset arceri loco.
Eius cilicina vsus est lorica aduersus hostes
Romani Dux exercitus Comes Orientis Ciricus.
abiecit ære trilices squamas, triplices induit setas;
metuendus hostium equitatui ob setas equinas.
mirū dictu: Theodosius in tēplo pronus in preces
Cerico præsens erat in campo, insurgens in hostē.
vnus natura, sed geminus munere:
ibi mactabat victimam, hic bello victos,
ibi suorum cœtum instruebat, hic militum aciem,
dux castorum, idemq. castrorum,
& lacrymas fundebat suas, & sanguinē barbarorū;
nunquā mundior, quàm cū sordidus belli puluere.

Pri-

Pridie Idus Ianuarij.

S. ARCADIVS

12 Ianuar.

Martyr.

Synop. *Plumbo crudeliter caesus est, atque contusus. equuleo quoque tortus, tum minutatim per membra concisus; insultabat tamen Dijs truncus licet toto corpore. constans omnino semper fuit in poenis omnibus, & infractus.*

ENCOMION 18.

Mandetur tuus, Arcadi, triumphus annalibus.
gaudet Victoria in vna palęstra numero palmarũ.
plura sunt in tuo corpore trophæa, quàm mẽbra.
noua genera in te cudantur armorum;
hebetes vngulæ, leue uisum est plumbum,
ludus est equuleus, rota versatilis, ludus.
morantur lictores supplicijs mortem,
in mora impij, ne videaris mori semel.
per mẽbra dissectus cunctantem expectas necem,
vt, dum laniaris, viuum te inspectes cadauer.
inciduntur ab articulis manus, à cruribus pedes;
sed adhuc superest in victima, quo ritè litari q̃at:
oblitus est tyrãnus excindere testẽ diuinitatis lĩguã.
nẽpè fraudauit eũ nimiũ præceps in pęnas furor.
iam exibes ferro iugulum, pedes, manus;
toto corpore, vt ad vulnera, ita paratus ad laureas;
numeret palmas, qui numerare potest plagas.
in tuo corpore multum victo furori datum,
sed plurimum triumphanti virtuti.
nũquã tã integer virtute fuisti, quã cũ totus incisus,
durabat in intermortuo vigor spiritus;
perstabas fide viuus, parte corporis iam sepulta:
vidisti siccis oculis cruenta tumulari membra;
tuum præcessisti funus,
sed penè immortalis in nece.

Idibus

Idibus Ianuarij

S. HILARIVS

Episc. Pictau. 13 *Ianuar.*

Synop. *Hæreticis maximè infensus fuit, præsertim Saturnino. Constãtio istĩ, & Valenti Imperatoribus Arianis se acriter opposuit. eiectꝰ est in exiliũ, sed rediit tãdẽ cũ õniũ gratulatione. eius eloquẽtia, & doctrina laudatur.*

ENCOMION 19.

Nemo tãtũ impijs mœroris attulit, quãtũ Hilariꝰ.
tantum religioni gaudium non facilè quisquam.
Murus est dictus oppositus Ario,
sed coronã ex eo muralẽ victor adeptus est nemo.
Effecit in primis, ne Saturninus impio cultu
aureum inficeret sæculum.
minitanti ferrum restitit adamantinus.
Quin, & feras venatus est morsu acres;
testis Vrsacius venabulo sapientiæ ictus.
inualidis, imò nullis se viribꝰ Valẽs ipse collatꝰ sẽsit
nihil apud ipsum infirmius Constantio fuit;
viluit huius purpura, cum ipsam liuor infecit.
Qui eiecerunt ex vrbe Pontificem,
nõ viderũt, se educere nostrũ Imperatorẽ in cãpũ. *Apic. Mart.*
cum ipso Marte congressus est, nempè Ario;
sed tandem è prælio reuertenti cum laurea
occurrit Gallia triumphali cum pompa.
vidit ea ætas veterem in Aquitania Romam
tantò celebriore triumpho,
quantò censendus est dignior,
qui dedicatus est religioni victrici.
Nihil habuit eiꝰ sermone cõcĩniꝰ comata Gallia;
cometes videri potuit lucidꝰ, sed fatalis improbis.
immò per duodecim de augusta Triade libros,
Solẽ se declarauit, excurrẽs totidẽ quasi per signa.

XIX. Kal. Februarij

14 *Ianuar.*

S. FELIX

Martyr.

Synop. *Nola vrbe à barbaris capta, antistiti suo Maximo seni frigore, & fame cōfecto, & penè emortuo cōsuluit, expresso per hiemem vuæ succo ex arida vite. ipsū verò mirè texit araneus in specu, hostiq; subduxit.*

ENCOMION 20.

In miserâ olim vastitate Campaniæ
penè solus ereptus est ferro Felix,
ne. s. illa prorsus amitteret appellationem felicis. *Plinius.*
Diuinitùs in carcere solutus est vinculis,
vt ātistitē Maximū soluerēt mōtano deuinctū gelu.
vt eundem reficeret, hiemē in autumnum vertit.
pependit inter niues decussis pampinis botrus;
expressum acerbo tempore maturū saluti nectar;
propinasset merum, nisi miscuisset lacrymas.
Sed reddidit pietati vices bestiola tūc primū pia,
quæ sua tutelæ Felicis impendit viscera.
nè illius vitæ à barbaris abrumperetur stamen,
mira celeritate araneus subtexuit suum;
moderato vsus vngui per textum
subduxit prædam ferinis vnguibus;
effecit circinati orbis artifex,
ne tanto ciue orbaretur patria.
mirum visu: carentē labe virum seruauit maculis.
ne incideret ille in vulnera, obiecit hic plagas.
soluit obsidionem nodis;
ex insidijs vitam alterius expediuit pedicis suis.
opposuit scutis scutulatum rete, telis telam.
ne ille caderet, lineas hic præcipitauit in sinum.
stupuit in tam veloci reciprocatione Natura.
dignior hæc bestiola fuit āphitheatro, quā bellue.

XIII.

XIV. Kal. *Februarij.* 15 *Ianuar.*

S. MACARIVS

Aegyptius.

Synop. Subterraneam sibi ipse specum extraxit. puellæ diù abstinenti à sacra mensa, & præstigijs in equam versæ restituit formam. alterius arreptitiæ ingluuiem curauit, extincta Erebi *legione Flammea.*

ENCOMION 21.

Non tàm fœcundam se sensit Aegyptus ex Nilo,
quàm ex Macarij lacrymis.
illinc magno prouentu, extitere fruges,
hinc maiore, homines frugi.
vt tellus ebiberet humorem altiùs,
subterraneam sibi ligone effodit specum;
immò verò vt Stygiũ propiùs aggrederetur hostẽ,
nihil hic infensius habuit, quàm Macarium
præstigias eludentem omnes.
mulierem in equæ formam ars magica verterat,
eã maritus factus iã armẽtarius ducebat ad pastum:
at vna vox Macarij precantis pressit hinnitum.
nemo.s. ad hæc aptior, quàm qui belluinos motus
cupiditatis substulerat brutæ.
dixit, iccircò illam potuisse capi pręstigijs,
quòd abstinuisset à sacra mensa diù;
vt, quæ noluerat formæ particeps esse diuinæ,
etiam carere videretur humana,
pro dape cœlesti manderet fœnum;
sed cessit lacrymarum philtro poculum Circes.
Obsederat alteram non vnus hostis è Styge,
sed integra legio, quæ se appellabat Flammeam;
vnus vno ictu tot millia perculit hostium.
ita illustratus est tunc maximè,
cum extinxit flammam.

XVII. Kal. Februarij.

16 *Ianuar.*

S. MARCELLVS
Pont. Max.m.

Synop. *Eum tyrannus repurgãdo communi vrbis ſtabulo addixit. præfertur Herculi, cuius ex laboribus vnus dicitur, quòd addictus fuerit Augiæ ſtabulo repurgando. nihil huic honorificentius accidiſſe dicitur.*

ENCOMION. 22.

Expugnari te poſſe tyrannus credidit,
ſi faceret ſtabularium.
errauit: alterum fecit Herculem;
vide adag. hic illum in primis labor inſignem fecit;
repurgare iuſſus eſt Augiæ ſtabulum.
quamquam tu laudabilior Hercule,
qui vitijs inquinatus haud ſe ipſum purgauit:
muliebriter lanam accepit, & colum,
abiecta domitrice monſtrorum claua.
purius tu expurgaſti, Marcelle, impietate vrbem;
ipſum in primis Herculem vetuiſti coli,
ſiue humeros grauaret ſtellis, ſiue ſtabuli fimo.
illi pro mercede laboris ſordidi,
litigium cum Augia fuiſſe dicitur;
at tibi & certa merces fuit, & magna.
Minor etiam eſt tecum collati fama Marcelli,
qui primus docuit Annibalem poſſe vinci;
at tibi Maxentius ceſſit immanior, niſi fortior:
ille Honori, ac Virtuti dedicauit ædes Romæ,
ſed ipſa Roma tibi.
non obſtitit, crudelitas virtuti, quam prodidit,
non honori, quem auxit.
fragrauit magis fama de fimo.
vera vox: nihil religioni magnificẽtius vidit Roma,
quàm paſtorem populorum ſtabularium factum.

XVI.

XVI. Kal. Februarij. 17 *Ianuar.*

S. ANTONIVS
Abbas.

Synopsis. *Aegypti superstitiones aboleuit. Nemora consecrauit pietate, & sua, & suorum. Kakodamones ferarũ, & variorum monstrorum specie sibi diuina meditanti molestiam exhibentes peruicit, fugauit, elusit.*

ENCOMION 23.

Vrbem, Antoni, fugiens, tecum traxisti vrbes;
opacitati nemorum intulisti lucem:
nec tamen inter vmbras fuit vmbratilis,
sed expressa virtus tua.
illustrata sunt abdita lustra ferarum.
resonare solita vlulatu Bacchico nemora,
resonuerunt dulciùs gemitibus tuis.
didicit Memphis, bouem non amissum plangere.
sed inuentum frangere.
Osiris nõ tam acerbũ sibi Typhonẽ, quàm te sensit. *Mythol.*
cum Stygio congressus hoste
mutasti siluas in præliarem campum.
ardẽtius tu sub vmbra, quàm alij sub Sole, pugnasti.
versatus es inter densas nemorum quercus,
vbi promptę, paratęq; erant quercus victrici comę.
ficta vicisti monstra,
sed potior Alcide, qui vicit vera.
sub tectis eorum formis patuit sęuities magis:
facile tibi fuit versari cum veris belluis,
difficile cum simulatis;
sed hæ superatæ fecerunt verè victorem.
inter scenas frondosarum arborum
histrionicam egerunt scenici KaKodęmones;
ludum dederunt, sed ludibrio suo;
fabulam dederunt tibi comicam, sibi tragicam.

XV. Kal. Bebruarij.

18 Ianuar.

S. PRISCA

Virgo, & Martyr.

Synop. *Quòd Apollinem adorare nollet, alapis cæsa. Leonibus quoque famelicis obiecta, & in flammas nequicquam iniecta, in omnibus pœnis præclara de se constantiæ spectacula dedit. alluditur etiam ad ipsius nomen.*

ENCOMION 24.

Superauit Prisca veteris exempla constantiæ,
nouum fuit, & inauditum quod virtus præstitit.
mirata est antiqua superstitio se à Prisca deleri;
nihil accepit lętius, quàm à lictore alapas,
nimirum, vt rubentibus in genis
insideret libentiùs pudor.
tunc euasit illustrior,
cum iussa clarum Apollinem colere, spreuit:
cum eum ex falsæ diuinitatis Oriente
compulit indecorem in Occasum.
vel ob hoc visa est Apolline maior,
quòd ille vim in leone, hæc in leonem habuit,
mitem enim fecit in amphitheatro leonem.
iam quæ ferinos elusit vngues,
etiam feri carnificis spreuit vngulas.
per laceri corporis sulcos
proseminata gloria
sanguinis excepit imbrem, vt cresceret.
In medias virgo iniecta flammas
nihil aliud præter splendorem accepit;
vetus prodigium Babylonij ignis
in se renouauit Prisca,
sed recens est semper eius facti gloria.
ideò accepit ab antiquitate nomen,
vt impios antiquaret ritus.

XV.Kal. Ianuarij

S. LEOBARDVS

Inclusus. 18 Ianuar.

Synop. *Inclusus est dictus, quòd intra specum semper lateret, diuina, atque cœlestia versans: sed haud multò post patuit eius virtus prodigijs. frigidos maximè morbos curauit. saliuam opponebat venenis.*

ENCOMION 25.

Non esset tam in aperto tua, Leobarde, fama,
nisi enisus esses, vt foret in operto pietas.
dictus es cognomento Inclusus,
tunc maximè cum foris eras,
libera scilicet mente diuagans per cœlestia.
sed inclusus ægrorum reclusisti oculos;
in obscura conditus specu donasti lucem.
Cœlum fecisti ceteris quidem speculum oculorũ,
tibi verò amplum theatrum mentis.
Multa in illa latebra mira fecisti;
vnum assequi non potuisti,
ne se insinuaret Fama per rimas.
Frigidos in primis corporum curasti morbos,
ideò, quia pietate flagrabas.
saliua oris restinxisti venena;
nempe verita mors est vitæ venam, os tuum:
extinxisti fusam ex ore Cerberi spumam;
ore tuo in preces effuso.
Celer in aliorum propaganda vita fuisti,
sed defixus in tuæ consideratione mortis:
tumulum tute tibi effodisti, dum viueres;
voluisti tua manu lapidem sculpere,
vt aspectu lapidis obdurescere morti:
mirata mors est, colliquescere te in lacrymas solitũ
confirmatum tamen, & obduratum sibi.

XIV.

XIV. Kal. *Februarij*

19 Ianuar. SS. MARIVS, ET SOCII

Martyres.

Synop. *E Perside cum suis Romam ad visenda Martyrum sepulchra se contulerat; ibi omnes igne damnati; quem, contra morem patrium, non colebant. amputatis manibus, & de collo suspensis ducti per vrbem sunt.*

ENCOMION 26.

Inter Persicas gazas, & spolia
nihil vidit opulentius Roma,
quàm nobilem Persam Marium cum familia.
Religionis fama victricis traxit eos Romam
libero triumpho captiuos.
tãtam ingressi vrbem aliud quęsiere prꝥter vrbẽ;
non veteris reliquias gloriæ, sed nouæ,
analecta Cælitum, cineres:
non ardua tecta, sed subterraneas specus,
non theatra mirati, sed carceres.
Spectaculũ & ipsi in vrbe dederũt virtutis Persicę;
in flammas impunè coniecti;
profecti è patria, in qua colebatur ignis,
non ipsi ignem, sed ipsos veneratus est ignis.
noui pugiles miros excitarunt plausus:
sed vbi se aduersarius superari vidit,
victrices iussit amputari manus,
de ceruicibus ferri suspensas.
circumlati per vrbem sunt,
ne pugillatus careret victoriæ gloria:
non aliũde aptiùs pendere poterãt strenuę manus,
quàm ante animosa pectora;
suspensæ de collo, vnde vox generosa edita
testis verę diuinitatis, & cultrix:
ita probrum cessit in decus, manus in torques.

XIV.

XIV. Kal. Februarij

S. PONTIANVS 19 Ianuar.

Martyr.

Synop. *Pertulit constanter ignem, & liquatum plumbum infusum humeris. Præfertur Herculi, qui humeris tulit astra; præsertim cum non vnum, sed duos leones in ipsum immissos strenuè vicerit.*

ENCOMION 27.

Dign⁹ es, q calces sidera, calcato tã cõstãter igne;
impressa reliquisti vestigia gloriæ,
tantò clariora, quantò ignis ardentior.
alacrius, ac leuius transilijsti flammam,
quàm illa circa te volitauit.
pyropos tibi visus es calcare, non pyram:
Religionis Princeps subiecit suis pedibus aquam,
tu (det ille veniam) principem elementorũ ignem;
tendens in patriam aberrare non poteras via,
qui ambulabas tuarum in luce flammarum.
quot igneæ circa te linguæ vibrabant,
tot habuisti constantiæ tuæ præconia.
Liquatũ deinde plũbũ igne nõ lęsit, qa nec ignis.
nunquam insurrexisti leuior in hostes,
quàm cum infuderunt plumbum humeris,
fortior fuisti, & nobilior masſã sustinens plumbeã,
quã qui sustinete dictus est orbes astrorũ aureos.
nec vnus in te Nemeæus immissus est leo,
sed duo in Circo stimulati fame,
ad tuos acciderunt ambo abiecti pedes.
qui elementorum subieceras principem,
idem & animantium subiecisti.
potuisses humeros tegere duplici leonum spolio,
sed maluisti eos tegere super iniecto plumbo,
nempè vt obsignares illo victoriam.

XIII.

XIII.Kal.Februarij

29 Ianuar. **S. SEBASTIANVS**

Martyr.

Synop. *Fortior dux visus in perferendis iaculis, quàm cũ pugnabat in acie, in vibrãdis. ea porrò iacula, quib⁹ est confixus, cum Apollinis radijs, cũ coelesti Sagittario, cum coronatorum item Aethiopum iaculis conferũtur.*

ENCOMION 28.

Triumphasti ornatiùs nudatus ad palum,
quàm barbaricis indutus spolijs Imperator.
non tàm nobilis fuisti vrbium præda victarum,
quàm cũ tu ipse furoris factus es præda, sed victor:
Greg. Naz. Iacula ferens tua excurrit fama multò velocior,
quàm Abaris ille sagitta fretus Apollinis. (&ior
tot libẽter accepisti iacula, vt esses paratior, & instru-
in pugna inita aduersus inuisos tibi Deos.
nisi quòd nullus esse debuit arundini locus
in tam constanti virtute Ducis.
cum corpus sagittis onerarunt, fecerunt pharetrã.
cum intulerunt pœnas, extulerunt te pennis.
vtrinque pugnatum est neruis intentis;
at meli⁹ collimasti tu neruis animi, quã illi arcus.
sagittarum cuspides cesserunt in radios.
nunquam tàm serenum tibi fulsit Cœlum,
quàm cum inumbratum est tuorum nube telorum.
Laertij sic loqui. lucidiora sunt tua, quàm quæ Sol habet tela diei.
pulchrius tuo tu nites in Sagittario;
vt sidereas sagittas superas numero, ita splendore.
Voluisti post necem tumulari à Lucina matrona,
vt haberes, vel moriens, obstetricem gloriæ.
Lucian. cũ circũdatum est caput sagittis in coronæ modũ,
dicereris imitatus Aethiopum morem,
nisi fuisses candidatus Cœli.

XII.

XII. Kal.uarij

S. AGNES

21 Ianuar.

Virgo,& Martyr.

Synop. *Alluditur ad eius dictum. Sanguis Christi sponsi ornauit genas meas, item ad nomen victimæ proprium laudatur cùm pudor, tùm mira in puella constantia, & subeunda necis pro sponso desiderium.*

ENCOMION. 29.

Maluit Agnes vellere cruento esse, quàm aureo.
nunquam pulchrior sibi visus est pudor,
quàm cum in eius insedit genis,
nempe diuini sponsi sanguine illitis:
quid illa castius, cui lupanar cessit in templum?
mira res. sedit in prostibulo magistra pudoris.
quid illa promptius? adoletur agna nõdum adulta,
imbuit lacteo cruore secespitam.
defluxere de tenui corpusculo vincula,
quippe libera mactari voluit hostia;
infulæ non magis victimæ insignia fuere, quã regni;
adeò regium prę̨tulit animum.
odit moras, increpuit victimarium agna balatu,
torpentem dexteram cunctantis excussit.
inter rubentes aræ flammas
magis erubuit impietas victa.
non oportuit abdita notari huius viscera victimæ,
lætanè, an tristia essent auspicia:
patuit hilaritas vel fronte, vel gestu.
plus inuentum est roboris in miti agna,
quàm in ea gente, cuius fuit auctor
nutritus à fera lupa.
vanæ fuerunt olim hostiæ dictæ Prodigæ, Festus.
hac litatum est, quæ immolanda cucurrit ad ferrum,
prodigiosa constantia, sui prodiga sanguinis.

XI. Kalendis Februarii

22 Ianuar.

S. VINCENTIVS
Martyr.

Synop. *Igni ambustus est, excruciatus item fragmētis testaceis, & vngulis ferreis excarnificatus. sub dio cadauer iacens à feris tutatus est coruus, & rostro & alis eas abigens. Denique in mare demersus est.*

ENCOMION. 30.

Salue Hispanicæ virtutis auspex, Vincenti,
legionum semper victricium signifer.
acclamatus es victor antequam miles;
Non alienis indiges ad præconium linguis;
satis clarè te victorem illæ loquuntur,
quæ tui rogi micant in flamma.
magis tu per ora volitas omnium,
quàm hæc per latera volitauit tua.
Fixisti inter sarmenta trophæa victoriæ;
pyra ipsa nobilem tibi cessit in pyramin.
Tractus deinde per fragmenta testacea
ostendisti, frangi non posse virtutem.
Cum te lictor totum ferreis concerpsit vngulis,
dubium reliquit, vtrùm plures fecerit vias,
manantinè sanguini, an potius gloriæ.
proiectus post necem iacuisti sub dio,
vt testem faceres constantiæ Cœlum.
custodem cruēti corporis rapacem nactus es coruū,
qui rostro, qui alis te defendit à feris.
præsto fuit olim Vati coruus, vt ille comederet,
tibi, ne comedereris:
Infidus alter nuncius pastus est cadauere; (tis.
leuū illud omē fuit adhuc irati Dei, hoc dexterū mi-
frustra quoq; te in mare demergunt, phócarū cibū.
parcent marinæ belluæ, cui pepercere siluestres.

X.

23 Ianuar.

X. Kalend. Februarij

S. CLEMENS

Episc. Ancyr. M.

Synop. *Per diuersa loca distractus poenis varijs, & diuturnis, vt barbaris stupori esset. proferuntur genera supplicierum, & nomina præsidum, sub quibus est passus, quæ potius omina ipsi fuere præclara victoriæ.* *sub Diocl.*

ENCOMION 31.

Clemẽtis animo nihil atrocius in perferẽdis pœnis,
Victi sunt atrocitate lictores in inferendis.
Octo supra viginti annos sub acie ferri fuit.
semper recisus, semper renascens cæde.
habet & sua monstra religio monstrorum domitrix.
immortalem aiunt à Barbaris ipsis putatũ, & dictũ.
scilicet hostili falce vsus est, vt meteret gloriam.
Explere cupiens omnes pœnarum numeros,
socium sibi adiunxit Agathangelum.
huic cum candẽtem galeam à lictore vidit imponi,
alacrior ipse factus est auspicio pugnæ.
Accepit à matre puer vaticinium cędis,
libentius, quàm acceperat auspicium vitæ.
obtulit morienti matri corpus suum libandũ osculis,
ablui voluit maternis lacrymis antequam sanguine.
Adoptat⁹ deĩde à sapiẽte matrona, cui Sophia nomẽ,
philosophari cœpit non sub porticu, sed in campo,
non pallio indutus, sed penè exutus corpore.
Vnumquodque cruciatus genus decerpsit partem,
totum apertum est corpus ad vulnera,
quia lato fuit opus exitu magnæ animæ.
Quàm celsum sibi proposuit constantiæ culmen,
qui tot mortis superauit gradus?
Latera sulcis ęxarata tot vulnerum
quid ni vberem illi parerent segetem glorię?

Quàm fortis pugilis manus, quę contempsit ferreas?
pugnauit? an lusit in amphitheatro cum belluis?
Volubili rotæ, ne læderet, clauum constantiæ fixit.
In calce defossus candidus exiit inde, non candens:
Confixus obeliscis, eos sibi erexit in titulum.
Nemo tàm diuitem se solido putauit in auro,
quàm hic liquato mersus in plumbo.
Acutæ subulæ, quæ candentes insertæ sunt digitis,
ipsum acuerunt ad pugnam.
Non violatus est prunis, sed iacuit vt in viola.
Toto ferè orbe terrarum circumlatus ad pœnas,
vestigia reliquit vbique virtutis,
hoc pulcriora, quòd cruore purpurea;
nempe regium iter strauit ad gloriam.
in altis suppliciorum aceruis
nobilius trophęum statuit.
Omnia pœnarum loca faustum illi fecere omen.
Ancyra.i.anchora, firmitatis, Nicomedia victorię,
Roma laureati triumphi;
nisi quòd augustum fuit tot spolijs Capitolium.
purpurati Imperatores victi erubuerunt duo.
præfecti infecta re abierunt nouem.
vnus ipse, & Domitianum domuit, & Domitium.
Agrippinus lasso in pugna pede defecit;
Inanes fecit omnes Curitij curas;
Aphrodisiũ spreuit, vt Venerẽ spreuerat Aphrodisiã.
nactus inter cæteros perfectũ, cui nomen Sacerdos,
statim se obtulit victimam pro victoria.
Lucius eum supplicijs clariorem fecit:
Alexandro victo ipse factus est Magnus.
Parũ dixi. vltra magnitudinẽ fuit omnẽ hic heros,
quia & Maximianum vicit, & Maximum.
Stulti fuerũt, cum tot in illum concitarunt fluctus;
scilicet putarũt, anchorario fune carere Ancyrianũ.
nimis immanes, qui sæuierunt in Clementem.

Agrippa idest ager pedibus.

Ἄγκυρα idest anchora.

IX.

IX. Kal. Februarij

24 Ianuar.

S. TIMOTHEVS

Episc. Ephesi. M.

Synop. *Quòd indignans Ephesiæ Dianæ festum perturbasset, lapidatus est ab ethnicis. præfertur alteri Timotheo Atheniensium duci, in cuius dormientis rete fingebant Fortunam inserentem vrbes, & regna.*

ENCOMION 32.

Habuisti Dianam obstetricem gloriæ vel inuitam,
tunc cum eam Ephesi maximè afficiebas probro.
desijt per te arrogare sibi propriũ diuinitatis lumẽ,
quæ luce lucet aliena.
accepisti Romano more veræ nobilitatis insigne, *Plutarc.*
cum spretam Lunam affixisti pedibus.
Anaxagoras lapidem dixit Solem, tu etiam Lunam.
nisi quòd ille Solem lapidem putauit igneum,
Tu Dianam putasti frigidum.
Appetitus es impiè à vulgo lapidibus.
quòd lapideam piè dixisti Deam.
at nihil accepisti à saxis, nisi soliditatem.
omen illa fecerunt excitandis delubris tuis;
præbuerunt tuo materiam mausoleo.
nunquam tam prospero velificatus es cũrsu,
quàm cum, spreta Diana noctiluca, incidisti in saxa.
scidisti venatrici animorum perniciosa retia,
Petri retibus orbem terrrarum sanctè capturus.
Atheniensiũ olim ducem, eodẽ nomine, Timotheũ
habere finxerunt intra rete vrbes, & regna, *Plutar.*
sed capta Fortunæ verriculo,
dormiente illo, ac segniter feriato:
at tibi laborioso præsuli, atque peruigili
nihil fuit cum Fortuna commune;
libenter accepisti lapides, vt eius sisteres rotam.

VIII.

VIII. Kalendis Ianuarij

25 Ianuar.

S. PROIECTVS
Episc. Aruern. M.

Synop. *Mater sibi visa est per quietem abluere infantem balneo cruento. antistes factus est, ac necatus pro religione ab Vrsio sicario, qui postea resipuit; in loco autem cædis splendida apparuit stella.*

ENCOMION 33.

Nemini Regum tã fausta fuit genesis, quã Proiecto,
notata calculo non candido, sed purpureo.
visa est sibi videre mater in somnis
recens natum infantem lauere balneo,
non alijs vnguentis delibuto, quàm sanguine,
byssinas fascias verti in purpuram.
stupuerunt ad tanti vmbram prodigij vates;
prædictus est à multis futurus bellator in campo,
hostium innataturus in sanguine;
sed illi vaticinati sunt verius, qui prædixerunt,
prodigum hunc fore cruoris, non alieni, sed sui.
haud vlli mathesis præclariorem fecit horoscopum.
triumphali donatus est munere nondum miles,
iam puer à matre alebatur ad laureas;
lac infundebat in pretium sanguinis.
Accepit postea præsul vulnus in pectore,
nempe vbi residebat amor optatæ necis.
sicarium habuit, cui nomen Vrsio fuit;
resipuit hic tandem à cæde:
lambendo pastoris sanguinem, vrsus euasit ouis.
Statim emicuit: stella imminens necis loco;
prodigiosius hoc (si fas esset dicere) videretur factũ,
quàm quod nascenti contigit Deo;
quia scilicet hic sidus accendit extinctus morte;
nisi fortè ostendit, cędem sibi fuisse natalem.

VII.

VII. Kal. Februarij 27 *Ianuar.*

S. POLYCARPVS
Episc. Smyrnen. M.

Synop. *Hæreticos est insectatus, Marcionem in primis. in-iectus est in flammas; quæ instar carbasei veli prodigiose surgentes eum exceperunt. per quietem sibi pridem visus erat cubare in puluinari igneo.* *sub M. An.*

ENCOMION 34.

Non vltimam meruisti, Polycarpe, triumphi lauream.
qui primogenitum domuisti tyranni Stygij.
sic appellasti, cui opposuisti te, Marcionem,
ausum opponere Deum alterum Deo;
secuit ille diuinitatem bifida lingua,
sed vna obstitit acrius tua-
ea de re igni vorandus es traditus,
sed ipse obstupuit ad prodigium Marcio,
cum vis omnis emarcuit flammæ.
nihil illo spectaculo maius visum;
amplus ignis tanquam nauigij velum intumuit,
Aquilone aperiente sinum;
tu in medio stetisti incolumis,
mirante nouum remigij genus Natura;
quasi carbaseas proiectus in flammas,
inter liquidos ignes velificatus es gloriæ,
quinetiam mirus afflatus dicitur odor è rogo;
non egebat ara thure pro tali victima.
flammas subijsti antequam ferrum,
quia exardescens sanguis amore pœnarum
sibi cognatas cucurrit ad flammas:
videras pridem in somnis tuum ceruical ignescere;
præsensisti ignẽ tibi non molestiæ, sed quieti fore;
quanto igitur splendore, Polycarpe, fulsisti? (put.
cui vel in tenebris dormiẽti radiatũ explenduit ca-

VI.

28 Januar.

VI. Kal. Februarij

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS
Episc. Constantinop.

Synop. *Eius religio, & admirabilis eloquentia commendatur: alluditur ad aureum nomen. Eudoxiæ statuam sustulit è ludis profanis; ipsam quoque templi aditu repulit. Leonem interemit. Veneris idolum fregit.*

ENCOMION 35.

Chrysostomi oratio perennis funditur instar fluminis,
nisi quòd sonanti procella sæpe abit in fulmina:
Natura illi fuit auri prodiga, virtus prodigij.
auro suo aliorum detinebat aures,
sed ab alieno ipsorum continebat manus.
Hercules videri poterat aurea catena deuinciens aures,
nisi Herculem aurea deuinxisset Venus.
aut Berosus Chaldæus aurea exsculptus lingua,
nisi docuisset non obseruare sidera, sed calcare.
mirum, quòd, cum ore dictus sit aureo,
non in dicente fuerit, sed in audiente auri pallor,
cum fulgurabat ore, cum tonabat.
expalluit in ipsa purpura Imperatrix:
expalluit etiam nimbo cœlum, cum morte palluit,
tunc maximè visus aureus, cum obijt.
Torrente profluo rapuit corda vel saxea.
quidam fluuij duritiem inferunt lapideam,
Plinius. nobilior hic, qui abstulit.
cum tempestatem irata commouit Eudoxia,
fecit, vt in fluuio commotum appareret aurum;
fuit illa quasi Tagi pretiosa tempestas.
Statua hũc simulassẽt aurea, nisi ipsemet fuisset aureus
vel ob hoc statua dignus in templo aurea,
quòd sustulit è Circo indignam cultu argenteam.
Inuictos, videlicet, & generosos hausit spiritus,
vel

vel quòd parente natus exercitus Duce,
vel quòd eidem victori nomen fuerit Secundo?
mira res. inter ferrum, & æs ille versatus
sobolem hanc edidit auream?
Secundus nomine protulit hunc gloria primum.
plus filius sermone potuit aureo,
quàm pater mucrone ferreo.
validioribus idem intorsit lacertis
amentatam orationis hastam in amentes?
quò magis hic angustijs pressus,
eò latior virtuti patuit campus.
Leonem apud Antiochiā cruentum cæde multorum
interfecit, sine venabulo, sine claua.
potuit onustus spolio leonis incedere,
nisi fuisset populi pastor;
ne pauidum deterreret gregem;
delectatus est melote, non iuba.
Cesserunt illi non modò leones nemorum,
sed aquilæ Cæsarum,
nempe ipsam Eudoxiam inermis ab aris repulit;
nunquam fuit augustius templum,
quàm cum exclusit Augustam.
Neque illi auspicia defuere materna;
Anthusa genitus est matre flos aureus. *ἄνθος Flos.*
nihil tàm cum venustate coniunctum fuit,
nihil tam à Venere disiunctum;
ne ab illa videretur accepisse orationis flores,
hostili odio delubrum Veneris euertit funditùs,
proprio eam tumulauit in puluere;
fecit, vt Venus esset ipsa sibi Libitina.
Nihil in Chrysostomo fuit nō excellens, & summū,
nec tamen illa virtute caruit, quę dicta est aurea,
nempe mediocritate; *Horat.*
potuit hic haud falsò montes polliceri aureos,
se ipsum diuite mente sublimem, *vide adag.*

V. Kal. Februarij

28 Januar.

S. IACOBVS Eremita.

Synop. *In eremo multis prodigijs clarus, & insignis fuit. in primis terramotũ excitauit. ex arreptitijs præcipuè curauit quandã puellã, quam postea vitiatã sua manu interemit. vt res lateret, sed resipiscẽs intra sepulcrũ viuꝰ degit.*

ENCOMION 36.

Docuisti tuo casu, Iacobe, in vitiorum pugna
timendam esse belli aleam Duci etiam laureato.
te tam præclaris tot hostium ornatum spolijs
vnus exuit Cupido nudus.
Martialem ducem peruicit imbellis Venus.
scilicet ipsa orbita triumphalis currus
volubilis admonet lapsus.
non semel is, qui victor rubuit purpura,
victus erubuit pudore.
tu, cum mobilem fecisti prodigio terram,
non præuidisti, nec te fore semper firmum.
debuisti tu quoq; tremere, cuiꝰ illa tremebat nutu.
cum Erebi monstra quasi claua domabas,
Alcidæ colus non venit in mentem.
expressisti tamen exẽplo magnum Solymæ Regem.
fuistis ambo inter voluptatis blandimenta crudeles;
immò tua manu in puellæ viscera impulisti ferrum,
quam liberaueras hoste obsessam Stygio.
vertisti beneficium in illecebræ veneficium.
at cur hoc te supplicio damnas, vt sepulchro abdas?
nempe arsisti, testaris cinerem.
incidisti iterũ in Venerẽ, sed Libitinã, ideò tutius.
certè hic vrnę non desunt, quas impleas lacrymis.
mira res. aruit laurea in viridi nemore,
reuiruit in arido cinere.

IL.

IV. Kal. Februarij

29

SS. PAPIA, ET MAVRVS Martyres.

Ianuar.

Synop. *Milites antea fuere strenui. postea cum initiati falsos, & incestos Deos probris incessérent, ipsis ora confracta sunt saxis; tùm equuleo torti, & plumbeis contusi globis, constanter vnà ceciderunt.*

ENCOMION 37.

Nunquam auspicatiores in signis fuere aquilæ Iouis, *sub Diocl.*
quàm cum dimicatum est contra ipsum Iouem.
acriꝰ Deos ogpugnastis lingua, quã barbaros manu.
vera fuit victoria de falso numine.
deseruistis signa Iouis Imperatoris,
cũ eum nostrorum robore fractum in bello vidistis,
comminuto simulacro ad nutum piorum.
mutum lapidem non reliquistis indictum,
sed ore libero maledicta iecistis,
at cum contusa vobis ora sunt saxis,
pulchrius manauit eloquium,
quia ex ore purpureo;
tyrannum cruentabat oratio plena sanguinis.
accepistis etiam maius robur,
cum distenti sunt in equuleo nerui,
nullus auriga incitatis in hippodromo equis,
feliciùs excurrit ad metam,
quàm vestro vos in equuleo.
demum in vos est infuso plumbo pugnatum;
certè nihil vnquam stultius egit hostis,
quàm cum, vt vestra confoderet pectora,
plumbeo se pugione armauit:
nimis obtuso fuit ingenio,
qui, vt vos adamantinos in acie sterneret,
obtusam plumbi opposuit aciem.

30 Ianuarij *III. Kal. Februarij*

S. ALEXANDER

Martyr.

Sub Decio. Synop. *Praeponitur hic Alexander alteri Macedoni, qui ex vulnere, & sanguine argumentum dicitur sumpsisse, se non esse Deum; cum contrà hic tunc maximè se cum Deo coniunxerit, cum pro eo sanguinem fudit.*

ENCOMION 38.

Appellatus Alexander hic etiam fuisset magnus;
nisi virtute fecisset, vt esset Macedone maior.
illi visus est orbis terrarum paruus,
hic perpetuus orbis pœnarum minor.
circumactus est per cruciatus omnes,
vt periodum absolueret vitæ laudabilis.
ambitiosus fuit eius tantùm gloriæ,
quæ propria manat sponte per vulnera.
nihil commilito ex eius laude decerpsit,
quanta fuit, tota huius Alexandri fuit.
Fortunam non agnouit ducem, qui negauit Deam;
tunc minus subiectus eius versatili rotæ,
Plutar. cum magis per omnia impunè versatus est mala.
Macedo ille cum se vulneratum vidit,
sibi visus est non prognatus stirpe diuina,
hic cum primùm sanguinem à se manare vidit,
se Deo coniunctum credidit.
ambijt ille dici filius Iouis, hic hostis.
ob hoc tantum gestijt Alexander vocari,
Plutarch. quòd in alterius ortu fanum Dianæ arserit;
hinc falsæ diuinitatis à se perdendæ
lætissimum sumpsit auspicium.
cum esset magnitudine animi penè immensa,
minor huic, quàm Alexãdro formãdo, fuisset Athos,
ideò se ipsum celsiorem per vulnera exculpsit ferro;

Pri-

Pridie Kal. Februarij 30 Ianuar.

S. MARCELLA

Matrona Romana.

Synop. *Prefertur Marcello Duci, qui Virtutis, & Honoris templum extruxit. hac barbaris ipsis venerationi fuit. nuptias Cerealis Cos. respuit, hareticos accusauit, qu iudicio se sistere non sunt ausi.*

ENCOMION 39.

Desijt fortes mirari Roma Marcellos,
cũ, & nomẽ, & robur consecratum vidit in fœmina:
huius aspectu ruinas Roma solata est suas,
in summo mærore huius acquieuit in sinu.
ex Occidente prorũpens ad Orientẽ Geticus turbo,
penè soli Marcellæ naufragium non attulit;
irruentes excepit intrepido vultu barbaros;
vel inter cruentos gladios inuenit pietas locum;
quæsitum ab illis aurum attrita excusauit tunica. ex S. Hier.
Templum virtutis sibi erexit, honoris non item,
sed excitauit illi Roma veri honoris arbitra.
Veterum imaginum fumo ignem prætulit,
dedicata videlicet Numini ara pectoris.
stemmata per Proconsules decurrentia
stabili æternitati posthabuit.
Cereali consuli se ad nuptias expetenti
remisit nuncium, vt consuleret sibi.
messem tamen vberiorem collegit gloriæ,
cum Cerealem coniugem non adlegit.
Metuenda quoque religionis hostibus heroina
citauit ad sacra subsellia perduelles;
in nocte falsæ doctrinæ versantibus dixit diem.
vel ob hoc ipsa innotuit, quòd illi nõ ausi apparere.
Tandem conscientia freta, & paratis præmijs,
inter viuentium lacrymas risit moriens.

Pri-

Pridie Kal. *Februarij*

S. CYRVS

Martyr.

31 Januar. Synop. *Appellatus est ob illustrem constantiam stella Martyrum. cum Cyro rege confertur. ardenti pice ei adusti sunt pedes. medicinæ artem exercuit. eius domus postea in templum mutata est.*

ENCOMION 40.

Dictus est Cyrus hic clara stella Martyrum.
apud Sur. sed, vt splẽdesceret clarius, vstulatus est lampadibus,
qui eum clauis affixit, stellam in Cœlo fixit.
qui admouit gladium, Orionem fecit,
nisi quòd ille tempestates agit, hic exigit;
nihil fuit illo serenius in occasu.
obleuerunt ei pice tenaci pedes,
ne patria euolaret ad sidera,
sed eo glutine inhæsere talaria firmius.
Superauit hic Cyrum alterum gloria,
nempe ille subiecto vix Oriente occidit,
huic occasus ipse Oriens fuit.
ille cum hostilem sitiret sanguinem,
in vtrem intrusus est plenum sanguinis:
sitiuit & hic cædem, quam præponebat vitæ,
& expleuit abundè sitim.
non alienum fundendo cruorem, sed suum.
ille regnandi arte inclytus, hic medendi fuit;
etiam diademata aliquando inseruiunt vulneri,
Pluta. Lysimachum sauciũ Alexãder fascia obligauit regia.
Cyrus alter materiem obtulit Solymæ templo;
at huius domus ipsa cessit in templum.
nihil opportunius animis ægris factum,
quàm vt medicamenta vitiorum, hoc curante,
promerentur de narthecio templi.

FA-

FASTI

veterum Romanorum, atque Græcorum collati cum nostris.

FEBRVARIVS.



Ebruarius vltimus olim mensium fuit, à lustratione, ac purgatione dictus, sed purissima Dei mater, ac virgo effecit sua, ne vltimus esset dignitate, qui numero. Diminutus est mensis, quia putarunt, Diis Inferis, quibus operabantur, non nisi manca & diminuta conuenire; sed decremẽtum dierum sartum est incremẽto gloriæ; præcipuos enim ex Cœlitibus nonnullis hic sibi *Macrob.*
vendicat mensis, Fuit autem Februarius in tutela Neptuni, at non sine eorum, qui erant imbuti huiusmodi superstitione, naufragio; nos certè ex huius fluctibus enatemus ad solida.

Kal. Februar. Nobilitatus hic dies est Romanorum triumphis, & magnis, & pluribus; nempè M. Coruini Cos. qui de 1
Antiatibus, Volscis, & Sarricanis; T. Coruncani Cos. qui de *Februar.*
Volsinientibus; Fabij Pictoris Cos., qui de Salentinis, & Mes- *Theatr.*
sapijs; Q. Fabij max. Cos., qui de Liguribus, Aemilij Regilij, *v.h.*
qui de Antiochi classe; L. Cornelij Dolabellæ Procos qui de 467
Hispania, & Lusitania triũpharunt, sed apud nos vnus † *Igna-* 473
tius, hoc ipso die horum omnium Ducum triumphalem vicit 487
gloriam, cum spectante Roma, & admirãte, eos le nes, quos 520
in ipsum impietas immiserat ad perniciem, currui iunxit ad 587
decus. Apud Græcos verò primo itẽ huius mẽsis die celebra- 655
bantur Elaphobolia sacra Dianæ, sic appellata à venatione
ceruorum; nobis autem proposita est venatio maior leonum *Gyral.*
Ignatij, qui non cerui more meticulosus fuit, & fugax, sed leo- *Ἔλαφος*
nibus sipsis in quos incurrit, generosior. Herculis quoque na- *Ceruus.*
talis fuit hic dies, cuius tamen gloriam *Ignatius* longè superauit, eo robore animi munitus, vt leones ad se accedere veritos ipse in se armaret audacia, & prouocaret; sed leonis spolio ideo non indutus, vt Hercules, quia illud tantæ virtutis ma-

gni-

gnitudini aptari, & adæquari non potuit. Hoc item die sacrã
Kal. Rom. Romæ fiebant in ara Vestæ, ignis præsidi, cui nos *Ignatiũ* ipsũ opponimus. Vestalibus autẽ *Brigida* virgo longè antecellit, nobilior Vestali Tucia, cui olim in argumentum virginalis pudicitiæ hæsisse dicitur in cribro aqua; at *Brigida* eãdem testanti stipes tactus repente euiruit. Iam verò ignis ille Vestæ tam cautè seruatus; & immortalis dictus eos potius fama fecit
Ouid. æternos, qui in ipsũ iniecti sunt, *Pionium*. f. cum socijs quindecim. Præterea ijsdẽ Kalendis fiebat Tonanti Ioui sacrum, cuius tñ fulmen accensum ijdem æquè spreuerunt, ac Vestæ flã-
Val. Max. mam; euanuit etiam, & auolauit illa Tonantis Iouis aquila ministra fulminis; auspicatior successit auis, nec sæua, nec rapax, quæ videlicet *Seueri* capiti, cũ præsul inauguraretur, superadstitit mitis columba. Denique Sospiti Iunoni litabatur,
Gyrald. quæ insolito more cum hasta, & clypeo efficta erat; sed se ipsã sospitare, atque ita tueri non potuit, quin exarmaretur, ac vulneraretur à nostris.

2 Februar. A Gel. IV Nonas Februar. Ater hic dies Romanis est dictus, & habitus, memoria præteritorum vulnerum. nobis certè cãdidissimus est, quia insignis candore † *lustrata* Dei matris, ac virginis. Præterquam quòd † *Cornelius* centurio memoratur religionis primogenius candidatus. ater inquam hic dies esse non potest, qui inter ceteros sacer est *Candido*, itemque *Flosculo*; neque infaustus qui *Fortunato*, atque *Feliciano*. ac certè nihil opportunius fieri potuit, quã vt purissimæ Dei matri lustratæ quasi pudicitiæ testes se associarent, & *Candidus* simul, & *Flosculus*, nec deessent, qui eius felicissimæ sorti plauderẽt, *Fortunatus*, & *Felicianus*. Cæterùm hæc lustratæ Deiparæ celebritas, quæ fit datis cereis tædis ei ex aduerso respondet, quæ olim Februę expiationis Deæ dicata erat. Februum enim Sabinorum lingua purgamentũ, & lustratio dicebatur. per duodecim igitur Februarij mensis dies pro impetranda mortuorũ Manibus qete populus omnis piaculis sacrificijsq; cum facibus, ac tędis cereis erat intentus; apud nos certè funestũ est nihil, vbi Dei mater delubro se sistit, vnà cum auctore vitæ, quem peperit; nec ferales, sed auspicatas præferimus faces, vero lumine caliginosis antea terris oborto, mundoque verè purgato.

3 Februar. III. Nonas Februar. De huius diei gloria nihil decerpit antiquitas. laus omnis in antistitem † *Blasium* redundat, in cuius tutela,

tutela vox est.desiit Angeronam Deam inuocare *Roma*,cum anginæ mederi *Blasius* cœpit.commodùm item facer hic dies est *Remedio*,qui cum *Blasio* vel eam ob causam societatem habere vult gloriæ.& quoniam medela tunc maximè grata est, cum citò exhibetur, opportunè quoque † *Celerinus* martyr occurrit,& auia *Celerina*.hi omnes quidem per vulnera ferrũ seuijt,etiam in ipsum *Remedium*.sed quo euentu, indicarunt duo,qui se adiunxere,*Felices* nomine.

Pridie Nonas Februar.Aegyptiacus hic dies est dictus, & infaustus habitus;nihil aggredi audebãt,quasi tũ reflante Fortuna; at contrà faustissimus nobis est, vel hoc, quòd facer est *Eutychio*, cuius tumulum *Damasus* immortalem fecit carmine.assecutus est quod promittebat nomen, vt benè fortunatus esset,non tàm vt Achilles Homeri carmine,quàm summi parentis,ac vatis oraculo.Est item hic dies *Philea* facer Thumensi præsuli,ac penè vniuerso eius gregi vnà cum pastore pro religione mactato adde *Philoromum* tribunum cum ingẽti agmine laureato,& † *Robertum* tutorem pudoris;quorum rebus præclarè gestis,ac literarum laude dignis libenter se adiungit sapientia,quæ in *Isidori* Pelusiotæ scriptis elucet. 4 Februar. Gyrald. εὐ bonῆ τύχη Fortunæ.

Nonis Februar.Cæsar primùm est appellatus Augustus, ac patriæ pater.atqui hunc diem celebriorẽ facit † *Agatha*, quæ verius patriæ parens,& fuit, & esse non desinit,quoties effusa ex Aetnæ cratere sæua vis flaminæ obiecto velo cõprimitur. immortale certè nomen est eius,quæ toties effecit,ne periret, neuè arderet in rogo patria. Præterea hic idem dies insignis olim fuit Romæ triumpho Iunij Peræ Cos de Salentinis, & Messapijs acto. verùm apud nos,& nobilioribus & pluribus est triumphis insignis: in Ponto quidem plurimorum,qui de Maximini immanitate superata laureã retulerunt; in Gallia verò † *Auiti* præsulis de Arianorum perfidia. Nec vacat specioso triumpho mors trium ex Ignatij Loiolæ disciplina, qui præter ceteros in Iaponia strenuè ceciderũt, *Pauli, Ioannis, Iacobi*,quamquam enim nondum nomina publicis in scripta sunt fastis; at certè aris,& sacris Cœlitum proprijs culti. hos ipse hostis imposuit in currum, quẽ illi fecere triumphalem: vt veteris Romæ gloriam, sed multò illustriorem spectare liceret in Barbaria vltima.resectę sunt illis aures, ne videlicet triumphi plausus audirent;sed nunquam melius audierunt:aurium autem diminutione perlata con- 5 Februar. Gyrald. Ouid. Onuph. 487.

6 stanter, aucta sunt numero plaudenti um ora,

Februar. VIII. Idus Februar. Ater dies Romanis fuit; nobis partim cãdidus, partim purpureus. Cæsareę quidem præclara †*Dorotheæ* virginis nece, Bononiæ verò *Guarini* pręsulis, ac Romani Principis Prænestini purpura. Iucundũ item, & illustrẽ facit hunc diem *Amandus* vir è clarissima familia in Aquitania natus qui tamen aulica blandimenta non modò non amauit, sed tam infensè odit, vt se in religiosam vitam penè puer abdiderit, strenuè in palæstra virtutis exercitus.

A. Gel.

7 Februar. VII. Idus Februar. C. Iulius Cæsar Dictator ouans ex Albano monte in Vrbẽ inuectus est equo. sed clarior apud nos victoria *Theodori* exercitus ducis fuit; qui Licinio Cæsari in religionis causa strenuè restitit. Nec minus glorię cõsecutus est in Phrygia *Adaucus*, qui Italus genere, ac p omnes ferè dignitatum gradus prouectus, complures quasi milites aduersus impietatẽ eduxit in aciem; quamquam hic triũphans potius, quàm ouans dicendus est, quia non sine triumphali sanguine res est acta; At † *Romualdo* nemora ipsa lauros tulerunt. Deniq; *Richardi* quoque Britanniæ regis sanctissimi virtus omnem Cæsarum laudem inobscurauit.

Gelzius.

8 Februar. XI. Idus Februar. Octauũ quemq; mensis diẽ Græci Vulcano sacrarunt ignis Deo. apud nos sacer est † *Paulo* Virdunẽsi antistiti, qui ex ardẽti clibano euasit illęsus, cuius igni superato, glorię sibi lumen accendit. eundẽ diẽ fecit illustrẽ *Lucius* ipse pro religione constanter dimicãs Romæ; itẽ in Perside multi, qui sub Cabade rege Persarũ strenuè ceciderũt. *Iuuentius* verò præsul cũ perditis moribus colluctatus, iuuenile robur simul, & senile consilium ostendit, effecitque vt incrementũ, & vigorẽ acciperet ipsa religio, quã, & apud Ianuẽses, & apud Astenses populos introduxit. quamobrẽ, & huic, & ceteris meritò, & aptè se *Honoratus* adiungit.

Alex. ab Alex.

9 Februar. VI. Idus Februar. Non est cur veterũ decora requiramus; satis hic dies illustris est ipsa virginis † *Apolloniæ* flãma, quæ admirabili spectaculo constãtiæ lictores eludens, saltu præcurrit in pyrã. sed certauit de gloria vnda cũ flamma; quippe *Ansberti* Præsulis memoria est, cuius pietas vbertim manauit in suos, in Fõtanellæ cœnobio diù cũ laude versat i. At verò *Alexãdri* virtus quàm clara extitit? qui, vt magno altero maior esset, non modò nõ agnouit Iouem summũ Deorũ vt parentem, sed detestatus est vt hostem, tã diuersis à Ma-

cedone

cedone ſtudijs, vt cum ille ſe Iouis Ammonis filiũ dici voluerit,hic *Ammonẽ* ſibi adſciuerit ſocium,vt Iouẽ perderet.

IV. Idus Februar. Ater dies,& inominalis eſt habitus Romanis ob calamitates acceptas; nobis omnino cãdidus,nẽ pe† *Scholaſtica* virgini ſacer,quæ colũbæ ſpecie eximio cãdore cõſpicuę ſe Benedicto germano fratri ſtatim ab obitu obtulit. ſalutaris item ob *Soterem* virginem inſignem ſalutis nomine,quæ nobiliſſimo genere orta ſuorum cõſulatus, & præfecturas aſpernata, putauit nihil tam vitæ prodeſſe, quàm vulnera deſiit præterea hic dies ater eſſe, vel dici, cũ Roma *Gulielmum* vidit Aquitanum Ducem antea ſibi infenſum reſipiſcere, atque ad ſigna redire. 10 *Februar.* *Macrob.*

III. Idus Februar. Noſtrorum ornamentis hic dies contẽtus eſt,vetera negligit. *Seuerinũ* proponit, qui Clodoueo regi de vitę ſpe deiecto ſuccurrit. Sed Numidici in primis martyres ornamẽto ſunt, quorũ vbi conſtantia ceterarũq; virtutũ nitor apparuit,Numidica marmora,& minus ſolida, & vilia haberi cœperunt;vt meritò cum his cohæreãt, qui dent auſpicium,& fortitudini *Caſtrenſis*, & gloriæ *Lucius*,& euentui *Felix*. At † *Saturninus* multò verius aureũ hunc diẽ reddidit,quàm primam Saturnus ætatem. 11 *Februar.*

Pridie idus Februar. Nihil proferre vetuſtas poteſt,quod par ſit *Eulaliæ* virginis virtuti, quæ Diocletiani Cæſaris ſecures deluſit,ac faſces;equuleos,vngulas,flammaſq. cõtempſit:qua verò mente hæc eſſet inter ſupplicia, indicare videtur is,qui ſe hoc ipſo die ſocium offert gloriæ,*Gaudentius* præſul;eiuſdem quoque virginis, & moderationẽ animi, & decus inſigne pudoris congruenter comitãtur *Modeſti* omnino tres. At † *Meletij* Antiocheni antiſtitis gloria duos nacta præcones,*Chryſoſtomum*,& Nyſſenum *Gregoriũ* toti antiquitati ſilentium indixit. 12 *Februar.*

Idibus Februar. L. Papyrius Curſor Coſ., de Samnitibus triũphauit;eodẽ poſtea die CamillusGallos exegit ex vrbe: ſed multò maior *Gregorij* hoc nomine ſecundi Pont. Max. gloria extitit,qui,& Leonis Iſaurici impietati,ac furori acerrimè reſtitit, & miſſo in Germanicam expeditionẽ Bonifacio,eam regionẽ Romæ ſubiecit. Veſtæ hoc item die ſacra fiebant Romæ,in inſula verò Tyberina Ioui, Faunoq; quibus, ac reliquis ſuperſtitionibus eradendis illa ipſa gladij acies, q̃ multos è noſtris cęcidit, vſui fuit.atq; his meritò 13 *Februar.* 460 *Golzius* *Kal. ver.* *Gyral.*

H 2 quaſi

quasi victoriæ auspicijs,& coronarũ,adiungunt se *Stephani* duo.Ceterũ hic dies fuit omnino reip. Romanæ fatalis, ac
Ouid. flebilis,ea ciuium cæde, qua trecenti ex Fabijs in Veienti prælio interempti sunt:at cõtra gratulandum nobis est potiùs de nece nostrorum, in primis fortissimorũ heroũ † *Polyeucti*,ac *Iuliani*. Denique hunc diem ex atro reddidit illustrem *Fusca* ipsa virgo,quæ vnà cum *Maura*, à qua lac hauserat,fudit sanguinem.

14 Februar. *A.Gel.* XVI.Kal.Martij Hic item dies ater *Romanis* fuit; nobis purpureus,cruore videlicet pulchro, quẽ fortissimi martyres † *Valentini* duo fuderunt; quibus quid attulerit mors, socius indicat *Vitalis*.idẽ dies clarus est *Bassiani*, & *Agathonis* flamma,in quam iniecti sunt, vt magis explendesceret virtus: nec verò ater dicẽdus est,cum sit & *Antonino* sacer, cuius vis esse dicitur maxima aduersus atros Lemures Stygis, humana obsidentes corpora.

15 Februar. *Gyrar. Plutar. Ouid. Varro.* XV. Kal.Martii. Lupercalia celebrabãtur ob acceptum, vt quidã putant,beneficiũ lactis à lupa, quo conditor vrbis altus dicitur Romulus.at quantò æquius est meminisse nostrorũ,qui religionẽ aluerunt sanguine?erat autem hic ritus inter ceteros;qui maximè ad rẽ nostrã facit: producebãtur in mediũ adolescentes nobiles duo:his frontẽ gladio cruẽtato tingebant,tum lana lacte madefacta cruorem abstergebant;oportebat interim adolescentes ambos esse ridẽti ore. Atqui occurrunt hoc ipso die nobilissimi adolescentes itẽ duo, iidemq; fratres† *Faustinus*,& *Iouita*,qui pręcipuis Italiæ vrbibus fuere spectaculo nũquam hi lætiores visi, quã cum verè ferro eliceretur cruor,sed nimirum inter pœnas diuinę suauitatis lacte perfundebantur. Præterea iisdem Lupercalibus verberabantur obuiæ matronæ scuticis,idq; conferre putabatur ad partum.at ignorabãt isti ipsi, qui hoc agebãt, cum religionem vexabant,se potius eius fœcunditati seruire.Et quoniam,vti diximus,hic mensis sacer Neptuno erat, non omittendum de *Faustino*,& *Iouita* hac in re singulare prodigium;quippe Neapoli in mare præcipitati, quòd Diis essent infensi,Neptuno ipso inuito,incolumes enatarunt ad littus:nempe apud Sirenum scopulos perire nõ debuerunt, quos Sirenum illecebræ non delinierant .his meritò se addit ad pulchritudinem gloriæ *Decorosus* Præsul.

16 Februar. XV.Kal.Martii.Abundat hic dies plurimorum è nostris lau-

laudibus si vacat veterum.accersunt illas à *Iuliano* pręclarissimo martyre cum sociis quinque millibus accipit splendorem cùm ex *Porphyrij* flamma,tum ex acie gladii,qua *Seleucus* in primis Cappadox constanter occidit. quàm verò felici potita sit sorte Cāpania cum † *Iulianæ* Nicomediēsis virginis corpus accepit,ille ipse significare videtur, qui hodiernæ gloriæ consors est, *Faustinus* præsul.

XIII.Kal.Martii Parentalia anniuersaria Romę acta: at nobis quasi de funere nostrorum tristes esse nō licet, cū eos exceperit immortalitas;quamobrē † *Polychronio* Babylonis præsuli à diuturnitate temporis rectè nomen est inditū. *Secundiani* etiam, atque *Donati* ceterorumq; multorum beata mors nihil habere potest vel sinistrum,vel cōmune cum luctu.Inter hos se offert *Romulus*,q. alterius obruit gloriam; neq; n. Romā fraterno infecit cruore,sed consecrauit suo. 17 *Februar.* *Kal.Rom.* πολυς *multus* χρόνος *tempus*

XII.Kal Martii. Quirinalia erant sacra Romulo dicata; at huius,& nomē,& decus occupauit hesterna die alter *Romulus*, dignior fastis: præire enim debuit die, qui præibat gloria. Erant & Stultorum feriæ, ita dictæ ab iis, qui ritus sacrorum ignari aberrauerant à cultu,quod certè stultorum nomen toti penè antiquitati competit: quid enim erat illa omnis veterum hierurgia,nisi,vel meræ nugæ,vel mera potius stultitia? Atqui apud nos sapientium potius feriæ sunt (si modò feriata vnquam est sapientia) in primis † *Simeonis* antistitis, qui in summa senectute constanter de cruce pependit,quamquam non ignorabat, ab aduersarijs genus illud mortis stultitiam stultè dici. Indicebantur hoc ipso die Romæ Fornicalia, hoc est feriæ Fornicali Deæ dicatæ,quia nimirum far in vsum sacrorum in fornaculis torrebāt,quod nisi tostum offerre religio erat. sed iam obsoleuerunt hi ritus: commemorantur autem *Maximus*,& *Claudius* cum tota familia.qui cum illustres essent genere, illustriores facti sunt ea,quæ torruit ipsos, flamma; quid enim ex illo igne reportarint,ostendit hodiernæ gloriæ particeps *Lucius*.Deniq;Feralia hoc ipso die sacra Diis Manibus, atque inferis fiebant;magica item quædam sacra Deæ,quam Mutā, siue Tacitam dixere,ad compescendas videlicet conuiciatorū, & obtrectatorum linguas.atqui apud nos Feralia locum nō habent,qui non inferis parentamus,sed Cælitibus supplicamus. neq;verò mutos,ac tacitos esse licet in tam illustrium 18 *Februar.* *Plin. Ouid.*

ho-

heroum laude,vel iccircò, quòd Dijs conuiciari nunquam desiiterunt.

19 Februar. Ouid. Kal.vet. XI.Kal.Martij.Charistia festa erant inter cognatos missis vltro citroq;muneribus.apud nos *Gabini* memoria est, qui, *Caium* Pont.Max. germanum fratrem secutus est pari constantia: muneris magni loco fuit vtrinq; profusus sanguis. Hæc ipsa Charistia celebrarunt inter se Palæstini martyres, alijq;nonnulli; at † *Auxibio* Soliensi Præsuli nullum epulum gratius,ac iucundius fuit, quàm discumbere inter ruinas fanorum,& comminuta simulacra *D*eorum.

20 Februar. X.Kal. Martij.Vigesimus quisque mensis dies ab ijs, qui erant ex Epicuri disciplina faustus habebatur;quòd in eum diē magistri natalis incidisset:nūc apud nos ideò lętior,quia Epicuri voluptate caret.eorū vera voluptas fuit,qui in Phœnicia, & vrbe Tyro ità cōfertim se ꝓ religione deuouerūt; vt ipsorū numerus folius Dei scientia colligi dicatur. vilior deinceps visa est Tyria vetus purpura, cū hi nouā sanguine imbuerūt suo. Adde eos,qui cùm alibi, tū in Perside strenuè dimicarunt milites fortissimi centum viginti,& octo,quorū tunc maximè factum est nomen illustre,cum iussi Persarum more Solem colere,spreuerunt. quin etiam † *Eucherius* inuicti animi præsul nihil veritus claros genere dynastas,si religioni essent infensi, se præclariorem resistendo fecit.

21 Februar Ouid. IX.Kal.Martij. Terminalia Romæ celebrata,quorū ritus inde cœpit.Cū Romulus nullos posuisset fines, ac terminos vrbi,vt Romani sibi persuaderent,omnem orbis terrę ditionē ad se pertinere,quā,vti Lacon ille dicebat,hasta possent assequi; Numa pacis,quàm litium studiosior satius putauit rebus possessis constituere terminos.Atqui nostris hoc pro positū fuit piè,quod Romulo ambitiosè, vt nullos haberet alios Christiana religio terminos, quā orbis terrarum. hoc †*Petrus Manimenus* egit,cū ex Arabia impij Mahometi cultum exigere, ac veri numinis inferre nō sine sāguine conatus est. Hoc idem spectauit *Seuerinus* antistes in Africa,pręter septuaginta nouem , qui vitæ terminos suæ breues esse voluerunt, vt essent religionis longi, vel potius nulli.

23 Februar. VIII.Kal.Martij.Silet hic antiquitas omnis; cum videlicet *Petrus* religionis princeps declaratus est Antiochię summus etiam veritatis magister,ac diuinæ sapientiæ oraculum certum: hinc primū Christianorum nomē illustre manauit,

cuius

cuius nominis gloria omnis antiquitatis laus opprimitur, .f. è scapha gradum fecit ad suggestum. illa tripus Apollinis, siue mensa iterum capta est reti. accepit hamum Græcia, tum, cum attonita more piscis obmutuit. cessit piscatoris calamo literarius. intra huius maculas retis agnouit philosophia veterum, quāta esset in suis labes ingenij. porrò ex hoc *Petri*, sociorumq; Lyceo, ac disciplina memoratur † *Aristion* vnus ex septuaginta duobus; & *Papias Ioannis* auditor Hieropolitanus antistes. *Plutarch.*

VII Kal. Martij. Regisfugium ad hunc diem multi referunt. hoc nomine appellata est fuga Tarquinij è regno depulsi, cuius in locum libertate parta, suffecti sunt Consules. felix tunc sibi visa est, & florens Roma. idem certè dies nobis insignis est ab impietate fugata, quæ in terrarum orbe superba regnabat gemina, siue inanium Deorum simulacra tuēdo, siue verorum Cœlitum insectando: alteri *Sirenus* martyr vnà cum septuaginta duobus, alteri † *Lazarus* pictor egregius se opposuit. primi, vt nomine, ita religione, similis; nisi quòd ille mortuus euasit ad vitam, hic mortuos expressit ad viuum. efflorescentis autem ex horum virtute religionis testis est is, qui in hunc ipsum incidit diem *Florētius* præsul; ac ne quid desit ornamentorum, *Milburgis* Merciorum regis filia purpuram offert suam. 23 Februar. *Plutar.* *Ouid.*

VI. Kal. Martij. Caius Duillus Nepos Cos. primum naualem triumphum de Siculis, & classe Punica egit; quā primi triumphi gloriā superarunt præter ceteros, cùm *Primitiua* matrona fortissima, tum *Victoricus* laureis suis. Sed ille ornatissimus omnium triumphus fuit quem † *Matthias* vnus ex primis religionis ducibus; cum ab Imperatoris signis desciuisset Iudas, ex vlteriori Aethiopia egit; qui quoniam indicatus fertur diuinitùs, & electus radio lucis supernè misso, aptè socium habet gloriæ *Lucium* ipsum. Quamquam, & illa species quædam triumphalis pompæ fuit, cum eius, qui nostro Liberatori prodromus præijt, caput inuentum, & honorificentissimè exceptum, collocatumq; in delubro est; cui verendo capiti excipiendo videtur quodammodo suam subijcere purpuram is, qui incurrit in hunc diem, Cantiorum rex *Edilbertus*. 24 Februar. 493

V. Kal. Martij. Veteris vel fortitudinis, vel pietatis occupant, & opprimunt laudē auspicata illa nomina, *Victor*, *Victoriana* 25 Februar.

Florinus, atq; *Nicephorus*, qui præter cæteros, incredibili animi robore dimicarunt. victoriæ verò adnectitur opportunè felicitas nempe facer hic item dies est † *Felici* magni *Gregorij* atauo, cui hic quodammodo hæreditarium reliquit & præclaræ virtutis, & summi honoris gradum.

26 *Februar.* *Theatr. v. b.* IV. Kal. Martii. Fuisse dicitur hic dies Constātini magni natalis, eius videlicet Imperatoris per quem, & latiùs, & augustiùs imperare cœpit Religio. non alia sunt in eius ortu astra notanda, quàm illi Cœlites è multis auspicatissimi, *Faustinianus* videlicet, & *Fortunatus*, & *Felix*. Aegyptiacus hic dies dicebatur, & inominatus fuit, atq; infelix; sed hi, quieum auspicatissimis nominibus consecrarunt, superstitionē omnem aboleuerunt; effecerunt q; vt lætus omnino haberetur, ac faustus. Ceterum non audent, vel Roma cum nostro † *Victore* contendere, vel Græcia cum nostro *Nestore* conferre *Februar.* Homericum: neq; enim tātum ille cōsecutus est laudis, q ex ore melle dulcior manaret oratio, quātum hic, quòd è venis manarit sanguis pro religione profusus. *Porphyrij* quoq; incredibili animi magnitudini apud veteres par est nihil, qui non dubitauit celeberrimum illud, quod erat in vrbe Gaza fanum Marræ deo dicatum, hoc est Ioui, funditùs euertere, ac diruere impunè.

27 *Februar.* *Varro.* *Festus.* *Ouid.* III. Kal. Martii. Equitia in cāpo Martio celebrata, in quo incitatis excurrebant equis. at nobilius equitauit hoc ipso die *Iulianus* martyr, cum camelo impositus ad probrū circumductus est per vrbē, flagris interim hoc agētibus vt citatior esset ad cursum, & beatitatis metā attingeret citius. Hoc idē die Apollinares ludi dati sed maius dedere spectaculum sui *Alexander, Antigonus* ac ceteri qui lusere supplicia

Kal. Rom. † *Leādri* verò p̄fulis vita q̄d aliud fuit? nisi citatus sine offēsione cursus ad gloriā. opposuit se illi Ariana impietas, ne metā attingeret, sed impetu ipso hāc abiecit, atque afflixit.

28 *Februar.* Pridie Kal. Martii. Tarquinius cognomēto, & re Superbus in prælio superatus, atq; oppressus est: sed multò maiore cū probro, ac strage Dii ipsi principes, auctoresq; superbię, qui in orbis terrę imperiū inuaserāt, profligati, ac deleti sunt, à *Theophilo* q̄dē Romę, à *Serapione* verò cū sociis Antiochię; quibus lictorum ferrum cessit in falcē, vt meterēt gloriā, q̄d ex ipsis significasse videtur ēt nomine *Cerealis*. at † *Romanus* cōmunē ipsum hostē inter virgulta clā vicit in nemore, sed fama in lucem extulit, declarauitq; victorē. Kal.

Kal. Februarij

S. IGNATIVS

Episc. Antioch. M.

1 Februar.

Synop. *Deifer est appellatus. multa crudeliter à satellitibus passus in via, demum Romæ leonibus obiectus; paratus erat eos lacessere ad morsum, si fortè abstinerent à præda frumentum ipse se dixit pro Christo molendum.*

ENCOMION 41.

Appellatus esses in castris religionis Ignifer,
nisi appellari maluisses Deifer. *vide adag.*
non putasti, te deflagrare verè amoris igni,
nisi in re incenderes belluas,
eodem voto, quo, vt præda fieres, incenderas Cœlũ.
penè acrius fuit præludium pugnæ, quàm pugna;
congressus es cum leopardis decem in via,
antequam cum leonibus in cauea,
nactus es homines feritate indutos,
qui optabas nancisci feras humanitate exutas;
hoc vnum metuisti, ne belluæ te metuerent;
sciebas obiectum leonibus ignem esse terrori,
irritare voluisti eos clamore, immò exacuere,
vt accenderes in eis iram, ne in te timerent ignem.
quos exarmare poteras imperando,
amare placuit lacessendo.
generositatis tuæ fuit, leones nolle degeneres,
augustum amphitheatrum tantæ virtuti fuit;
numerosior tua laus, quàm huius arena.
nobilius putasti expoliari te corpore,
quàm iubato indui spolio.
frumenti modo te commoli velle dixisti,
quia messurus eras ex pœnis gloriam.
sed mirũ; quòd quãtò magis prodigus frumẽti fuisti,
tantò maius illi feceris pretium.

IV.Nonas Februar.

2 *Februar.*

S. CORNELIVS
Centurio.

Synop.*Primus hic ex ethnicis ab Apostolis religione initiatus est, obiectus Petro per visũ,ac significatus in linteo anguibus pleno,sed in coelũ postea recepto.præfertur Cornelio Cosso Romano.apud dirutum fanum sepultus est.*

ENCOMION 42.

Iure is sibi vendicat partem præcipuam laudum,
qui nationum in se primitias consecrauit.
Primipilus cohortis, primigenitus religionis fuit,
ferrum impendit in hostes,aurum in pauperes.
simul incendebat,& votis Cœlites, & voce milites.
Petro anguis specie adumbratus in linteo,
felix præda cerui venantis fuit.
receptus tandem in Cœlum est inter sidera,
vt Serpentario micaret illustrius.
Ex centurione postea dux,& imperator factus
inermis Religioni regna subiecit.
cum Ioue rege certamen inijt statim,
nam terræmotu precibus impetrato,
& euertit fanum,& comminuit Iouem.
nunquam felicius antea pugnauit in campo.
nempe Romanas sequutus est aquilas,
vt ab ijs arriperet fulmen,
quod eiaculari posset in ipsum Iouem.
Tumulatus est apud fani, & simulacri ruinas,
vt excitaret titulum super impietatis busto.
nihil tam metuendum fuit Deorum pulueri,
quàm proximus huius cinis.
sileat Roma Cornelium Cossum,
qui opima spolia Ioui retulit Feretrio,
celebretur hic,qui Iouem suo sustulit feretro.

III.

III. Nonas Februar.

S. BLASIVS

Episc. Sebast.M. *3 Februar.*

Synop *Commendatur vis ei cõceßa diuinitùs, præcipuè in sanandis faucium morbis. Cum se abdidiſſet in ſpecum, inuentus eſt à regiis venatoribus; atque ita virtus diutiùs latere non potuit. reuocatus igitur in vrbem eſt.*

ENCOMION 43.

Ecquis erit tam dignus noſtræ præconio vocis,
quàm is, in cuius tutela ſunt fauces?
quã ãplo fuit animo, q vel in corpore odit ãguſtias?
nullum in virtute paſſus eſt iſthmon,
qui non patitur ęgros vexari pariſthmijs.
immenſi ſpiritus fuit, qui non ſinit ſpiritum angi.
ſcilicet ad vulnus iugulum aperuit ſuum,
ne mors intercluderet alienum.
inde fudit ſanguinem, vnde funditur ſpiritus,
vt vel exanimis eſſet medicina ſpiritui.
quid mirum, hunc tam animoſum fuiſſe Ducem,
qui vim ducendæ animæ dat diuinitùs?
quæ verò lues curari ab eo poteſt immanior,
quàm quæ, ne conqueri poſſis, eripit vocem?
quanta calamitas eſt, quam lamentari non licet?
sũmus certè dolor, qui erũpere nõ poteſt in verba.
ſed ægri fauces hic laxat, vt obſtruat mortis.
Dignus qui latẽs in ſilua regio ĩueniretur aucupio;
nulli præda venanti obtigit maior.
nimirum ille ſiluas adierat, quia futurus paſtor,
mitigare voluit belluas, vt conſuleret gregi.
dum domitandæ quæruntur ad ludum feræ,
inuentus eſt ipſe ferarum domitor.
dum Circenſe ſpectaculum apparatur in vrbe,
iam hic fecerat virtutis amphitheatrum nemus.

III. Nonas Februarij

3 *Februar.*

S. CELERINVS

Martyr.

Synop. *Celerinã auiam, & alios sibi coniunctissimos sociauit in morte; deuincti sunt ipsi pedes; & alia perpessus est supplicia. metaphora sumitur à celebri cursu ad beatam vitam, qui impediri à tyranno non potuit.*

ENCOMION 44.

Quàm præpete cursu hic emensus est stadium,
qui celeritatem secum auspicio nominis tulit!
excurrit, immò euolauit ad metam.
nimirum talaribus vsus est hæreditarijs;
non rudis, aut nouus fuit titulus laudis.
præuios habuit ad stadium auiam, auunculũ, patruũ.
Ex s.Cypr. nondum constat, vtrũ illi de posteritate tã pulchra,
an hic de origine tam nobili sit beatior.
æqualiter apud ipsos gloria recurrit, & commeat.
illorum coronæ soboles inseritur gemma,
huic decori est inclytum victorijs genus.
celer in pugna, sed non breui compendio pugnæ,
inhærentibus, & morantibus pœnis vicit,
longi certaminis miraculo triumphator.
nunquam solutior, ac velocior fuit,
quàm cum pedes habuit ferro, neruoq; constrictos,
accepit vulnera, sed pœnis atrocior suis;
stantibus lictoribus fuit celsior iacens;
vincientibus liberior vinctus;
sublimior sedente Iudice reus.
ligatis ad neruum pedibus calcauit supplicia.
victoriam in illo gloria vulnerum fecit,
gloriam memoria cicatricum seruauit.
cesserunt compedes in talaria;
mora fuit in lucta, celeritas in victoria.

Pri-

Pridie Nonas Februar.

S. REMBERTVS

4 *Februar.*

Episc. Bremensis.

Synop. *Culmen Pontificij honoris, quod ascendit, indicatū est in puero; cum visus est insidere culmini templi. abstemius fuit, at in egenos largus. oblato incestis prædonibus equo, virginis pudorem redemit.*

ENCOMION 45.

Sublimis hic fuit honoris Pontificij gradu,
sublimior honoris vaticinio.
visus est per speciem eminere è templi fastigio,
antequam è præsulis sede.
prius virtutis tenuit apicem, quàm tiaræ.
Vt familiari suo expiatorium restingueret ignem,
non contentus lacrymis vbertim fusis,
diù ad panem solam adhibuit aquam.
Vt capt uos impio explicaret ferro,
etiam sacrum piè impendit argentum.
at cum eos in triumpho liberos intulit,
nudatum delubrum in ornatum Capitolium vertit.
Inter spolia barbarorum cernens virginem,
passus non est, eam spoliari pudore.
mira vis precum. soluta subitò est vinculis,
ne zonam solueret virginalem.
sed obtulit hic in pretium barbaris equum suum;
ita iniecit, & intemperantiæ eorum, & furori frenū;
accepto equo desierunt ipsi ad illecebrā adhinnire.
At hic alto templi visus in culmine vel puer,
tàm abiectè iam vir de se sensit,
vt iusserit, se nō ī tēplo, sed in eius humari vestibulo;
ratus est immortalis Dei regiam suo fœdari cinere,
sed mox, vbi prodigia cœpit operari cinis,
propyleum ipsum templi cessit in templum.

No;

5 Februar.

Nonas Februar.

S. AGATHA

Virgo,& Martyr.

Synop. *Dicitur Amazoni similis facta, cum ei abscissæ sũt mammæ, sed scuti forma dissimili pugnasse. Commendatur eius insigne beneficium, cum obiecto velo, Aetna extinguere solet incendium excurrens.*

ENCOMION 46.

Incertos initio fecit alios Quintianus,
vtrùm vincere mallet, an vinci.
imbellemnè reddere voluit Agatham?
sed cum mammas iussit abscindi, fecit Amazonem.
expeditior tunc, ac promptior illa euasit ad pugnã.
fraudem fecit hostis stultè sibi, non virgini.
vna hæc veterum dici posset Amazonum,
nisi quòd liberiùs pugnauit, & acriùs,
quia vtraque caruit mamma;
sed noluit de more lunatis vti peltis in bello,
Virgil. verita in Lunæ forma inconstantiæ notam.
Tunc magis abundarunt mammæ lacte pietatis,
cum candenti exustæ sunt ferro.
cum colaphis est cæsa, pulchrior visus est pudor,
quia rubicundior fulsit in genis.
peruolitantes circa se flammas
facile sibi fuit extinguere,
affluenti s. vel lactis fonte, vel sanguinis.
nihil hostilius semper habuit Aetna, quàm Agathã,
extingui metuit etiam ab extincta.
mira res. velo, quod adhibuit genis pudore accẽsis,
sæpe inhibuit Aetnam furore incensam.
nihil est magis aduersum flammæ, quàm flammeũ.
Quid tam patens, & clarum, quàm eius gloria,
quæ à tegmine ipso detegitur, & reuelatur à velo

VIII.

VIII. Idus Februar.

S. DOROTHEA

6 *Februar.*

Virgo,& Martyr.

Synop. *Equuleo, & lignea machina crudeliter excruciata est. multos religioni adiunxit exemplo inuicta constantia. paullo ante quàm necem subiret, Angelus è coelo apphoreta ei detulit, rosas, & poma. alluditur ad ipsi⁹ nomē.*

ENCOMION 47.

Docuit puella re, atque factis
quod ex vetere philosophia verbo iactarunt senes; *Cic. in Tusc.*
Beatam vitam aspirare etiam ad equuleum.
equitauit in pœnis, vt sub se pœnas haberet.
effrenatum tyranni furorem
puellæ constantia moderatrix inhibuit.
Cum se conclusam lignea vidit in machina,
tunc machinata est maximè exitium Dijs;
multos ijs eripuit exemplo virtutis;
sorores ipsas, quæ à religionis desciuerant castris,
ad signa, quæ deseruerant, retulit.
Theophilum aduersarium ita pietate incendit,
vt rogum subierit lætus.
Ipsa inter cœlestis munera sponsi obijt;
nam cum foret iam ferro cædenda,
Ales pulcher è Cœlo demissus
summa hieme, obtulit specie mira rosas, ac poma:
beatæ delicias vitæ prægustauit moriens;
accepit donum sponsa, sed maius reddidit,
sponte se ipsam;
auspicatò dicta Dorothea, hoc est Dei donum. *δῶρον donum. θεὸς Deus.*
Fatalis olim horti contrarias sensit vices,
quia poma ipsi cesserunt in auspicium vitæ.
quàm hæc odoratum, & ornatum nacta est tumulū?
cui Cœlum dedit inferias, vel poma, vel flores.

VII.

VII. Idus Februarij.

7 *Februar.*

S. ROMVALDVS

Auctor Camald.Ord.

Synop. *In ſpecu diù degit. ad Pœones populos profectus eſt, vt pro Chriſto mortem oppeteret, ſed morbo impeditus, & ad alia reſeruatus, vidit ſcalarum gradus pertingẽtes ad coelum, quę ipſius ordinis illuſtris ſignificatio fuit.*

ENCOMION 48.

Inter virgulta nemorum te abdidiſti, ac tuos,
ardentius pugnaturus ſub vmbra,
quàm qui prodeunt in Solem.
In opacis ſiluis metatus es caſtra;
nec tamen occultæ hoſtium latuerunt inſidiæ;
ſpecus tibi pro ſpecula fuit.
Inter annoſas arbores melius es cõtẽplatus æterna,
herbeſcente ipſa fuiſti viriditate viridior;
niſi quòd purpureus fieri volebas;
hoc erat in votis, cruorem pro religione fundere,
incitato iam ferebaris gradu,
regionem petebas Pœoniam, fauſto nomine,
quia per vulnera quærebas vitam;
conſtitueras apud Pœones mori,
niſi æger factus egere cœpiſſes arte pœonia.
nempe nec ſoboles tanto parente erat orbanda,
nec debuere Pœones, obliti ſui nominis, eſſe lethales.
niſi, Romualde, accurriſſes ad necem tam celer,
heros ille videri poteras claudus,
qui videre ſibi viſus eſt olim ſcalarum gradus
ab humo excitatos ad Cœlum,
commeantibus ſùſq; dèq; Cœlitibus:
nàm & tibi præclarum hoc oblatum eſt oſtentum
tuæ gentis per virtutũ gradus ad Superos aſcenſurę;
niſi quòd tu potius euolaſti.

Pœonia herba ſalubris.

VI.

VI. Kal. *Februarij.*

S. PAVLVS

Episc. Virdunensis. 8 *Februar.*

Synop. *Antequam creatus esset Episcopus, in cœnobio non est dedignatus vili ministerio agere panificem, & artocopum. aliquando, vt citius appararentur panes, ipsum ingressus est clibanum, sed illæsus omninò.*

ENCOMION 49.

Desistat tantisper à lituorum sonitu Belgium,
ne præsulis sui laudationi obstrepat;
quamquam & hic Pontificio lituo
bellum acrius prauis indixit moribus.
primum se in cœnobij palęstra exercuit
non solùm præclari magisterio muneris,
sed etiam religiosæ ministerio vitæ.
Vir admodum illustri loco natus
illustrior est factus apud clibani flammam;
non est dedignatus apud socios panificium facere,
panifex antequam pontifex;
ita didicit diligenter suos alere dape diuina.
at contempto operi prodigium fecit decus;
quippe appetente iam communis mensæ tempore,
vt opportunè focarium conficeret panem,
non dubitauit ardentem ipsum subire clibanum.
dum disponebat, ac subinde versabat panes,
impunè ipse versabatur in igne.
non minus admirandus artocopus, quā episcopus.
fuit hic vt nomine, ita factis principi similis Paulo,
sed vnum hoc egit fortasse prodigiosius,
quòd ille è profundo mari emersit incolumis,
hic è profundo clibano euasit illęsus.
hoc tantùm ignis præstitit,
quòd exsiccando sudorem laboris abstersit.

V. Idus Februarij

S: APOLLONIA
Virgo, & Martyr.

9 Februar. Synop. *In ignem sponte pro religione insilijt, ipsis stupentibus lictoribus. praefertur Calano gymnosophistae idẽ aggresso. euulsi quoq. sũt ei dẽtes; quibus in supplicijs multi eius constantiam admirati inanes Deos insectati sunt.*

ENCOMION 50.

Existat nunc ab Alexandria nobilis heroina.
miratus est eius vrbis conditor Macedo Calanum
insanum veteris doctrinæ magistrum,
quòd sponte se se iniecerit in rogum viuens;
lucem ille nominis accersere voluit à flamma,
sed eam superbi fastus obruit fumo.
adsit poti⁹ Alexãder Virginis Alexãdrinę spectaculo;
nullũ exhiberi potest illustrius, quia inter flammas.
cum primùm illa crepitare sensit ignem,
increpuit carnificum moram;
in rogum incitato insilijt saltu,
de supplicio fecit tripudium.
superauit leuitate, ac velocitate hostem.
celerius ipsa incurrit in ignem,
quàm ignis per eius excurrit latera.
virgo videri voluit Vestali maior,
digna custos verè immortalis ignis, amoris.
ac nè vnquam ille posset extingui,
nutrimentum suffecit abundè se ipsam.
sed libenter siuit euelli sibi antea dentes;
noluit tamen hos igne consumi, sed seuit;
Mithol. nam statim exẽplo constantiæ exorti sunt plurimi,
qui religione armati falsa insecuti sunt numina.
maius de hac veritas, quã fabula de Cadmo iactat,
quia per hos dentes strages est facta de hostib⁹ Dijs.

IV.

IV. Idus Februarij

S. GVILELMVS

Dux Aquitaniæ. 10 Februar.

Synop. *Petri Leonis partes aliquando sequutus, tandem acri Bernardi oratione resipuit, diuinam ei dapem proponentis, ac Iudicem ostendentis, mutauit campum cum specu. asperrimo vita genere vsus.*

ENCOMION 16.

Hem quid furis, Guilelme, quid fremis?
Petri Leonis vestigia sequeris,
interim leones immanitate præcurris.
quid Romam impio schismatis vngue dilaceras?
sed faciet Bernardus ex Leone ouem, ipse iam leo.
sentis? ad magni Iudicis tribunal te citat,
reo, ac perduelli diem dicit.
fulmen ex ore, fulgur ex oculis micat, ac vibrat;
nunquam acerbior visus, nunquam amarior,
quàm dum suauissimam præfert Cœlitum dapem.
sic est. qui armatas hostium non extimuisti manus,
exhorruisti inermem Bernardi manum.
inermem? immò armatam maiestate numinis.
obstupefactus voce hominis, cedis Deo.
miratur Aquitania, qđ Dux purpuratus expalluit,
quòd fatalis Italiæ terror expauit.
vacant iam signa legionum, & aquilæ.
tametsi arma nō abiecisti, qa in tę cōuertisti hostē:
admouisti nudo corpori loricā, & ęneā, & cilicinam,
ferreum pro galea tibi aptasti galerum.
vidit stupens exercitus oneratum catenis Ducem,
inter laureas sponte captiuum.
tandem horridam te abdis in specum.
tunc factus es Petro Leoni dissociabilis,
cum factus leonum socius.

IV. Idus Februarij

10 Februar.

S. SCHOLASTICA
Virgo.

Synop. *Dum colloqueretur cum S. Benedicto fratre de rebus diuinis, & & appetente nocte, moram ab ipso extorquere non posset, subita pluuia, et procella eum sistere coegit. Eidem se obtulit à morte columbæ instar.*

ENCOMION 24.

Vt longiùs hæc cum fratre ageret de coelestibus.
vsa est ipsius patrocinio Coeli:
fluuium lacrymarum fudit in mensa,
quo serenitatem aeris traxit ad pluuiam:
tacitæ preces sonora euocauere tonitrua.
cũ excitare fraternũ animum nõ posset leni prece,
excitauit, ac perculit ingenti fragore.
clarius inter fulgetra pietas fulsit.
nouum consilium; vt longam impetraret moram,
iussit statim, sine mora elementa turbari.
vnum fuit, idemq; momentum,
quo collapsum in preces caput sustulit,
& pluuiam delabi vidit.
vt virginis mentem Natura parens serenaret,
ex aere serenitatem exegit.
vt illius oculi madere desinerent,
ipsa immaduit.
vt mæroris caliginem ex animo solueret,
aerem densas coegit in nubes.
quid tam mirum, quàm quòd soror armauit Coelũ
aduersus fratrem amicum Coeli?
meruit sanè gemebunda virgo,
vt columbæ specie se ei offerret à morte;
nisi quòd pernicem ipsa, & incitatũ habuit volatũ,
quæ fratri nexuerat moras.

III.

III. Idus Februarij

S. SATVRNINVS, ET FILII. Martyres.

11 Februarij.

Synop. *Damnatus est pater cum filijs*, Felice *scilicet*, *&* *Hilarino. sub iudice Mensurio. post varia supplicia, inedia, & fame perire iussi. opponitur hic Saturninus Saturno famelico, qui filiorum inhiasse dicitur exitio.*

ENCOMION 53.

Quid Saturnini nece aut beatius fuit, aut lætius?
inter Felicem, & Hilarinum filios est necatus.
alter parentē feliciter est cōplexus, alter hilariter.
nacti sunt iudicem Mensurium nomine,
etsi hic nullam voluit supplicij esse mensuram;
sed emensus est pater vnà cum sobole stadium,
immensa cum laude constantiæ:
ferinam exercuit hostis famē in pabulo vulnerū,
Saturnino quantumuis lacero nunquam satur.
ante consumpta est pœna, quàm rabies.
defessus in sæuitia Iudicis lictor elanguit.
vidit interim proles scaturiginem patrij sanguinis,
& habita est pia, quia siccis oculis vidit.
vulnera madida voluit habere, non lumina.
alter non prius sibi visus est Felix,
quàm visus est hostibus miser.
Hilarinum nulla fecit pœnæ acerbitas tristem;
puerum imparem alijs ætate, non robore.
tandem fame omnes iussi perire;
at horum expleuit barbarus etiam moriendi sitim.
telum vertit Saturninus in falcem;
vel hoc Saturno maior,
quòd gaudeat æternitate, non tempore.
famis, vt alter, damna non sensit,
qui tantum sibi, suisq; messuit gloriæ.

Pri-

Pridie Idus Februarij.

S. MELETIVS

Episc. Antiochenus.

12 Februar.

Syynop. *Magno præsul hic in amore fuit apud suos, quod testati sunt varijs argumentis. ceterùm ipse tam mitis fuit, vt cum Antiocheni præsidem infensum appeterent lapidibus, ipse illum suo texerit pallio.*

ENCOMION 54.

Meletij nomen tam dulce Antiochenis fuit,
vt quisque ferè filium sic appellaret suum·
vniuersa penè ciuitas vnus erat Meletius,
nullum accidebat auribus suauius melos;
Ex s. Chrysost. in palis annulorum cælatum eius ferebant vultum,
cum amorem cælare non possent.
signarunt annulo præsulem, quasi vrbis sponsum.
quin etiam in ipsis eum cælarunt phialis,
incertum, vtrùm amore in eum ebrij,
an exemplo temperantiæ sobrij·
thalamis quoque eius induxerunt imaginem,
similem exoptantes magno parenti sobolem.
Arianis tantùm Meletius est visus amarior;
exulem facere conati sunt mundi ciuem;
sed nunquam Antiochia magis exarsit
in hunc amore, in aduersarium ira;
nunquam visa est præsulis tam appetens sui,
quàm cum præsidem ei insultantem appetijt saxis.
at (proh Meletij pietas verè mellea,)
Pontificia chlamyde caput hostis texit.
excepit molli veste duram saxorum grandinem;
aquilam dixisses pullos alis tegentem suis.
sed pp̃è factũ est, vt vrbis pietas cederet ĩ parricidiũ,
tutior est hostis in parentis sinu, quàm parens,
nam hic, dum se scuti instar opponit, telis exponit.

Idus

Idus Februarij

S. POLYEVCTVS

Martyr. 13 Februar.

Synop. *Vnus fuit è legione quæ dicta eſt fulminatrix. vno impetu duodecim Deorum ſimulacra deiecit, atque comminuit. præſenſit illuſtre martyrium, ſibi viſus videre ſe purpurea, & cruenta veſte indutum, & inſidentẽ equo.*

ENCOMION 55.

O tuam generoſam, Polyeucte, animam;
nempe vnus eras è legione dicta Fulminea.
duodecim ad te miſſa Deorum ſigna, quæ coleres,
qui vocabantur maiorum gentium Dij,
nõ modò minimi feciſti, ſed in minima fregiſti fruſtra,
quolibet fulminis ictu potentiùs.
tantò hac in re maior es viſus Alcide,
quantò Dij grauiora ſunt monſtra.
fregiſti hæc vno tempore, vno impetu:
in duodecim monſtris vnus numeratus eſt labor,
ſi modò labor, vbi & facilitas, & voluptas fuit.
Laceraſti & tyranni plenum minis edictum,
proinde acerrimè laceratus es flagris;
ſed præſto militi fuit imperator Deus.
viſus es tibi videre grande ſpectaculum,
ab illo militari te exui chlamyde,
paludamento indui triumphali,
quod tamen tuo purpureum faceres ſanguine,
inſuper alato in Cœlum te euehi equo.
exoptat[9] poſtea es à ſocijs (id prætereferebas nomine)
nempe te auſpice poſt necem putarunt factum, πολύευκτος
vt legio tua in ſumma ſiti eliceret ex nubibus
in barbaros ignem fulminum, ſibi aquam imbrium multũ optabilis.
Fulminatrix meritò dicta.
ita accẽdiſti Cœlũ, cũ videbaris extinctus in terra. Dion. ſub Ant.

XVI. Kalendis Februarii

S. VALENTINVS

14 Februar.

Martyr.

Synop. *Ante Mercurij simulacrum ductus, vt illud coleret, adduci non potuit. Præsidis Asterij filia cæca oculos aperuit. ambo religioni nomen dederunt. varijs ipse supplicijs excruciatus est, ac tādē in Flaminia via sepultus.*

ENCOMION. 56.

Inualidam reddidisti, Valentine, sæuitiam
non vnius Iudicis, aut lictoris.
per damna, per cædes semper valentior.
ostendisti non modò pietatis, sed sapientiæ robur,
vel cum stultum putasti Mercurium colere:
veritus es, ne, si Deum haberes præsidem furum,
tu quoque arguerere furti,
erepta scilicet diuinitate Numini vero.
nunquā, more Mercurialium, eloquentius perorasti,
quàm cum inuectus es in ipsum Mercurium:
aureis eius linguæ catenis
prætulisti ferreas, quibus es vinctus.
hoc tantùm eius astro habuisti simile,
quòd à veritatis Sole minimè recessisti.
immò alterum prætetulisti Solem,
ἀστὴρ astrum. siue cum præsidi, cui ab astro nomen erat Asterio,
veræ religionis infudisti lumen;
siue cum eius filiam luminibus cassam curasti.
vtrumque beasti luce animi,
alteram etiam corporis.
illa licet Asterio parente nata,
tamen non ante contemplari potuit astra,
quàm te docente conditorem astrorum.
Demum cum consecrasti cruore Flaminiam viam,
fecisti triūpho tuo Capitolinā, habiturus flamines.

XV.

XV. Kalendis Martij

SS. FAVSTINVS, ET IOVITA Martyres.

15 Februar.

Synop. *Cum ante Solis simulacrum adducti fuissent, illud statim fumo denigratum est, ethnicis stupentibus, tùm in fauillam abijt. at hi ad bestias, ad flammas, ad fluctus frustra petiti, varijs vrbibus constantiam ostenderant.*

ENCOMION 57.

Nihil à vobis, inclyti fratres, gestum est illustrius,
quã quòd tenebras offudistis Soli, iussi hunc colere.
simulacrum radiatum fuligine oppleuistis primùm,
mox æstu precum redegistis etiam in fauillam.
vidit ea ætas spectaculum antea inuisum,
Solem in turpem Aethiopem versum.
melius philosophati fuissent Gymnosophistę,
si talem oculis proposuissent, ac despexissent Solẽ,
cassum vel luminis honore, vel numinis.
spreuistis, & lucida tela diei, *ex Lucret.*
& horrida tela lictorum.
nũq̃ tã serena mẽte fuistis, quã cũ inobscurastis Solẽ.
Testes fuere virtutis principes vrbes,
Brixia patria, Lugdunum, Neapolis, Roma.
producti in amphitheatrum ad bestias,
lusistis cum leonibus, leopardis, vrsis.
maduit arena aduersariorum cruore, non vestro.
coniectos in rogum veritus est ignis:
quid ni? verso pridem in fuliginem Sole.
Neapolim quoque tyrannus elegit ad necem,
demersit ãbos, sed reddidit incolumes littori mare;
nempe in ea vrbe non nisi viuere sciunt Cœlites,
vbi in primis Ianuarius suo viuit in sanguinę,
Ceteræ vrbes nobiles sunt Cœlitum nece,
Neapolis vita.

16 Februar. *XIV. Kal. Martij*

S. IVLIANA

Virgo, & Martyr.

Synop. *Kakodæmonem corporea specie sibi obiectum alligauit, quin etiam ipsum inuicto animo acriter cęcidit, iubens fateri, quas struebat insidias. At tyrannus, à quo frustra in ignem iniecta est, miserè in vndis perijt.*

ENCOMION 47.

Superasti, Iuliana, fidem magnitudine rei gestæ.
vix quicquam simile fama propagauit posteris.
carcerem, in quem te impius coniecerat pater,
tribunal nè fecisti, an Capitolium?
vafrum hostem specie Cœlestis alitis tectum,
imponere tibi multa conantem
ad tuos iussisti pedes sistere;
obstrictum iureiurando coegisti personam exuere,
fateri insidias, machinamenta, fraudes.
sententiam pronunciasti contra reum, vt iudex.
dignas inflixisti pœnas, vt lictor,
per vim arrepto ausa es fœminea manu
inijcere cõpedes ferreas, eũdẽ trahere, distrahere;
quin etiam sæuo insignem facere fustuario.
obstupuerunt nouo spectaculo impij Manes,
erubuissent, nisi pallidi semper essent:
nẽpe Erebi regnatorem viderũt iam vile mancipiũ,
in puellæ triumpho captiuum,
nec modò inuidia liuidum, sed fustibus.
facilis reliqua fuit pugna, profligato hoste teterrimo.
cum per capillos suspensa in aere pependisti,
tibi visa es eminere superior pœnis.
cum in flagrantem es iniecta caminum,
ignem nõ semel excitatum vna restinxisti lacryma;
at ardentem ira tyrannum extinxit naufragio mare.

XIII.

XIII. Kal. Martij

S. POLYCHRONIUS

Episc. Babyl. M. — 17 Februar.

Synop. *Alluditur ad nomen, quod à temporis diuturnitate deductum est; quia Saturnum temporis Deum adorare noluit, occisus est; sepultus autem apud celebres Babylonis muros, cuius vrbis erat antistes.*

ENCOMION 42.

Breui laudatione ornari non debet, *πολὺς multi.*
qui à tēporis diuturnitate dictus est Polychronius. *Χρόνος*
quanquam eius facta præclara *tempus.*
adæquanda sunt cum æternitate, non tempore.
ita plus præstitit re, quàm nomine, se ipso maior.
Iussus est à Decio Cæsare
diuinos honores habere Saturno,
quem temporis fecerunt numen,
vicit hunc multùm Polychronius ipso nomine.
sed nolenti appellare lapidem Deum,
os contuderunt saxo.
reuocarunt videlicet in mentem Saturni ludibriū, *Michael.*
cuius in ore pro Ioue inuentus est lapis,
ne filij membris expleret ingluuiem.
sed maius addidit superstitio probrum,
quia Saturnum ipsum fecit ex lapide.
hoc tamen vnum Polychronius effecit verè,
quod alteri falsò affinxit fabula;
lateritiæ scilicet Babyloni, cui præerat præsul,
ætatem fecit auream.
iactare desijt Babylon pensiles hortos,
cum hūc, & florentē vidit, & à terra mente suspensū.
apud eius vrbis miranda mœnia nactus est tumulū;
nempè, vt octauum, & maximum,
præter septem, esset ipse miraculum.

XII. Kal. Martij

18 Februar.

S. SIMEON

Episc. Hierosol.

Synop. *Longaeuus senex cum esset, admirabile dedit sui spectaculum, pendens è cruce diù, summa constantia praeditus. confertur aliquo modo cum moriente Christo, cuius, ratione hominis habita, fuit consanguineus.*

ENCOMION 60.

E regia magni vatis stirpe prognatus
purpuram, Simeon, tuo tibi cruore tinxisti.
tūc maximè te putasti Dei hominis consanguineū,
cum pro eo funderes sanguinem.
ingrauescens aetas oneri virtuti non fuit,
quin alacer properares ad necem.
affecta aetate confecisti stadium victor.
virgae, ac bacilli, quibus es caesus,
senem fecerunt firmum,
immò Pontificium cesserunt in pedum.
accepisti hoc studio infulas,
vt infulata caderes victima.
post centum, ac viginti Solis anfractus
pependisti ab arbore maturum gloriae pomum.
exiguam tibi videbaris vixisse vitam,
nisi arborem attingeres nobilem auspicio vitae.
potuisti, vt libitum est, & praecipitem mortem
adductis inhibere fraenis.
noluit Sol se tibi pendenti de cruce subtrahere,
cui tam longam dederat lucis vsuram.
noluit nouo carere spectaculo
iuuenilis in sene virtutis.
vacillabas corporis gressu, non animi statu:
sed trepidare desierunt seniles manus,
cum sustentaculum nactae sunt crucis.

XI.

XI. Kalend. Martij

S. AVXIBIVS

Episc. Soliensis. 19 *Februar.*

Synop. *Romanorum hic luxum detestatus, prope Cyprum degere statuit apud flaminem Dialem. Signa, & fana destruxit. Arreptitij quadraginta ex vrbe Papho profecti, antequam ad eius tumulum accederent, sanati sunt.*

ENCOMION. 61.

Romanus hic ciuis exulauit ab vrbe puer.
nō sæuitia Cæsarū eum expulit, sed illecebra Vrbis.
patriam non agnouit parentem,
quia scilicet adhuc lupinis inhiabat vberibus.
sed illud admirationi primò fuit,
quod cum esset insignis pudicitiæ laude,
prope Cyprum, ac Paphum, Veneris sedes,
degere voluerit in vrbe Solensi.
à Diali flamine exceptus est hospitio.
sed mox consilium altæ patuit mentis,
cum deiectum viderunt ex aris Iouem,
cum Venerem fauilla turpem.
quòd diminutum sit impietatis regnum,
quòd auctum verę religionis imperium,
noua Roma, in primis Auxentio debes.
nec viuens modò hic infensus Erebo fuit,
sed cum videbatur extinctus.
quadraginta excruciati miserè, actiq; à Furijs,
ex vrbe Papho profecti Solos,
vt eius curarentur ad tumulum;
in ipso itinere sunt obsidione soluti.
non expectauit Imperator hostem,
occurrit nomine, maiestate, virtute.
non est passus ad vrnam suam accedere propiùs,
quia veniebant de Venere Paphia.

X.

X. Kal. Martij

20 Februarij

S. EVCHERIVS

Episc. Aurelianensis.

Synop. *Oraculum accepit mater ab Angelo de futuro filij pontificatu. Narratur horribilis vltio diuinitùs sumpta de Carolo Martello, vt quidam scribunt, quòd Eucherio viuens esset aduersatus, eumq. damnasset exilio.*

ENCOMION 46.

Venerata est mater filij præsulis infulas:
antequam nato circumdaret fascias.
Cœlestis ales miri candoris attulit nuncium.
oraculo prædictus est editurus oracula.
in Aurelianensis ciuitatis decus
aureum mater alebat infantem.
fluxit deinde aureo eloquentiæ fonte,
sed vberiore manarunt oculi,
cum Pontificias vittas accepit inuitus.
Sur. vide Baron. fama est, Carolum Martellum, à quo exul est factus
huic per visum se obtulisse spoliatum purpura,
fractis regijs fascibus reum;
commissum Stygij tyranni sæuitiæ,
per eius excruciatum lictores immaniter.
quin etiam accepto diuinitùs monito,
dicitur hic iussisse, regium aperiri sepulchrum:
(horrendum vel visu, vel dictu)
narrant squamosum inde prodijsse draconem,
reperta cetera omnia fuligine, fauillaq; oppleta.
scilicet exulauit ab orbe terrarum, etiam corpore,
qui exulem ab vrbe fecerat præsulem.
quia ille rectum non habuit sceptrum,
in tortuosum abijt anguem.
iterum virga visa est, vt olim, in colubrum verti,
nisi quòd non redijt in sceptrum.

IX.

IX.Kal. Martij

S. PETRVS

Mauimenus M. 21 *Februar.*

Synop. *Ab Arabũ gente impii Mahometi alumna necatus est, cum iaceret æger in lecto, vbi etiam languens, & infirmis viribus, acriter in eam sectam inuectus est. tanta igitur vis animi in ægro corpore iure optimo cõmẽdatur.*

ENCOMION 35.

Arabes te, Petre, ditauere non auro, sed ferro,
nam fecit ferro pretium cruor tuus.
acriora tamen à te coniecta sunt tela,
quæ acuisti lingua,
cum impium Mahometum sauciasti conuicijs.
inauditum reliquisti virtutis exemplum,
admirabile dedisti spectaculum fortitudinis:
quippe decumbebas ęger in lectulo,
occupabat ora pallor,
sed ad Mahometi nomen exarserunt genæ,
scintillarunt ira oculi.
nemo tàm valenter pugnauit in campo,
quàm tu iacens in lectulo;
potuisti frangere eius gentis insigne, Lunæ cornua,
languida licet, ac tremente manu;
at languor omnis abijt in robur,
cũ effudit se efferuescens iusta ira sanguis in vultũ,
paratus pro religione profundi.
obstupuit ipsa mors, ac tecum luctari metuit,
nisi illam vltrò compellasses amicam.
inermis, atque æger id egisti,
quòd ægrè miles ageret lorica munitus,
aduerso pectore excepisti vulnus;
nudum, vt erat, illud opposuisti telo.
victori stragulum lectuli cessit in purpuram.

VIII.

VIII. Kal. Martij

S. ARISTION

Vnus ex 72. diſcipulis.

22 Februar. Synop. *Alluditur ad eius nomen ab eximia bonitate ductum. commemoratur mira vis prodigiorum, quã Chriſtus his diſcipulis orbem terræ peragraturis conceſſit; cuiuſmodi ſunt, præter cetera, calcati ſcorpij.*

ENCOMION 64.

Inter præcipuos religionis optimates,
iurè numeretur Ariſtion.
ἄριστος Optimus. præſtitit ſe non modò nomine, ſed factis optimum,
qui, quod erat in orbe terrarum peſſimum,
deleuit, impietatem.
vnus ex primis ducibus miſſus,
vt liberaret orbem terræ immani tyrannide,
extorſit Ioui fulmen è manibus,
eundem in fratris impulit, vel regnũ, vel carcerem.
Titanicum videri potuit bellum,
niſi optimus hic non aliquis è Terrigenis,
ſed è Cœligenis fuiſſet habitus vita.
Nudis pedibus iuſſus incedere,
impunè calcauit ſerpentes, & ſcorpios,
antequam ſidera;
talibus ſignis illuſtris in terris,
antequam ſigniferi luceret in ſcorpio.
Expulit & impium humani corporis obſeſſorem;
hoſtem eum declarauit eſſe, non hoſpitem.
In incultam orbis terræ ſiluam ingreſſus
inter lupos agnus,
luporum rabiem non coërcuit modò,
ſed ſibi ſimiles fecit agnos.
& hoc mirũ, quòd nemini ſalutẽ dicere iuſſus in via,
cunctis attulerit.

VII.

VII· Kal. Martii.

S. LAZARVS

Monachus Pictor. 23 Februar.

Synop. *Iussus à Theophilo Imperatore iconoclasta venationes potius, & profana pingere, quàm Cælites, assentiri noluit; quamobrem inter alia supplicia, candenti ferro ambusta ei manus est, sed sanata diuinitùs.*

ENCOMION 65.

Habet non modò Græcia, sed religio Apelles suos;
nisi qđ hic Venerē, nec inchoauit; decolorau it potiꝰ
immò non est sibi visus venustè pingere,
nisi aduersarios pingeret Veneris,
ipsum triumphales Diuorum laureæ pictæ celebrem,
radiata quoque eorum capita faciebant illustrem.
nobile in primis putauit purpurisso illinere
laceros eorum artus, & manantes sanguine.
hic certè pinxit ęternitati, non Zeuxis.
pigmentis abuti noluit ad figmenta,
lineas in tabula variè duxit,
at in se non nisi rectas vitæ.
sed enim tam pulchrè colorari Diuos,
inuidit impietas decolor.
iussus ferarum potius venationes pingere,
libenter hac in re paruit,
sed pinxit immissas in amphitheatro feras,
mirè tamen adblandientes Diuis
proinde impiè est illi manus adusta candenti ferro.
at diuina vis ad sanandum manum admouit auream;
tantò ardentius rediijt illius manus ad opus,
quantò vstulata fuerat sæuius;
hoc tantùm accepit ab igne,
quòd splendorem accersiuit operi.
ita pœna decus attulit penicillo.

24 Februar.

VI. Kal. Martij

S. MATTHIAS Apostolus.

Synop. *Iudę perduellis, cuius hic muneri successit, impium paricidium expenditur; ac detestationi subiicitur; ostenditurq. quàm insigni, atq. eximia Matthias probitate fuerit, qui Barsubę, cognomento Iusto, prælatus est.*

ENCOMION 66.

Gestit animus simul, ac stupet;
triumphat, & horret.
laudari Matthias sine metu non potest;
nempe in eius suffectus locum,
qui venalem exposuit Deum.
supra fidem est, quòd fregerit fidem
summo Imperatori dux.
non modò sicariorum fuit signifer,
sed, vt ille dignosci posset, addidit signum.
fixit osculum, refixit fidem;
tunc maximè excors,
cum duplici fuit corde.
post acceptam in sacra mensa dapem
accensa magis est auri sacra fames.
meritò de se supplicium sumpsit in gutture,
qui habendi auiditate fuerat paricida.
nisi quòd faucium perijt angustijs,
cui immensa erat cupiditatis vorago.
libratus pependit in aere,
qui appenderat in lance pecuniam:
sed casus vnius gradum fecit alteri.
Matthias cum Barsaba iusto compositus,
præpositus est iusto.
nempè iusto maior esse debuit, ei suffectus,
qui iniustitiam superauit omnem.

V.

V. Kal. Martij.

S. FELIX III.

25 *Februar.*

Pont. Max.

Synop. *Atauus hic Gregorii magni fuit. Acacii arrogantiam fregit. insectatus est Petrum Fullonem, qui ausus est dicere, in Christo diuinitatem ipsam passam, quod in Trisagio item expresit. alluditur ad Fullonis nomen.*

ENCOMION 67.

Sit hæc felicitatis pars tuæ non parua,
quòd Gregorij fueris atauus magni.
decus infularum virtuti debitum
reliquisti etiam hæreditarium.
In misera tempora religionis incidisti Felix,
vt auspicio nominis restitueres rem.
In Acacij audaciam inuectus es acriter.
Petro in primis appellatione Fulloni, restitisti:
mirata est Roma nihil inquinatius videns,
nihil tam alienum à munditia, quàm Fullonem.
non purgauit hic labem, sed turpis aspersit.
ausus est ex officina fullonica
in Antiochenam intrudere se basilicam,
vt Pontificiam macularet byssum.
infecit mendacio augustum ipsum Trisagion,
subdidit morti diuinitatem;
naturam immortalem subiecit vulneri.
lictorem, vt potuit, se fecit Numinis.
hominem, Deumq; non iunxit, sed confudit.
meritò deuouisti Erebo impium caput,
intorsisti horrendum anathematis fulmen.
dignus fuit, qui tali deflagraret flamma,
cum ardentium Alitum sacro obstreperet carmini.
mira res. tunc se verè religio expurgatam sensit,
cum expulit à se Fullonem.

IV. Kal. Martii.

S. VICTOR

29 Februar.

Martyr.

Synop. *Prodigijs insignis fuit, in primis vino diuinitùs producto in mensa*. KaKo*damones etiam nondum natus ab vtero ipso exterruit, ac fugauit; furem verò tantisper iis diuexandum tradidit, dum purgaretur.*

ENCOMION 68.

Nemo tam expeditus excurrit ad gloriam,
quàm hic victoriæ pennis elatus:
infanti palmę, ac laureæ fuere crepundia;
terruit hostes nomine antequam pugna.
nec virtus Victori potuit deesse, nec gloria.
bellatori strenuo inglorium esse non licuit,
nec victori humilem.
ipsa se Natura fassa est prodigijs victam,
cum vina ille miro modo in nemore intulit mensis,
ex s. Bern. producto liquoris fonte, non vite.
At verò quanti stuporis fuit?
quòd fugauit horrendos præsides noctis,
nondum editus in lucem.
tulit victoris omen antequam nomen.
exhorruerunt Stygij hostes vel in vtero clausum.
ipsa eorum fuga, & extorta confessio
victoriam concessit infantulo.
vinctæ manus non fascijs, sed vteri nodo
sauciarunt excitatos ex Erebo milites;
metuerunt eum materno adhuc inclusum septo;
quid cum excurrere potuit in campum?
cum inuadere, aggredi, congredi?
scilicet eos victos pro mancipijs, & lictorib⁹ habuit
nam furem aliquandiù ijs excruciandum tradidit,
mox purgatum, cum libuit, extorsit è manibus.

III. Kal. Martii 27 Februarij

S. LEANDER
Episc. Hispalensis.

Synop. *Praefertur fabuloso Leandro incesto, qui à fluctibus haustus dicitur. Arianos est insectatus, fautore Recardo Rege. Tolesano in primis concilio adfuit Romani Pontificis nomine, vbi multa praclarè constituta.*

ENCOMION 69.

Nihil tam dissimile veteri Leandro fuit,
quàm Hispalensis hic præsul.
illum insano amore flagrantem *Museus. Michel.*
marina Venus natalibus extinxit vndis;
hic verę religionis amore succensus,
effecit, ne Ariano in freto
naufraga periret Hispania:
vix quisquam peritior gubernator in puppi sedit,
explorator ventorum, & moderator.
commodùm, immani procella velificanti afflauit
secunda Recardi Regis aura.
præscripsit hic ceteris Hispaniarum Regibus,
quid essent in causa religionis acturi;
prælusit pietate, præiuit exemplo,
complexus amore, dignatus honore præsulem:
Quin etiam alios Reges Leãder concitauit in Ariũ,
depoposcit arma, præsidia, exercitus,
Martium Arij nomen Marte domandum ratus.
Hispalense concilium instituit primus,
perduelles Pontificio terruit fulmine. *Apis. Mars.*
Toletano quoque senatui præfuit inter antistites.
composuit excitatas ab impijs procellas, ac sopijt.
liberauit vitiorum naufragio multos.
habuit quem opponeret virtus incesto Leandro;
oppressere illum fluctus; repressit hic fluctus.

Pris

Pridie Kal. Martii

28 Februar.

S. ROMANVS

Abbas Lugdunensis.

Synop. *In specu degentem vnà cum Lupicino fratre inuidi KaKodæmones aggressi sunt, conati lapidibus appetere, sed frustra. tandem vita functus, apud sepulchri sui lapidem multa edidit prodigia, atque illustria.*

ENCOMION 70.

Ludus est quicquid de Romana gente, Fama, garris.
adolescentem nomine Romanum seriò cane.
hic cũ Lupicino fratre (quos virtus, nõ lupa nutriuit)
lucem patriæ posthabuit vmbræ nemorum.
paratum inuenit campum: indicitur bellum.
non Annibalis copiæ Romanum vrgent,
sed horribile tyranni Stygij agmen.
non vsitato more dimicant ferro,
veriti, ne & ferrum ab eo spernatur, vt aurum,
igitur balearibus armantũr fundis,
duros eiaculantur lapides.
ab integro Erebi exercitu duo petuntur capita.
fas sit conferre cum Imperatore militem,
siquidem huius laude ille fit clarior:
vnus hostis illum lapidibus est aggressus, hũc multi,
& hũc ĩ specu; sed sęuitia vulneris, nõ illecebris cibi,
Acrior quoq; fortasse Romano lucta, quã Stephano;
qa ille nactus hostẽ, q poterat post iacta saxa molliri,
at hic eũ, quẽ peruicacia stabili adamante firmarat;
nisi ꝙ facile fuit Romano obdurescere saxis iniectis,
qui hostes ipsos obduratæ mentis infregerat.
sed tandem par est tributum victoriæ decus;
qppe insignis factus est prodigijs ei⁹ sepulchri lapis,
is produxit ægris vitam apud tumulum lapideum,
qu em hostis nequiuerat tumulare lapidibus.

FA.

F A S T I

veterum Romanorum, atque Græcorum, collati cum nostris.

M A R T I V S.



Nitium olim anno mēsis hic dedit: Romani enim gens omnium bellicosissima, inde auspicari annum voluerunt, vnde faustum omen accipi posset ad bella. Apud nos idem mensis nobilitatus est Martialibus viris, immò & pugnacibus fœminis. quamobrem
non ab re est, vt fuerit in tutela Minerux, siue Palladis; contendisse enim aiunt hoc mense de nuptijs cum Marte Mineruam, sed hanc ex ea pugna redijsse victricem; adeò pudicitia strenua, & inuicta semper est visa. *Gyral.*

Kal. Martij. Celeberrimæ Martij Kalendæ fuerunt, &
triumphis pluribus auspicatissimæ; nam, & P. Valerius 1
Poblicola primus Consul de Veientibus, & Tarquiniis; *Martij.*
& L. Aemilius Mamertinus Priuernas; & C. Plautius De- *Golz.*
cianus Coss. de Priuernatibus; & L. Cornelius Lentulus Cos. 426
de Samnitibus & Lucanis; & Q. Luctatius Cerco Cos. de 476
Phaliscis; & M. Cl. Marcellus Cos. de Gallis Insubribus triū- 512
pharunt. Hoc item die in regia, in curia, in Flaminum domi- 537
bus fascium Consularium laureę veteres mutabantur in no-
uas. Apud nos item laureę veteris Romæ, quę iam exarue- *Macrob.*
rant, mutatæ sunt in virides nouę. triumpharunt autem multò magnificētius è nostris Romæ ducenti, & sexaginta laureati; ac præterea inuicti illi heroes, *Nicephorus, Donatus, Hermes*: qui quantam animi fortitudinem, quàm generosam præ se tulerint indolē, ille ipse indicat, qui se iis adiungit, *Leo.* Ancilia hoc ipso die circumferebantur à Saliis cum Pyrrhica saltatione; hi verò, quos commemoraui, opposuere

reli-

religionis aduersariis firmissimum fidei, quod dicitur, scutū. atq; ancile quidem illud falsò dicebatur è Cœlo delapsum, hoc verè. Nec minor ea triumphi gloria fuit,quam† *Suitbertus* de Frisonibus, de Batauis, aliisq;Germaniæ populis retulit; qui & quasi triumphalem apotheoseos pompam,pręsente Romano hierarcha primus publicè,ac ritè est cōsecutus.

Festus. *Giran.* Hoc item die in ara Vestæ nouus ignis accendebatur à Sole,quem Vestales seruabant virgines, immortalem dictum. apud nos autem harum laudem,ac nomen occuparunt *Eudocia*,& *Antonina*,quę nouo quodam igni diuinitùs accenso concitatę,pro religione se deuouerunt.Celebrabātur & Romæ his iisdem Kal.Matronalia,ob conciliatos olim à matronis cum plebe Sabinos,in Gręcia verò Munichia festa Dianæ;quam vtramque celebritatem ita harum mulierū inobscurauit gloria,vt Diana omni luce priuata planè defecerit.

2 *Martij.* *Macrob.* *A.Gell.* VI.Nonas Martij. Ater hic dies Romanis fuit; apud nos magna ex parte purpureus,in primis Romæ plurimorum sanguine profuso; in Campania verò octoginta virorum cęde, quos impius barbarorum furor oppressit. His se libenter associat Herculi similis nomine;sed virtute maior *Heraclius*.Ater verò nullo modo iam dicendus est dies, qui sacer est *Lucio* quamquam, & † *Ceaddas* præsul eos, qui pro ęgris sibi supplicabant,atratos esse vetuit.

3 *Martij.* V. Nonas Martij. Tertius quisque mensis dies apud Aegyptios, & Gręcos Mineruę sacer fuit, quę dicta est etiam Pallas, munita ęgide, hastaq; armata,& in belli puluere inter Martis arma desudans. Apud nos verò sacer hic dies est matronę virilis animi,ac magni roboris, *Martia* nomine, quę,& Martem,& Palladem non modò superauit,sed de medio sustulit,mensem verò ipsum sui nominis consecrauit sāguine. Fulget hic item dies dibapha † *Chunegundis* Augustę purpura,cum imperij ,tum pudoris,quē prodigio testata est miro.Pręterea pulchro dies clarus est astro, *Asterio* videlicet. hic cum esset Senator, ad eum vsum adhibuit purpuram, vt cruenta Martyrum corpora inuolueret, quò eā faceret etiā regia pulchriorem; ratus ex illorum sanguine verę decus purpurę accipi: quamobrem & eandem mortis gloriam meruit. Pręclara item† *Hemiterij*, & *Chelidonij* virtus illustrat hunc diem.his autem omnibus se congruenter adiungunt, & *Fortunatus*,& *Felix*.

ἀστὴρ astrum.

IV.

IV. Nonas Martij. Manlius Torquatus Atticus Cos. de Phaliscis illustrem egit Romæ triumphum, nec tamen potest eum æquare, quem de cæco Valeriani furore † *Lucius*, ac præter alios nongenti laureati martyres egerunt. Ille verò, quem † *Casimirus* Sarmatarum regis filius, vel de geniali illecebra, vel de regio fastu retulit, inter præcipuos numerandus est fastos. 4 *Martij.* 512. *Golzius.*

III. Nonas Martij. † *Phocas* præclarissimus Martyr hunc sibi diem sacrauit, qui si minus in Romanis castris draconarium egit, at in religionis campo maiorem assecutus est gloriam insigni prodigio, quo draconibus, atque omni serpentium generi adeò metuendus fuit, vt neque ipsi ad eius sepulcrum auderent adrepere, neque cum veneno quisquã, sed illud statim ad delubri fores euomeret. *Hadrianus* verò leoni obiectus, amphitheatrale spectaculum dedit cum nullo Romæ veteris conferendum. 5 *Martij.*

Pridie Nonas Martij. Apud Græcos Thesei memoria fuit, cum missus est in Cretam, non sine magno suorum mœrore, ac metu; quamobrem Athenis quotannis pompa virginum ad Apollinis Delphici templum mittebatur; ac nobis nullus neque mœrori; neque pauori locus est, quandoquidem enim multi pro religione deuoti sunt, impietate tamen oppressa, maiore cum laude regressi, quàm ille Minotauro; hoc egit heros inuicti animi † *Conon*, hoc *Victorianus*, & *Victor*, præter quadraginta, duos laureatos. *Euagrius* verò pontifices exulare non dubitauit, modò suos ex Arij Labyrintho explicaret, turpissimo eius hæresis monstro confecto. 6 *Martij.*

Nonis Martij. Aedes Veioui sacrata ad Asyli lucos. Veiouem veteres dixere Iouem eum, qui detracta sibi iuuandi potestate, non nisi nocendi vim haberet, quamobrem corniger, & similis tela tendenti, ac ferienti effictus hic erat; quippe nonnullis cultum exhibuere Dijs eo tantùm nomine, quòd ab ijs aliquid detrimenti metuerent; in quæ falsæ religionis noxia monstra ne inciderent *Reuocatus, Saturninus, & Eubolus*, Africanis obiici feris maluerunt. At verò *Thomas Aquinas*, lumen illud ingenij, hæc, & alia eiusdem generis detestatus, libellum aduersus ethnicos edidit eruditum planè, ac doctum; fuit hic verè augustum quoddam luminis templum, ac pudoris ædes, cuius ad asylum iuuentus maximè genere, ac maiorum imaginibus clara 7 *Martij.* *Ouid.*

confugere, vt tuta sit, debet. Celebrabantur hoc item die Iunonalia sacra, videlicet Iunonis auspicis nuptiarum: atqui apud nos *Felicitatis* memoria est, quæ, cùm esset prægnans, tantisper morata est ex lege, dùm pareret; cumq; parturiret, dolebat, sed feris obiecta gaudebat: habuit verò sociam gloriæ *Perpetuam*, ne felicitas obnoxia rerum vicissitudini videretur, ac tempori.

8 Martij. VIII. Idus Martii. Ater dies Romanis; at nobis fausta sunt ipsa nomina, *Beata*, *Feliciani*, *ac Felicis* duplicis; vt omittam ceteros, inter quos præses † *Arianus* nomine duplici prodigio maximè admirandus, vel quòd ex sæuissimo religionis hoste factus sit tutor; vel quod in mare demersum exanime, ac mutum cadauer nullo citharœdi sono allecti delphines in littus extulerint.

9 Martij. Kal. v. VII. Idus Martii. Ancilia arma Romæ mota. collisa hæc gladiis scuta circumferebantur à Saliis non sine tripudio, quòd in vno ex illis putarent vrbis præsidium constitutũ. Sed longè tutius armorum genus est Fides; hac muniti erant † *Quadraginta* illi heroes, quorum tripudium impedire conata impietas, & glaciales aquas adhibuit, vt obtorpescerent, & crura ipsa confregit, ne exilirent, sed subsiliebat interim animus gaudio coronas intuentium è cœlo præclaras. Idem quoq; ancile mouit, & eodem vsus est genere clypei *Gregorius Basilij* frater in religionis tutela, & *Cyrillus*, atque *Methodius*, qui Morauiæ reges vnà cum barbaris populis Romæ subiecerunt. At verò † *Francisca* appellationem habet rectè Romanæ, quòd Romam quolibet ancili potentius tueatur.

10 Martij. 164 518 VI. Idus Martii. C. Luctatius Catulus insigni victoria potitus ad Lylibæum, de Carthaginiensibus naualem egit triumphum. T. quoque Manlius Torquatus de Sardis spolia opima retulit; sed ille præclarior triumphus, quem egit in primis *Alexander*, & *Victor* ipse, ac præterea quadraginta duo in Perside laureati. ille verò inusitato spectaculo actus est, in quo † *Codratus* pro triumphali curru habuit nubes.

11 Martij. V. Idus Martii. Græca quædam sacra Romæ clam, & sub obscura luce fiebant. at nos agere nisi in clarissima luce nec debemus, nec possumus, igne ipso videlicet ministrãte lucem: quo igne excruciati sunt Antiochiæ pro religione multi. At verò Romæ triumphauit hoc die olim L. Corne-

lius

lius Scipio Cos. de Pęnis,de Sardinia,& Corsica apud nos insignem egit triumphum *Euthimius* Præsul de Michaele Imperatore iconoclasta, itemq; Theophilo; præter eum, quem † *Eulogius*,alijq; multi de Saracenis egerunt: itaque diem auspicatum suo signat calculo *Candidus*. 530

IV. Idus Martij. Triumpharunt olim Romæ C. Flaminius,& P.Furius Coss.de Gallis,atque Liguribus. At viluerūt hæc nomina,cum† *Gregorius*,qui dictus est Magnus missis in Angliam exercitibus, dictus est etiam Anglorum Apostolus.triūpharunt quoq; & de Leone Armeno *Theophanes*,recuperatis Cęlitum signis;& de Diocletiani Cęsaris immanitate eius cubicularius *Petrus*. In hunc porrò triumphalē Consulū diē incidit multò speciosior,& ornatior pompa triumphi,quem paucis ante annis vidimus cęlebrari Romæ, cum Gregorius item hierarcha eo nomine XV. heroes quatuor, *Ignatium,Franciscum, Isidorum,Philippū*,&heroinā*Teresiā* ritè numerauit in fastis inter Indigetes. Capitolinæ similis pōpa fuit; nisi quòd ibi triūphator seruo monitore audiebat, se esse mortalē;hic à Principe religionis horū q sq;declaratur,ac decernitur immortalis. 12 Martij. 530

III. Idus Martij.Ioui Cultori sacrū fiebat Romæ; sed Iouis cultū ipsæ fœminę virilis animi *Theodota,Nymphodora, atque Chrystina* aboleuerūt constantia,eluerunt sanguine; vel potius deleuerunt; Iuppiter igitur Cultor,cum amisit aras, ac fana,dici cœpit incultus. In hunc, ac ceteros laruatos Deos se *Macedonius* cum socijs armauit. *Nicephorus* auspicium victoriæ secum tulit. at verò † *Euphrasia* virgo aulæ cultum spreuit, vt se excoleret. 13 Martij.

Pridie IdusMartij.Equiria in campo Martio celebrabātur incitatis ad cursum equis,sed nobilius spectaculum dedere pietatis,atque constantiæ quadraginta septē è *Petri*, ac *Pauli* religionis principum disciplina; præter eam laudem,quam in hoc genere alij retulerunt, quorum cursum excepit immortalis,ac veræ gloriæ meta. inter hos† *Martyres duo* fuerunt in virtutis stadio satis exerciti; quos mirū non est si fama canat,cum ipsi à morte prodigiosè cecinerint. horum verò, ceterorumq;purpuræ imbutæ cruore, libenter *Mathildis* regina attexit suam. 14 Martij. Ouid.

Idibus Martij. Annæ Perennæ festum erat Romæ, quo coniuges cū liberis læti in agris conuiuia peragebāt, multum enim se illi debere Romani dicebant,quòd,dùm viue- 15 Martij.

ret,plebis amantissima fuisset.at hic dies apud nos sacer est in primis *Matronæ* cuidam,ancillę quidem conditione,sed cōstantia liberæ,quæ ob religionem ab hera impiè excruciata est,atque necata; sed fecit verè perennē fama virtu-

Plin. tis;in cuius societatē laudis venit,& *Leocritia*. Fuit autem

Sueton hic dies Romanis partim lætus,& faustus,partim funestus,

418 ac tristis; nam in ipsum incidit, & M. Valerij Corui Cos. triumphus de Calenis actus;& C.Iulij Cęsaris misera cędes; quamobrem Paricidium hic dies dictus est, ac perpetuum iustitium deinceps indictum. apud nos tamen eorum, qui pro religione ceciderunt,idē,& interitus est,& triumphus; cuiusmodi fuit *Nicandri*, & *Aristobuli*, præsertim verò † *Longini*,qui triumphalem illam extulit lanceam in emortuj Dei cor immissam. Atque vt horum omnium triūphus sit pulchrior, hoc ipso die memoria est religiosissimi viri, nomine *Speciosi*.

16 *Martij.* XVII.Kal. April. Ater fuit Romanis dies,nobis omnino faustus,*Felicis* videlicet in primis memoria, qui vt sanguinem effunderet prodigè,adsciuit sibi socium,nomine *Largum*.Facit etiam † *Hilarij* cum socijs læta mors,ne ater hic dies dicatur,ac tristis,neque enim debuit hilaritas à felicitate seiungi.

17 *Martij.* XVI. Kal.April. Hic dies ex parte Romanis habebatur infelix;quippe cultores Matris Deûm luctum superstitiosè inchoabāt;ex parte verò felix,ac lætus; cū ob eius triūphi

490 memoriā, quē M. Valerius Messala Cos de Pœnis, & Siculorum rege Hierone retulit;tū ob Liberalia Baccho dicata, quo die ingenui pueri deposita prætexta,hoc est purpura pudoris insigni,virilem sumebant togam,quod non minus

Varro. lugēdum erat, quàm ipsa Deûm Mater.hæc Agonia vocat Varro. Apud nos memoratur in primis nobilis ille decurio *Iosephus*,qui nostri vindicis corpus marmoreo condidit tumulo,non sine luctu veræ *Dei Matris*. At exuto cū prætexta pudori opponitur *Gertrudis* virgo. Iam Messalæ triūpho longè præstat ille quē & fortissimi quidam heroes Alexandriæ de Serapide,& Byzātinus *Paulus* de Cōstātino Copronimo iconoclasta retulerunt. Quāquā & † *Patricius* in Hi-

18 bernia,siue veneni,siue venenatorum animantium victor

Martij. subdidit nouo more currui triumphali dracones.

Marian. XV. Kal. April. Hunc natalem Mundi diem quidam fa-

...ot. ciunt;quo die Romæ Palatini Iouis templum cū Sibyllinis

libris

libris est exustum; vt in eundem inciderit diē, & prima lux in Mundi decus, & hæc flamma in superstitionis dedecus. Apud nos autē ignis auspicatò illuxit; † *Eduardo*.n. Regi sanctissimo sacer est dies, quē regē à nouerca impiè necatū, atq; in profluentem proiectum ignea columna detexit. Sibyllinis verò libris exust s successit *Cyrillus* Hierosolymitanus antistes vaticinandi dono diuinitùs accepto inprimis insignis, quod maximè ostendit, cū Iuliano Cæsari perfido tēplū illud augustū dirutū instaurare conāti prędixit, irritā esse operā; ac paullò post cœptā molem, & ingēs terræmotus excussit, & ignis è cœlo lapsus exussit. Libenter autē in hunc diē, quo templū Iouis incensū corruit, incidunt decē millia Martyrū, qui facto agmine in ipsū coniurauerunt Iouem. comitatus illos cōmodùm est vnà cum *Felice Narcissus*, vt abundè madens ad alueū sanguinis, & perpetuò efflorescеret, & pulchriùs. Sūt qui putant in hūc diem incidisse *Christi* mortem. est is verè natalis Mundi dicēdus; atq; illius quidē spinas *Narcissus* flos aptè compensat, iure tot Martyrum millia vnà cum ipso deuoti cadunt; superiorem verò diem, quo Matris Deùm luctum inchoabant, quantò religiosius vera *Dei Mater* sibi ad luctum deposceret? quo verisimillimum est à filio ad mortem abituro tanti casus admonitam. Apud Epiph.

XIV. Kal. April. Quinquatrijs ferijs dabatur initium, quòd hunc diem Mineruę natalem putarent, quā virginitatis studio maximè insignem faciebant; sed hanc gloriam ei eripuit † *Iosephus* magnæ *Dei Matris*, ac virginis castissimus sponsus. Hic ille dies est, quo in vrbe Rhodo Minerua nascente, vt ait Pindarus, aurum pluit. 19 Martii. Syrac.

Βρέχε θεῶν Βασιλεὺς ὁ μέγας
χρυσέαις νιφάδεσσι πόλιν
ἀνίχ' Ἀφαίστου τέχναισι
χαλκελάτῳ πελέκει.
πατέρος Ἀθαναία κορυφὰν κατ' ἄκραν ἐκ.

hæc Pindarus magnificè magis, quàm verè de Minerua virgine; sed illud verius, hunc diē tū primùm dici potuisse aureum, cum *Iosepho* dicatus est pudicissimo magnę Virginis sponso. libenter autē tā amabili Dei nutricio adiungūt se, & *Amantius*, & omni gratia diffluēs *Pancharius*. Cęterū digladiari hoc primo ludorū die nō licuit, sed nimirū, quia seruilis erat ille gladiatorū sāguis, fœdari poterat natalis Mineruæ dies, at is, quē pro religione nonnulli fudere, inter Ce-rie Omn. xdens Gratia.

inter quos etiã fœminæ locũ habẽt,quia liber sãguis ornauit potius diem,multò autẽ nobilior,ac memoria dignior horũ mors, quàm quæ in Græcia Phocionis ducis hoc ipso memorabatur.

20 Martij. XIII.Kal. April. Alter Quinquatriorum dies, quo in Mineruæ honorẽ paria gladiorum dabantur; sed nobilius spectaculum proponit religio, vbi inter gladios *Eugenius*, *Anatolius*,& *Victor* vnà cum socijs strenuè se gerunt.at verò † *Vulfrannus* antistes miro nos tenet spectaculo; modò siccis pedibus Oceanum calcans modò ad nutum regredi iubens. Iàm si anastasis *Christi* in hanc diem incidit, opportunè adest, & *Victor* palmam præferens, & *Anatolius* Orientis luce clarus.

21 Martij. XII.Kal.April.Tertius Quinquatriorum dies, quo item gladiatores inter se cõmittebantur: maius tamẽ animi robur ostensũ Alexandriç in multis,qui cũ Arianis concertarunt,& arenã pulchro imbuerũt sanguine: at ille in primis gladium scitè, strenuèq; distrinxit, qui terrori fuit toti Erebo † *Benedictus*, maximè verò Apollini, quem etiam sagittis armatum de ara deiecit.

22 Martij. XI.Kal. April. Proximus à postremo dies Quinquatriorum,item gladiatorum spectaculo celebratus in Mineruæ honorem; nec tamen æquandum est cum illo,quod de se strenuissimi athletæ,*Saturninus* cum Socijs nouem,*Basilius* quoque Ancyrianus,& apud Carthaginem multa millia dederunt: nec mirum,cum hunc diem quidam assignent *Christi* morti:at verò Mineruç gloriam occupat † *Catharina Birgittæ* filia virgo nobilissima,adeoq; virginitatis amans, vt candidç instar agnæ,lac lupç, hoc est nutricis incestæ respuerit.

Epiphan.

23 Martij. X.Kal.April.Vltimus Quinquatriorum dies,Tubilustriũ dictus.lustrabant enim vrbem sacris tubis,ac Palladi forti, vt vocabant, Deç sacra faciebant, quo die apud nos veri Dei prçcones multi fuerunt,& fortitudinis specimen insigne prçbuerunt,Nobilitatus quoque hic dies est C.Cornelij Scipionis Cos.de Pœnis triũpho;atqui in hũc incidisse diem putat Bedas magni nostri Vindicis triumphalẽ mortem. Certè illi nobilem egere triumphum, nec sine auspicio nominis,in Africa quidem *Victorianus* Proconsul; in Palæstina verò alij nonaginta nouem; quibus itẽ ad auspicium victoriæ se iunxit *Nicon*: & quia victoriam felicitas

500 Liuius.

sequi-

sequitur, in eundem diem incidit *Felix* †; ac ne quid desit ad felicitatem, quanta collecta sit gloriæ messis, indicant † *Frumentij* duo.

IX. Kal. April. Hoc tantùm die Regi sacrorum in Comitia descendere licuit, vbi sacro peracto protinùs se fuga eripiebat; neque enim ei fas fuit magistratum gerere, ne aut incremento honoris arrogans, aut impedimento muneris negligens esset in sacris, atque hoc sibi volunt illa in fastis verba. *Quando Rex comitiauit*. at apud nostros nulla honoris ambitio, nisi fundendi pro religione sanguinis, pro qua sub Iuliano Cæsare *Alexandri* duo inter ceteros strenuè ceciderunt, quos verius Reges sacrorum dixeris, coronam videlicet, & insulas pro tuendis sacris adeptos; qua certè corona ille dignissimus, quamquam puer, qui Iudęorum furore mactatus, Tridentum religionis regiam sanguine consecrauit † *Simeon*. 24 *Martij.*

VIII. Kal. April. Hilaria festa Matris Deûm Romę celebrata non sine cômuni lætitia, quòd Sol cum incremento lucis accederet: potiùs nobis vera sunt Hilaria magnę *Dei matri*, ac virgini dicata, cum lætissimo ad nos æterni Solis accessu. Licebat tûc cuiuisè populo insignia cuiusq; dignitatis impunè prȩferre: quâtò hoc præstantius, quòd mortales diuini tatis facti sint compotes, nullo serui, liberique discrimine? Sed illa inter se longè discrepant, quòd, cum veteres Hilaria magnæ Deûm matri celebrabât, simul etiam mulieres Veneri sacra facerent; at contra idem dies nunc veræ *Dei matri* dicatus nullum dat locum Veneri; immò hoc maximè die consecrata virginitas est. qui item dies *Dulæ* virgini sacer est, quæ adeo abhorruit à Venere, vt pro pudicitia ferro caput obiecerit; sed cum se iugo subtraxit, seruile nomen fecit liberû. Illa quoq; hilariora, quàm olim, fuerunt Hilaria, quæ ducenti sexaginta, & duo Romani martyres celebrarunt: nunquam enim lętiore visi sunt ore, quàm inter pœnas, quod pio maximè † *Latroni* iure contigit, cû sibi regnû promitti audijt à socio mortis Deo: quippè ad hunc quoque diem multi Parentalia *Christi* referût: Hilaria certè sunt, quia Soteria. 25 *Martij.* *Lampridius.* *Macrob.* *Kal. 7.* Δούλη *Ancilla.*

VII. Kal. April. Caret hic dies veterû laude, nostrorû non itê: quippe, vt ceteros omittâ, *Castulus* est pro religione defossus vnà cum arenaria massa, quo ab hoste ipso strenuus declaratus est pugil. clarus itê, & illustris hic dies est, si minùs 26 *Martij.*

nis veterum fastu, atque fumo, at illo ipso fumo, in quem ad † *Lugderi* preces abire visi sunt laruati Dij.

27 *Martij.* *Cyral.* *Varro.* VI.Kal. April. Megalesia Romę celebrata quo die matris Deûm Berecynthię simulacrũ abluebãt vndis Almonis fluuij, veteri ritu iã inde accepto, cũ primùm illud ex Asia est aduectũ; vsq; adeò impura erat ea, quę Deûm mater dicebatur, vt impuris mortaliũ manibus esset abluẽda; nec mirũ est, prolẽ ipsã, hoc est Deos, inexpiabili turpitudinis labe fuisse inquinatã: ita verò mater abluebatur, vt & eos, qui hoc agerent, superstitione inquinaret; & ipsa multò quàm antea fœdior haberetur à nostris. Magna profectò laus verę religionis, quę magnam *Dei matrẽ* colit, virginem etiam à puerperio, tã insigni cãdore prędită, vt cũ eo composita niues Anaxagoræ vocẽ penè faciãt verã, cũ dixit atras esse niues. quãquã Berecynthię opposita est etiã *Lydia Philetę* purpurati senatoris coniux pudicissima, quę viri religionẽ, & constantiam imitata, suo se sanguine puriùs abluit. Desijt verò illa dici magna mater Deorũ, cũ religio cœpit
459 esse maior, & fœcundior mater heroum. Ceterùm fuit hic
734 dies insignis triũpho duplici, altero L. Cornelij Balbi de Africa, altero L. Posthumij Megelli Cos. de Sãnitibus, & Hetruscis parto. sed multò magis insignis est dies, *Christi*, vt plurimi putãt, reuiuiscẽtis triũpho de Erebo, atque morte, cui magno Imperatori debentur & illi postea parti triumphi fortissimorum planè Ducum, hoc est *Amphilochij* Ducis, itemq; *Narsetis* de Rege Persarũ, & *Alexandri* de Maximino Cęsare: qui quidẽ *Alexander* etiã extinctus superior fuit Macedone, vel virtute, vel gloria; fortior enim is, & magis metuendus hosti fuit in tumuli, quàm alter in cãpi puluere. testetur id Caianus homo audacissimus, qui eius supulcrũ violare, atq; ornamẽtis spoliare conatus, diuinitùs perterrefactus acrẽ sensit vltorem. Quid ille Salisburgensis antistitis† *Ruperti* triũphus, quàm opimis spolijs fuit ornatus? quem de Bauaris, de Noricis, ac multis alijs barbaris nationibus reportauit; quo in triũpho simulacra Deorũ innumera, ac fanorũ deiectorũ imagines fuere spectaculo. Neq; ab hac triũphãtiũ laude seiũgẽdus est *Ioannes* ille vir sãctissimus, qui cũ intra specum degeret clausus, tamẽ Imperatorũ, ac Ducũ victorias prospectabat clarius, quàm si adesset in acie pugnans; qui Theodosium, in expeditione suscepta aduersus Eugenium, & Maximum tyran-

tyrannos, bono animo esse iussit, ac de victoria certũ fecit. ita in illo ipso nemoris silentio sibi videbatur audire tubarum, lituorumque clangorem; & sub siluestrium arborũ vmbra palmas, ac lauros manu sua victoribus ante pugnam quodammodo pręferebat, ac porrigebat.

V. Kal. April. M. Attilius Regulus de Volscis, & Samnitibus triũphauit: apud nos de Iuliano Cęsare † *Malchus*, de Valeriano *Alexander*, *& Priscus* nouo victoriæ genere, per necem, triumphatores omnem priscorum gloriam superarunt: Ceterùm Aegyptiacus dictus est hic dies, hoc est inominatus, & infaustus; quo si quid serij agerent, putabant, id haudquaquam ex sẽtentia successurum: at verò apud nos non potest esse nõ faustus, cum eum sibi *Successus* ipse martyr vendicet. omni autem metu nos liberat, ac securos esse iubet religiosissimus vir, cui nomen satis accommodatum, *Spes*. 28 *Martii.* *Gyral.* 468

IV. Kal. April. Ater dies Romanis, quo exercitum cõscribere, aut educere religio fuit: atqui prosper fuit *Secundo*; candidus † *Eustasio*, faustus *Barachisio, ac Ionæ*, qui Sapori regi Persarum; *Cyrillo*, qui Iuliano Cæsari; *Armogasto* comiti, & regiæ domus procuratori *Saturo*; *Masculę* quoque *Archimimo*, qui Genserico pro religione strenuè restiterunt: siue huic vltimo nomen illud, quod certè virtuti debebatur, patriæ fuerit, vrbis videlicet olim in Africa nobilissimæ nomine *Masculæ*, siue proprium *Masculus*, dictus verò sit *Archimimus*; quòd videlicet antequam initiaretur, alter in scena Roscius egerit histrionicam, daturus deinde de se constantiæ spectaculum omnium longè pulcherrimum. 29 *Martij.* *vide Baro.*

III. Kal. April. Hunc diem Eleusinæ Cereri dicauit antiquitas, cuius sacris nihil aut fœdius fuisse dicas, aut stultius. quid enim impurius, quàm in mentem reuocare à Summano Deo tentas insidias pudori virginis? ac meritò in ijs sacris luctus adhibebantur, sordesq; lugubres, in tàm deflenda videlicet cæcitate mortaliũ, & in tam sordida rapina Deorũ; nec ab re erat, quòd Cereri fœdissimum animal, porcam, in ijs sacris offerrent duplicem; ac ne fœditas sacrorum appareret, vtramq; porcam ex auro & argento fecerunt; sed efficere nequiuerũt, ne huiusmodi sacra vilescerent apud nostros. pro hac verò Eleusina Cerere successerunt religioni maximè frugiferæ fœminæ, quæ à Macedonio sæuissimo bonorũ 20 *Martij.* *Rosin*

O hoste

hoste, præter cetera pœnarum genera, inter arcarum labra immittere coactæ sunt mammas, vbi cõpressę, nescias vtrũ plus effuderint cruoris, an lactis, quo abundè alta religio incrementum accepit. Præterea hoc ipso die Romani Cõcordiæ, Paci, ac Saluti vota fecerunt, & sacra; in quo quis risum tenere possit? quòd ij Concordiam, Pacemq; colerent, quorũ parens, & auctor fraterno cruore, quam condidit, respersit vrbem; quos intestinis odijs, atque dissidijs inter se Discordia ipsa tanquam furialibus tędis inflammauit ad cędem. Saluti verò quis locus tunc esse potuit Romæ? cui tandiù fuit vera salus ignota, & quæ aliquandiù impiè illam à se reiecit; tunc quidem esse potuit, cum inter ceteros † *Quirinus* tribunus Quirino conditore maior, vnà cum familia, sacris ablutus est aquis ab Alexandro hierarcha.

31 *Martij*. Pridie Kal. April. Lunę sacra fiebant in Auentino monte; sed eius lumen inobscurauit † *Balbina* virgo Romana *Quirini* tribuni filia, vel candore pudicitiæ, vel splendore generis, quod etiã *Cornelia* pręstitit, quę, eum suo rubuit sanguine, defectum lucis passa non est. atque hęc quidem longè pręstantior altera Cornelia fuit, multòque melius posteros, docuit, & erudiit exemplo, quàm illa ore Gracchos filios, qui rempublicam perturbarunt: quamobrem meritò ei se associat *Felix*, sequiturq; per vulnera, nec deserit in morte.



Ka-

Kal. Martii.

S. SVITBERTVS

1 Martii.

Germaniæ Apoſtolus.

Syno. *Eius mater uiſa ſibi eſt in utero ſtellam ferre. primus ſolemni ritu inter Indigetes eſt numeratus à Leone Pont. Max. ſuſcitauit mortuos, curauit arreptitios, euertit ſimulacra Deorum. Pipinum adiuuit in bello.*

ENCOMION 71.

Fuiſti gentili ſtemmare clarus in terris,
ſed maior claritudo tibi effulſit è Cœlo.
infœcundę matri per viſum oblata dicitur Stella,
ſed fœcunda lucis,
partita radios Germaniam verſus, & Galliam;
cinxit in orbem vterum, coronauit.
nec modò natalis fuit, ſed conceptus illuſtris;
aſtro nobilitatus es antequam natus.
meritò primus Cœlitum ſolemni cum pompa,
oraculo Romani hierarchę pręſentis,
ritè inter Indigetes cenſus.
feciſti, vt cæci & ſidera, & te cernerent Solem;
quin etiam extinctis morte dediſti lucis vſuram;
fugaſti è corporibus pręſides noctis;
ſigna illorum falsò radiata fregiſti.
impietate vbique perdomita,
Germanicus in primis dici poſſes, & Gallicus,
niſi vana reddidiſſent hęc nomina Cæſares.
Pipinus Imperator in caſtris
non ante potuit duros frangere Saxones,
quàm nuncupato voto ad tui tumuli lapidem:
triumphator ad vrnam pedibus acceſſit nudis.
ita feciſti maius Capitolio ſepulcrum,
cui ornãdo nõ modò Mars tribuit ſpolia victi hoſtis,
ſed victorem Imperatorem ſpoliauit pietas.

VI. Nonas Martij

2 *Martii.*

S. CEADDA

Episc. Merciorum.

Synop. *Cælestis planè vitę vir tempestates Cœli sedabat. Cœlites ei familiares in vita, symphoniaci fuerunt in morte. Eius tumulus prodigiis insignis, & celeber fuit: multi apud eum ægri à morbis variis, & grauibus curati.*

ENCOMION 67.

Mira huius in Deum pietas fecit incertum,
vtrùm terræ ciuis esset, an Cœli.
pastor populi fuit, diuinis ipse delitijs pastus;
Cum sibi commissam accepit Merciorum gentem,
hoc sibi proposuit,
vt opulentas Cœlo merces inferret.
in vitæ cursu semper velificatus est tutò,
nam si sonoræ circumtonarent procellæ,
lacrymis eas vincebat, & gemitu:
opponebat ardentia vota fulminibus,
suspirijs secundas euocabat auras.
affuerunt sæpe precanti Cœlites,
musicum morituro concinuerunt melos,
pro nænia oden, pro epicedio epinicion;
inter choreas, & lyras efflauit animam;
eosdem habuit symphoniacos moriens,
quos olim Deus oriens;
nisi fortè significatio quædam fuit,
non emortualem illum fuisse diem, sed natalitium.
Tunc maximè præsenti ope mortalibus adfuit,
cum ad immortales abijt.
mira res. currebãt ad tumulũ, qui tumulari nolebãt,
vitam suam propagabant illius cinere:
deuicta semper est mors,
quoties eius tumuli decertauit in puluere.

V.

V. Nonas Martij.

S. CHVNEGVNDIS

Imperatrix. 3 Martii.

Synop. *Auguſtali faſtu relicto, & aula poſtbabita, in ſacrũ parthenonem ſe abdidit. in teſtimonium ſuæ virginitatis ignito vomeri nudos impreſſit pedes illæſa: præfertur Tuciæ Veſtali, quę aquam in cribro retinuit.*

ENCOMION 73.

Nunquam auguſtiores viſæ ſunt aræ,
quàm cum Chunegundis Auguſta ſupplex
apud eas inſignia depoſuit imperij ſponte.
erubuit non ipſa, ſed ambitio,
cum hæc exuit purpuram.
non mundum modò eſt aſpernata muliebrem,
ſed ipſum, quem geſtabat manu,
mundi globum.
vt animus penitùs igneſceret Deo,
caput obnupſit flammeo virginum.
comam vibratam cinere abiecit in puluerem;
ſed detonſa eius coma, & iacens humi
multò pulchrior eſt viſa,
quàm quæ Berenices fingitur in Cœlo
inter aſtra ſplendeſcere.
ſacrum gynecæum mutauit in regiam,
cui regia ipſa pro delubro fuerat.
Inter tædas Henrici Cæſaris, quòd minùs arſiſſet,
adhibitus eſt teſtis ignis.
ignitum vomerem calcauit impunè,
collectura videlicet vberem gloriæ meſſem.
maius hoc, quàm Veſtalis virginis factum,
cui idem teſtanti hæſit in cribro aqua;
at hæc ſibi ſubſtrauit pedibus ignem,
vt veſtigia relinqueret pudoris illuſtria.

IY.

IV. Nonas Martii.

SS. HEMITERIVS, ET CHELEDON.

3 Martii. Martyres.

Synop. *Multis hi vexati pœnis. fuerunt. antea milites dracônarii vicerunt varios hostes, tandem Stygios. cum cęderentur, miro modo annulus militaris unius, et chlamys alterius uisa sunt in cœlum ferri stupente lictore.*

ENCOMION 74.

Vnum hi fassi Deum, non vnius pœnæ dispendio,
sed damna multi sanguinis beata rependit vita.
patuit per amplum vulnus ianua glorię.
Cæsaris antea strenui milites,
ad summi conuolarunt Imperatoris signa.
pro ventosis draconum carbasis,
signum prætulerunt, quod draconem subdidit.
vile putarunt, demoliri machinis muros,
nobilissimum, euertere tyranni Stygij regnum.
virgæ, quibus sunt cęsi, illuserunt sceptris.
bisulcis exarati vnguibus,
quasi rastris vsi, vt progerminaret gloriæ seges.
Multa de his prodigia vetustas oppressit,
vnum constat clarissimum, testibus terra, Cœloque.
admirabilius nullum vnquam spectaculum datum.
quippe alterius militaris ãnulus, & alterius chlamys,
dum cęderentur, euecta euolarunt sursum;
clara suscepit nubes, in Cœlum intulit,
tanquam triumphalia ornamenta victoriæ.
premiserunt in cœleste Capitolium spolia.
nempe seruata Imperatori Deo militum fides,
quia maior erat humana,
ex Prud. meruit, vt supra humum tolleretur annulus.
expalluit lictor, ac repressit à cęde manum,
sed tandem peregit ictum, nè periret gloria.

IV.

IV. Non as Martii.

S. LVCIVS

Pont. Max. M. *Martii.* 4

Synop. *Nouati hæresi acerrimè restitit, qui resipiscentes recipi omnino nolebat. exulauit indignè, cum esset præsul, sed rediens creatus est Pont. Max. quod munus ægrè accepit. sed præclaro illud martyrio illustrauit.*

ENCOMION 75.

Nihil summus hic præsul antiquius habuit,
quàm vt antiquaret Nouati dicta.
nempe ferreus hic spem veniæ negabat reis;
fixit adamantino necessitatis clauo scelus,
nunquam refigendum in vita.
atqui spectare videbatur ad Lucium,
caliginosæ noctis errori
opponere Solis aspectum:
mirata est Roma Nouatum sui oblitum nominis,
nolle renouari animos:
putauit hos ille deteriore cõditione, quàm angues.
Pulsus ab Vrbe Lucius penè cum triumpho redijt,
Cornelio videlicet hierarchæ suffectus summo:
accepit onus hoc voto, ne aut pastor gregi,
aut deesset gubernator naui.
non effecit hostis exilio, vt haberetur parui,
sed vt rediret maximus.
dilata mors est, vt constantiæ maius esset theatrum,
vt fieret incrementum honoris.
idcircò extractus est è latebra exilij,
ne occulta mors videretur ingloria,
decuit Lucij virtutem in luce versari.
victima præbitura omnibus pietatis exemplum,
non alibi tingere debuit infulas sanguine,
nisi Romæ, scilicet in maxima orbis terræ ara.

IV

IV. Nonas Martii

S. CASIMIRVS

1 *Martij.*

Filius Poloniæ Regis.

Synop. *Solitus erat clã noctu adire templa: multas de Turcis impetrauit â Deo victorias. cum medici ad morbum curandum suaderent ei coniugium, nullo modo persuaserunt. post mortem suis in bello adfuit, timendus hosti.*

ENCOMION 76.

Sacrasti regiam, Casimire, purpuram
delubris, & aris.
diutius in his, quàm in aula versatus,
noctu quoque sacram adibas ædem,
conscia tuæ pietatis fecisti sidera,
consciam, at non sine metu, Lunam,
quæ, cum te pro incolumitate tuorum
in preces vidit effusum,
Othomannicis expalluit in signis.
At regia purpura erubuit, solito magis,
cum vidit à te sibi præferri candorem:
nunquam tu fuisti sanior,
quàm cum ęger propositam pro pharmaco Venerem
reputasti venenum.
satiùs putasti priuari, vnà cum vita, imperio,
quàm hæc à medicis imperata exequi.
prætulisti Cupidinis facibus tuum rogum,
geniali toro funebrem lectum,
regni solio tumuli solium,
denique Lubentinæ Veneri Libitinam.
Fuisti, etiam cum putabaris extinctus, fulmen belli.
iacens in tumulo, visus es pugnare victor in campo.
retulisti opima spolia barbarorum,
etiam spoliatus vita.
Turcas literis infensos fecisti literatos.

III.

III. Nonas Martij 5 *Martij.*

S. PHOCAS

Martyr.

Synop. *Miram hic habuit vim contra serpentes, qui ab eius tumulo fugiebant. ab his percussi, antequam eò accederent, curabantur. confertur eius tumulus cum primi parentis horto, qui certè serpente non caruit.*

ENCOMION 77.

Felix genus fuisset humanum,
si parentes primi ea vi præstitissent, qua Phocas.
quantùm hunc vetus exhorresceret serpens,
ostendit in serpentibus ceteris;
non modò illi ad viuentem accedere non audebãt,
sed locum vitabant, vbi iacebat humatus;
absterrebat hic vel exanguis angues;
sola vicinia exanimabat huius exanimis.
diceres ad Phocæ sepulchrum
tutiùs potuisse, ac diutiùs viui,
quàm in affluente olim vitæ delicijs horto;
etsi ille Orientẽ, hic spectaret Occasum.
sed ibi perijmus vnius fraude serpentis,
lapsi omnes in cineres;
hic vnius mortui cinis
omnes poterat necare serpentes:
data sit alijs vis angues impunè calcandi,
obbibendi sine noxa venenum.
at hic ideò pedibus non protriuit angues,
quia illi celerem se proripiebant in fugam;
ideò venena non obbibit,
quia antequam admouerentur ori,
desinebant esse venena.
pro delubri foribus statim residebat malum:
ante effundebatur virus ex ore, quàm preces.

P Pri-

Pridie Nonas Martij

6 *Martij*.

S. CONON

Martyr.

Synop. *Confertur cum Atheniensi Conone victorijs claro, iussus est pedibus clauo fixis ante currum incedere, similis Christo fuit, qui ita triumphauit de Erebo, ac morte; sed huic ad triũphũ etiã currus tributus est ab ipso hoste.*

ENCOMION 78.

Desiste in Cœlum efferre laudibus, Græcia,
libertatis olim vindicem tuæ Cononem.
duros ille Spartiatas fregerit bello,
Plutarc. Athenas impleuerit laureis;
at plures iniecit religionis in sinum laureas
domitor hic tyrannorum Conon.
ipsæ pœnæ in insignia cessere victoriæ.
iussus est ante currum nouo modo incedere,
pedibus ferreo clauo transfixis;
sed ratus est, in triumphali se pompa duci,
gauisus, purpuratos habere vel pedes,
clauatas non tunicas ferre, sed plantas.
expressit imitatione magnum salutis vindicem,
nisi quòd penè visus est triumphare apertiùs,
quia pompa non caruit curru.
nihil simile laureata spectauit Roma.
insistebat cruentis pedibus solo,
vt vestigia virtutis imprimeret pulchra;
fecit suo cruore,
vt via ad Capitolium verè diceretur sacra.
inusitata intulit spolia,
spoliatũ videlicet Stygis tyrannũ diuinitate nõ sua,
ducta sunt in pompa Deorum simulacra, sed fracta.
incedebat pedibus non magis suo de sanguine,
quàm de Deorum strage purpureis.

No-

Nonis Martij.

S. THOMAS Aquinas. *7 Martij.*

Synop. *Superasse ostenditur omnem maiorum suorum gloriam virtute, atque doctrina: illustris factus est ignito ipso torre intento in pellicem. indixit loquaci antiquitati silentium magnitudine sapientiæ.*

ENCOMION 79.

Salue patriæ decus, patriciorum gloria,
medulla sapientiæ diuinioris interior,
flos integer, & illibatus ingenij.
fecisti splendenti luce virtutis, atque doctrinę,
vt fumosæ maiorum tuorum vincerentur imagines.
penè viluerunt triumphales adoreæ Ducum,
alatæ Victoriæ, trophæa, manubiæ.
mirata est Fama celeriorem mentem tuam,
quàm pennas suas.
ambigit illa, vtrùm fortiorem te dicat,
quòd lacrymas vicisti maternas, an quòd irã fraternã.
cum sacram lacerarunt chlamydem, nudare conati;
apertius patuit generosum pectus.
sed admirationem superasti omnem,
cum Venerem vicisti torre armatus ignito;
extinguere voluisti igni, nempe ortam ex aquis.
nemo bellatorum fratrum tam acer fuit in campo,
quàm tu domi tuæ.
tyrocinium imbellis ætatis,
magisterium fecisti inuicti pudoris.
opposuisti Furiarum tædis tuam.
immò & tu cœpisti furere, sed sanè.
è cinere accepisti quod opponeres
vibrato capillo calamistri cinere.
experta est te cerussata mulier haud quaquã cereũ.

ideò non inuasisti illam ferro, sed igni,
quia Lernæam putasti hydram,
sed sibilis explosa est suis.
quamquam non tàm torris fuit ille, quam fulmen;
intonuisti voce, clamore, minis.
cecidit illa corusco fulgure oris attonita,
nempe aquilam prætetulisti fulmineam;
eius more in clarissimum veritatis Solem
defixisti acerrimum mentis obtutum,
idem tamen columbini candoris fuisti;
At ne miles habereris discinctus à fratribus;
à Superis præcinctus es militari balteo.
tunc te à Cupidinis expedijsti laqueis,
cum sacra obligatus es zona;
hac elusisti incestæ illius matris cestum.
nullæ vigiliæ tam strenuum faciunt militem,
quàm tuus tunc te fecit sopor;
sopita deinceps torpuit omnis illecebra.
Prædicta est vaticinio pietas tua;
sed quid prænunciari de te non potuit boni,
cum cœlestis verba nuncij hausisti gutture?
quid te infante gratius,
quem inscripta plenè enutrijt ipsa gratia?
ne vitæ pudor posset notari,
Virginales deglutijsti notas;
vilis Deorum haberi cœpit ambrosia:
ita magnis rebus prælusisti maximis puer.
bos mutus es dictus, sed exarasti literas,
quibus iners, & hebes obmutuit Græcia.
clamosam Zenonis porticum
commutasti silentio. Pythagoreo
mira præstantia, vel doctrinæ, vel morum:
fecisti, vt victi erubescerent sophi;
scilicet habent illi, quo vultum obtegant, pallium.
VIII.

VIII. Idus Martij.

S. ARIANVS. 8 *Martij.*

Martyr.

Synop. *Christianus effectus est ex ethnico præside, cū excæcatus sagitta, qua iusserat martyrē cōfigi, diuinitùs ab eodem curatus esset. ipse verò mox pro religione suscepta in mare proiectus est, sed à Delphinis ad littus deuectus.*

ENCOMION 80.

Mirum præses hic dedit spectaculum sui,
ex hoste religionis acri propugnator acrior;
mortem bonis inferendo, didicit viuere.
Cum Philemonem sagittis ad palū configi iussisset,
directo diuinitùs iaculo ipse amisit oculum;
sed pro illato supplicio collatum est beneficium,
admoto posteà eius sepulchri puluere recepit lumē,
non oculorum modò, sed mentis.
ilicet ardor incessit animum,
Deorum signa redigendi in puluerem.
nec mora: pœnis, quas alijs parabat, ipse addicitur;
suis se lictoribus reum facit,
præco iam veri Numinis, contemptor falsi.
paricida habetur, quòd patrios oppugnet Deos;
ideò in culeum insuitur arena ingesta grauem.
sed mirè promptum fuit obsequio mare.
præsto sunt Delphines solito grandiores,
subeunt corpori, exponunt in littore.
attoniti omnes hæsere spectaculo.
desijt de Arione loqui posteritas,
nam ille delphinem lyræ suauitate demulsit,
hic arenæ, cum qua proiectus, onere fatigauit.
exposuit eum vnà cum arena Delphin
in arena littoris,
nempè verus declaratus est pugil.

VII. Idus Martij

9 *Martij.*

SS. MARTYRES
Quadraginta.

Synop. *Cum coniecti essent in gelu, vnus se pœnæ subtraxit. substitutus est carceris custos, oblata per visum corona. Puerum semianimem, ne superstes mentem mutaret, mater in currum martyrum coniecit ad rogum.*

ENCOMION 81.

In tot militibus vna conspiratio fuit,
par certamen, par in morte constantia,
proinde & coronæ pares:
nisi quòd ex diuite arbore fidei
vnus præcisus est ramus aureus,
sed progerminauit statim alter metallo simili.
In stagnum immissi gelu concretum
incrementum accepere virtutis;
frigore coactus est sanguis, at nō coactè, sed spōtè.
collectus in sese sanguis
maiores accepit vires, vt resisteret hosti.
dum frigore fremunt dentes, ac frendunt,
exitium minitantur Erebo.
tremit dextera, sed ideò, quia vibrat arma;
illo tremore membrorum concussi sunt Inferi.
tunc maximè solidi, atque infracti sunt visi,
cum in vitreo stagno versati.
cum algendo integram sustinuere noctem.
militarem instruxere custodiam.
cum se nudatos viderunt ab hoste,
se victores hostilibus induerunt spolijs.
mirandus in primis fuit in tanta vi frigoris
pietatis ardor, sed ambitiosus in matre;
semianimē filiū cum alijs arsurū iniecit in currum,
ne gloria careret illustris triumphi vel puer.

VII.

VII. Idus Martij.

9 *Martij.*

S. FRANCISCA

Romana Matrona.

Synop. *Vicit veterum Vrbis Matronarum laudem. in Tiberim lapsa enatauit incolumis. asceterium pietatis instituit. Angelum secum habuit, cuius aurea coma luce, & noctem, & ipsum noctis principem vincebat.*

ENCOMION 82.

Illuminasti, Francisca, matronalem stolam
clarissimis virtutum gemmis.
inobscurasti veterum nomen heroidum:
cæperunt Romæ sileri Porciæ, Caiæ, Lucretiæ,
Delapsa casu in Tiberim enatasti mirè;
te demergere nec debuit vnda, nec potuit,
vel quòd in cœlum solebas efferri sublimis,
vel quòd Oliuetanæ familiæ parens
instar olei supernatasti aquis.
cum palæstram instituisses virtutis,
aptè inunxisti pugiles oleo.
Relictis astris ad te deuolauere Cœlites;
vnum in primis è Dei regia procerum
habuisti perpetuò assidentem tibi.
demisit ad terras ille fulgentes alas suas,
vt tu ad Cœlum attolleres tuas;
ad illius comæ lumen legebas, inambulabas noctu;
viles visæ sunt tibi ipsæ siderum faces,
quæ mente præcelsa transcendebas sidera.
vt inuida Erebi monstra peruinceres,
non nisi de Cœlo pugnanti datus est armiger.
nôn tot Stygius hostis horribiles induit laruas,
quot hic iucundissimas formas.
simulato draconi oppositam nacta es aquilam,
atris Furiarum crinibus auream huius comam.

10. Martij. *VI. Idus Martij*

S. CODRATVS

Martyr.

Synop. *Statim post ortum emortua matre, cum lacte careret infans, mirè in altum à nube euehebatur, ibiq; diuinitùs pascebatur. præfertur Romulo, qui nutritus est lupa lacte, de loco, in quo necatus est, fons erupit.*

ENCOMION 83.

Codrato puero nihil admirabilius cecinit fama;
nutrimentum primò incertum habuit.
emortua statim matre, vberibus caruit;
sed signis haud obscuris alimenta sufficit Cœlum.
conuolutus enim nubium globus ab alto lapsus
prodigiosè complectebatur infantem;
arreptum à cunis alumnum in sublime tollebat,
ambrosia pastum postea demittebat ad terras.
mirum dictu: habuit pro fascijs volumina nubium,
pro crepundijs crepitus fulminum.
nutriciæ illius næniæ fuere tonitruum sonitus,
fulgetra lusus.
non fudit desertus à suis lacrymas,
qui infra se fundi videbat imbres.
cum nubes Sole colorabantur auerso,
admirabilior ipse, quàm Thaumantias fuit.
his auditis purpurata erubuisti Roma,
quòd à lupa nutritum in siluis feceris Deum:
nouum venerari cœpisti heroem,
quem puerum nutrijt Cœlum.
facilè spreuit hic tyrãni minas, qui spreuerat Iouis.
educatus impunè inter fulmina,
coruscos delusit acinaces.
fons erupit è terra, vbi cecidit ferro:
elicere potuit aquas, qui versatus erat in nubibus.

V

V. Idus Martii

S. EVLOGIVS

Episc. Tolet. design.

11 Martij.

Synop. *Scripsit in carcere in quē erat à Mahometanis coniectus, fortia Martyrū facta, etiā carmine. mox & ipse Martyr effectus. tutata est eius cadauer à coruis columba, quæ licet appetita lapidibus, perstitit diū custos.*

ENCOMION 84.

Obliuisci videretur sui ars benedicendi,
si sine elogio præteriret Eulogium. *εὐλογεῖν bene dicere*
hic ab illiteratis Mahometanis coniectus in carcerē,
carcerem ipsum fecit literarium Musèum.
alligatus vinculis gesta Martyrum alligauit metro:
nisi quòd mensuris vsus in immensa laude.
Castalium fontem fecit ex incesto castum;
frænum iniecit liberiùs excurrenti Pegaso.
promeruit eorundē laudē, quos ꝓsecutus est stylo,
eum ipsum hostis impiè insecutus est ferro.
Designato Tolosanæ vrbis antistiti
præuenit ex voto tiaram laurea,
lictoria virga Pontificiam.
auctus est honor, quia purpuratus occubuit.
proiectum est in profluentem corpus,
vt coruis esset rapacibus præda;
sed miro columba candore aduolans statim,
cruento incubuit pectori;
pulchriores retulit alas pictas sanguine,
quàm vanis à Sole coloribus.
appetita quantumuis saxis auolare noluit;
nidificare melius posse sibi visa non est columba,
quàm in candido præsulis pectore.
sed illud mirum, quòd putauit à nece tutum
cruore manantem pectoris nidum.

IV. Idus Martii

12 *Martij.*

S. GREGORIVS.

Magnus Pont. Max.

Synop. *Creatus Pontifex peste sæuiente, successit Pelagio. cũ abditum in silua columna indicauit ignea. hæreticos est insectatus. Anglos vera religione imbuit. Eutychium anastasin corporis negantẽ adduxit ad fidẽ, libro cõbusto.*

ENCOMION. 85.

Appellari in vrbe Roma cœptus es Magnus,
cum cœpit illa videri minor,
immani diminuta vel peste, vel bello:
at ne magni nominis faceret Roma iacturam,
consignatum illud in te vno seruauit magno.
amisso summo nauis gubernatore Pelagio,
tibi commisit in tempestate clauum:
sed tu matre natus, cui nomen Siluia,
in siluæ latebra velut vtero te condis;
frustra, nam prodire oportet in lucem.
ignea columna latere conantem prodit.
inter virgulta implicatum labyrinthus tenet;
at præibit illa splendore dux viæ.
columnam nactus es ignis, nubis nos item;
quia tam illustris virtus opacari non potest;
domabis Africæ monstra, Donati asseclas;
opima Britanniæ spolia in vrbem referes.
immortali dignus es laude,
in cuius tutela immortalitas fuit;
siquidem, te docente, tandem est fassus Eutychius
humani corporis, quam negabat, anastasin,
tũc respõdit nomẽ, felici vel religionis sorte, vel sua.
te auctore Imperator eius libellum proiecit in ignẽ;
meritò damnatus est rogo,
qui perpetuum nostrum faciebat cinerem.

εὐτύχη *bona Sors.*

IV.

IV Idus Martij

S. THEOPHANES Monachus.

12 Martij.

Synop. *Vbi cum coniuge religiosam vitam amplexus est, fragrauit thalamus. à* KaKodæmone *frustra demorsus est. Leonem Iconomachum, à quo in carcerem detrusus fuerat, non extimuit. arreptitios mortuus liberauit.*

ENCOMION 86.

In Theophane cęlata virtus esse non potuit,
quam in ipso nomine diuina vis fecit illustrem.
tunc clarior factus, cum extinxit thalami tædas. *Θεὸς Deus, φαίνω Luceo.*
clarior illa fax visa, quæ arderet pudore,
quàm quæ Cupidine.
fragrasse tunc dicitur miro thalamus odore,
cum florum odere Deam.
coniugem suam parthenone, se condidit asceterio.
exarsit tunc immaniter hostis inuidia,
quòd illi non exarsissent molliter Venere.
Theophanis pollicem appetijt morsu, sed frustra.
Erymanthium imitatus aprum in Herculē incidit.
quanquam hic Hercule maior,
quia & libidinis acrem euaserat morsum.
victo iam apro, cum Leone Armeno venatio fuit,
auso lacerare vnguibus imagines Cœlitum:
sed ille se ipsum induit falsitatis in laqueos,
factus Theophani præda.
frustra hic obscuro damnatus est carcere,
quia vel nomine diuinam præferebat lucem.
quin etiam extincta prodigijs explenduit magnis,
ad eius quippe tumulū, q corpora obsidebāt hostes,
vinci se, ac pelli clamabant.
ita apri, qui viuentem inuadere conati sunt morsu,
tandem à mortuo pauidi fugerunt, in lepores versi.

III. Idus Martij

13 *Martii.*

S. EVPHRASIA
Virgo.

Synop. *Relicta senatoris patris domo, Deo se dicauit. antistitæ virginum paruit. partim seipsam exercuit lapidibus conuectandis, partim à* KaKo*dæmone exercita, de tecto deiecta, & vulnerata. sed virga eum terruit.*

ENCOMION 87.

Omnis benedicendi vis vincitur ab Euphrasia.
εὐφράζω bene, loqui. elegantiam non verborum quæsiuit illa, sed morum,
senatore parente nata
paternam purpuram candori posthabuit suo,
latum eius clauum Dei sponsi clauis.
aulam cum parthenone mutauit;
hanc sibi palæstram virtutis fecit.
antistitæ nutus pro iussu fuit.
vt alta iaceret fundamenta virtutis,
exercita est vectandis vltro, citroq; saxis,
ita soliditas est probata propositi;
sed nihil interim fuit ad pietatem mollius.
mirè vafritiem communis hostis elusit,
cum se primò finxit imbellem.
passa est ab illo se deturbari è tecti fastigio,
resilijt tamen incolumis instar pilę;
illusit videlicet hosti quasi per pilæ ludum.
ausus est ille infligere Virgini vulnus;
sed vt vidit è plaga manare gloriam,
non tam illa rubuit, quàm ipse erubuit:
nihil deinceps æque horruit, ac Euphrasiam;
non dubitauit hæc terrere Stygis tyrannum virga;
fragilem opposuit bacillum adamantino sceptro.
quin etiam tumulata illũ abire è corporibus iussit,
non ipsa est visa exanimis, sed hostis metu,

Pri-

Pridia Idus Martij.

SS. MARTYRES DVO à barbaris necati. 14 Martij,

Synop. *A barbaris suspensi, eliso licet gutture, tamen mirè auditi sunt post mortem psalmos canere. Conferuntur cū Orpheo, ad cuius tumulum, & vrnam ferunt luscinias conuolare solitas, & omnium suauissimè canere.*

ENCOMION 55.

Horum nomina ideò fama non protulit,
quia superarunt illam præclaris factis:
suspensi sunt à barbaris arbori, sed felici;
pependerunt tanquam poma matura gloriæ.
parum dixi: mirum quiddam proditum est memorię.
eos exanimes ab arbore cecinisse suauiter;
obstupuerunt hostes, qui fregerant ipsorum guttura.
resonabat omne sacris carminibus nemus;
exterritæ armorum sonitu ceteræ fugerant aues,
hę tantùm audiebantur ex arborum ramis,
lusciniæ duæ, licet extinctæ.
interclusо per funem spiritu,
pertinax tamen erat in canendo spiritus;
modulatio erat nota, non modus.
liquida vox in corporibus rigidis
spiritu variabatur inflexo;
in occisis distinguebatur sonus aptè concisus.
per iugulum contorta reste compressum
copulabatur intortus.
tunc maximè solutum erat guttur in melos,
cum tenebatur arctè constrictum.
minus mirum est visum, quòd ad Orphei tumulum
olim vocales lusciniæ canerent; Pausan.
cum hi post mortem sibi ipsi canerent non epicediū,
sed de victis barbaris epinicium.

Idi-

Idibus Martij.

S. LONGINVS

Centurio.

Synop. *Cum aperuiſſet lãcea Chriſti latus, reſipuit. exaggeratur mira eius fides, & pietas; quòd faſſus ſit Deum, quem turpi genere mortis affectum videbat. euulſa eſt ei poſteà lingua, ſed tamen mirè locutus eſt.*

ENCOMION 89.

Excepiſti, Longine, voce vitali tua
vltimam morientis Dei,
factus es ex primipilo cohortis
primus diuinitatis præco.
ſtupente mundo, attonitis elementis, ac mutis,
ſola vox inſonuit tua.
extuliſti victricis lanceæ trophæum nobile,
cetera vulnera alteri profuere prædonum,
at lateris vulnus tibi.
nempe amplior tibi ad vitam patuit ianua.
tibi maximè ille moriens annuit capite;
teſte te magnam efflauit animam,
vt tu viueres ab eius morte primus;
diuinus ſanguis prouenit ſtatim in pretium tui.
inter tot, ac tanta in Dei morte prodigia,
tua vox admiranda non minus fuit.
quia teſtata eſt diuinitatem apertè, clamore;
tunc pro reo habitum faſſus es Deum clarè,
cum horreſcebat obſcurus ſine Sole Mundus.
nutante terra, vacillante Natura,
firmam, & ſtabilem edidiſti vocem.
nobilis fuiſti centurio, nobilior præco.
linguam tibi poſtea impius hoſtis euulſit;
ſed quia clamore verum teſtatus es Deum,
etiam euulſa, prodigiosè meruiſti loqui.

XVII.

XVII. Kal. April.

S. HILARIVS 23 *Martij.*

Episc. Aquileiæ. M.

Synop. *Variè vexatus, vngulis concerptus, & excarnificatus est; tum iniecta in humeros prunę. Herculis fanum diruit, impetrato diuinitùs terræ motu. multa idola solũ exsufflando deiecit. Habuit in morte socios martyres.*

ENCOMION 90.

Omnibus certauit armis impietas,
vt Hilarium cruciando faceret tristem;
sed exarata sunt membra vulnerum sulcis,
vt meteret gaudium.
ferreæ vngulæ cesserunt in rastra,
onerarunt humeros candentibus prunis,
sed alter visus est Atlas illustri tergo,
alter Alcides;
nisi quòd hic superbum Alcidę famum
funditùs deiecit imperio precum.
armauit Naturam, quatefecit solum,
effecit, vt vltrice corrueret terra,
qui sustinere putabatur Cœlum.
parum hoc, ceterorum quoq. Deorũ cõminuit signa,
non ferro, non manu, sed ore;
immò solo spiritu:
reflauit Fortuna Dijs, hoc sufflante,
immò reflatum est ipsi Fortunæ, quæ desijt dici Dea.
tumentes remisit spiritus tyrannus Stygis,
hoc spirante.
accepit pro religione vulnus, sed pectore aduerso.
cecidit non fortiter modò, sed hilariter,
nempe inter Felicem, & Largum socios.
alter fecit, ne videretur ob necem miser,
alter, ne sanguinis parcus,

XVI.

XVI. Kal. April.

S. PATRICIVS

Episc. Hiberniæ.

17 *Martij.*

Synop. *Tantum auctoritatis habuit, vt cum baculo, cui senex insistebat, perforasset Regis, quem alloquebatur, pedē, nihil ille commotus sit; quamobrē Patricius ex Hibernia exegit venena. ostendit purgantem ignem in puteo.*

ENCOMION 91.

Patricij nomen magis ornat Hiberniam,
quàm veterem Romam Patriciorum.
ingenita huic fuit à virtute nobilitas.
De diuinis rebus dum faceret verba cum Rege,
defixis oculis non humi, sed Cœlo,
bacillum senior incautè regio infixit pedi.
ingrauescens ætate corpus
toto pondere incubuit super.
mira Regis in summa potestate, vel tolerantia,
vel in Patricium veneratio.
stetit diù immotus pede transfixo.
pluris apud se fuit ligneus baculi clauus,
quàm imperij aureus.
bacillus cum sceptro certauit, & vicit.
pes alto insistens solio regni
subiecit se sponte senili pedo.
pulchrior fuit purpureus suo cruore, quàm muricis.
reddita merces est tanta digna pietate.
nam quia Rex iracundiæ non effuderat virus,
tota deinceps Hibernia caruit veneno.
euanuerunt aconita, exularunt angues;
sed ne carerent improbi scelerum metu,
igneum aperuit puteum, quo expiantur Manes.
scilicet ideò flammas ostendit in puteo,
vt īdicaret posse restingui, si repleretur hic lacrymis.

XV.

XV. Kal. Apri.

S. EDVARDVS

Rex Angliæ. 18 *Martij.*

Synop. *Pudicitia maximè insignis fuit. ab impia nouerca occisus est, qua intrudere conabatur in regnum filium, & vt tegeret paricidium, corpus ipsius Eduardi in profluente demersit, sed inuentum diuinitùs indicio colũna ignea.*

ENCOMION 92.

Fuisti, Eduarde, pulchrior pudore, quàm purpura;
sed cruore pulcherrimus.
insignior euasisti odio nouercali,
quàm amore paterno.
ditauit te magis hostili nouerca ferro,
quàm hæreditario genitor auro.
quid non ausa mulier furiali mente percita.
vt filium collocaret in solio?
verendum caput, pontificia inauguratum manu
exaugurare se posse impia credidit manu;
regni notam vertici illitam oleo
conata est delere sanguine.
vittata sauciauit tempora,
sed negauit vulneri diadematis fasciam.
vt regias attribueret filio vittas,
te infulatam mactauit victimam.
quin etiam cruentum cadauer inhumatum
in palustrem proiecit lacum.
ingemuit Britannia, exhorruit atrox facinus,
ipse nouercæ filius purpuram à se repulit,
innocentis cruore tinctam;
sed palude mersum extulit prodigio virtus;
ignea statim columna prodidit.
mira res: deiectus è regni statu, in columnã surgis,
extinctus morte, splendescis in flamma.

XIV. Kal. April.

S. IOSEPH

19 Martij

Sponſus Dei Matris.

Synop. *Exaggeratur Dei, illi tanquam parenti obtemperātis, & ad fabrile opus collaborantis obſequium; item ſuauiſſimum nutricij munus. tum felicitas commemoratur coniugij, cum pudoris integritate perpetuò coniuncti.*

ENCOMION 93

Quo te præconio nominis compellem grandiùs.
quàm magni parentem Numinis?
nihil illuſtrius tanti nominis vmbra.
genitore Deo natus te eſt reueritus patrem.
vidiſti Mundi fabrum quondam citra laborem,
collaborantem cum dolabra tibi:
Cœli artificem aſtra conflantem auro,
ligna denticulato ſecantem ferro.
arripuit tua iuſſa, pependit à nutu,
vel expalluit Natura, vel erubuit,
obtemperantem mirata mortali Deum.
excepiſti dulce patris nomen oſculo.
magno rerum fabro fabricatus es cunas.
accinuiſti læto Cœlitum carmini.
apud te ille detonuit fulminum crepitu,
cum accepit à te crepundia.
dignus ès, quem immortalitas præ ceteris alat,
nempe Dei nutricium.
Cuſtos idem materno pudori datus
obſignaſti æternam annulo fidem.
felix coniugium, quod caruit iugo,
pronuba fuit votiua virginitas,
auſpex non niſi pudor.
luxere thalamo, non arſere tædæ;
obnupta eſt ſponſa flammeo, ſed procul à flamma.

XIII.

XIII. Kalend. April.

S. VVLFRANNVS

Archiep, Senonum. 20 Martij.

Synop. *Senones olim hostes Romani nominis mites habuit. cū ad Frisios initiandos naui ferretur, instrumentum sacrorū, quā patenā vocāt, in mari demersum extulit idem mare retroegit, accurrens ad pueros Neptuno mactādos.*

ENCOMION. 94.

Mirata est Roma te præsule Senones pios,
à quibus incensum olim Capitolium doluit, *Florus.*
nihil, auctore te, Romano nomini fuit amiciùs;
intulisti dux religionis barbarica spolia,
egisti nobilem de Frisia gente triumphum.
auspicatus es illud à prodigijs iter,
quippe in naui ritè sacra facturus,
delapsam è ministri manu lancem auream
precibus ex imo euocasti gurgite;
sine reti, sine calamo piscatus es aurum;
si liceat in altera lance ponere
simile magni vatis Helisæi factum,
hoc certè præstabit pretio,
quòd ille ferrum extraxit è fundo, tu aurum.
facilius tibi fuit fluctibus imperare, quàm Frisijs;
quia post aurum in ferreos incidisti mores, ac feros:
quoties humana capita Dijs deuota inferis
eripuisti gladio victor, extorsisti manu?
illud verò non modò stupuere Frisij, sed Natura,
cū ad pueros accurristi, quos Neptuno deuouerāt.
recessit ilicet ad nutū tibi mare, intumuit in montē.
cum Iordanis recessu collata res esset,
nisi tantò visa esset hæc maior,
quantò est fluuio maior Oceanus.
proh pietas, accurrēs nō maduisti mari, sed lacrymis.

XII. Kal. Martij

S. BENEDICTVS
Abbas.

21 *Martii.* Synop. *Commendatur à praclarissima sobolis gloria; à singulari studio pudoris, cuius causa se sponte coniecit in spinas, & cruentauit; ab Apollinis simulacro deiecto; ab Attila ferocitate edomita; ab alapa* ΚαΚodamoni *impacta.*

ENCOMION 95.

Quid tanto parente dignum eloquentia pariet?
gaudet ille fœcunda sobole, nitet præclara;
ambit ipsum corona Ducum, Dynastarum, Regum;
ornantur lituo manus, pedes sceptris.
Benedictum virtus à puero statim extulit;
inter virgulta viruit, inter dumeta floruit;
ne flos iuuentæ quicquam deberet Veneri,
cruore florem purpureum fecit suo;
virtutis iactum semen in spinas,
aduerso more naturæ,
& feraciùs prouenit, & pulchriùs:
acuit pudorem inter aculeos.
sed hic, qui sagittas Cupidinis fregit,
etiam Apollinis contempsit arcum;
è Cassinensi eum ara deiecit, cassum honore;
contriuit tripodes, scidit cortinam.
lucos in lucẽ protulit, vt falsum extingueret Solẽ:
edentem oracula dubia
perculit, & comminuit ictu certo.
idem simulati Regis purpuram lusit, veri spreuit;
vidit Italiæ fulmen ad pedes abiectum suos.
quid mirum? & Erebi tyrannum domuit,
immò ex hominis corpore impacta fugauit alapa:
ita hostis, qui ad eius pdigia didicerat expallescere,
ad sua probra didicit etiam erubescere.

XI. Kalen. April.

S. CATHARINA Virgo.

22 *Martij.*

Synop. *S. Birgittæ filia è regia stirpe fuit. adeò virginitatis amās, vt nutricis parū castæ vbera infās auersaretur. cū abiecto cultu, ornatuq; iaceret stragulo vili, visa tamē est regiè cubare. regijs tandem humeris honorificè elata.*

ENCOMION 96.

Fecisti veram, Catharina, vocem illam,
haudquaquam imbellem columbam
à feroci progenerari aquila:
ideò non iuncta Veneris iugo, quod trahunt colūbę. *Horatius*
Birgittæ matris hæreditaria tibi virtus fuit.
cum esses nutrici tradita minùs pudicæ,
respuisti vbera, exhorruisti succum,
verita, ne venenum exugeres;
non nisi castarum mulierum inhiabas mammis;
lac tibi dulce non erat, nisi pietate illitum.
importunus tibi procus amisit lumina,
nempe fecisti Cupidini similem suo.
educata inter Sueciæ Regum purpuras
vilem industi lacernam;
sed cum ægra decumberes in abiecto strato,
prodigiosè viderunt te in aureo iacere toro;
ita dum regium fastidires fastum,
compendium fecisti gloriæ.
cum in terris extingui cœpisti morte,
stellam in Cœlo tibi accendisti lucidam;
quàm clarum funus, cui tædas obtulit Cœlum?
quin etiam elata es in tumulū triumphali cū pōpa.
quippe habuisti Henricū Regem subeuntē feretro.
ille tot opibus pollens, pollinctor funeris fuit.
nouum datum est spectaculum, vespillo diademàtus.



X. Kal. April.

23 Martij.

S. FRVMENTIVS Martyr.

Synop. *Allusio est ad frumenti nomen. dicitur aptè suspensus cum lapidea mola, & rectè ipse quæsisse grandiorem. aptè quoq; ferreis vngulis exaratum corpus. in morte socium habuit alterum item Frumentium nomine.*

ENCOMION 97.

Quis dignior, aut aptior, quàm Frumentius,
cui copiosa messis obtingeret gloriæ?
vsus est hoste ipso messore;
ferrum cessit in falcem.
nihil habere potuit opportunius,
quàm id, quod intulit ille supplicium.
altè suspendit, pedes grandi onerauit lapide,
scilicet commolitum est aptè Frumentum.
rectè lictorem orauit, vt grandius adhiberet saxum,
quò melius tereretur grauiore mola.
ille quoque cruciatus cecidit ex sententia,
cum vngulæ admotæ sunt corpori ferreæ,
nempè exaratum est totum sulcis,
vt ijs mandari fœcunda sementis posset.
excepit libenter largum imbrem sanguinis,
vt lætam se efferret in segetem,
ignorauit hostis illius seruire se gloriæ,
cum frumentum credidit vulnerum sulcis,
quod se profunderet magno cum fœnore.
non hostilia timet arma frumentum,
munitur satis aristarum vallo,
Cic. habet, & vaginam suam.
Ambr. Adlegit hic sibi socium gloriæ alterum Frumentiū;
sed mirum est visum, quòd huius copia frumenti
vilitatem non fecit sibi, sed auro.

IX. Kal. April.

S. SIMEON

Martyr.

24. *Martij*

Synop. *Puer hic impiè à Iudæis excruciatus est, & similibus Christi pœnis affectus, anniuersario eius mortis die confertur, quà licèt, vtriusque mors Ostenditur non casu accidisse, vt ea res in vrbe Tridento sit acta.*

ENCOMION 98.

Nihil Tridentum, aut vidit, aut audiuit indignius,
quàm trimum puerum excruciatum immaniter
ijsdem supplicijs, quibus olim deuotus est Deus,
ijsdem hostibus, qui in illum sæuierunt impiè:
ausi sunt eodem hunc tempore ferire iniustè,
quo fuit indictum feriato iustitium Mundo.
magnus honor; & Deo simul parentatur, & puero.
scilicet nondum satiatus est hostis Dei sanguine,
crudelem instaurat tragœdiam Iudæus histrio.
acerba vulnera morientis Dei
recrudescere voluit in puero.
quin etiam fecit hoc immanitati pondus,
quòd in ea laceranda ætate sæuijt,
cui sæpe pepercerunt feræ.
pro dumis, & clauis armarũt ac⁹, pro lancea cultros;
viuam sibi quisque corpusculi deripuit partem.
si fas est componere parua cum magnis,
adstitere certè Deo morienti mater, & chari,
at puer hic nonnisi carnifices vidit.
exclamare illi licuit, ac dolorem erumpere,
huic, ne vagitu se proderet, est guttur obstrictum.
clã acta domi res est, ne iterum Mundus horresceret;
ne Sol iterum subtraheret sese spectaculo.
impia res, sed dedicari hoc sanguine debuit piè
ciuitas, quæ futura erat magistra pietatis.

VIII.

XIII. Kalendis April.

S. LATRO BONVS

Christi præco.

25 Martij.

Synop. *Commendatur tùm pietas magni liberatoris in latrone ad regni consortionem adlegẽdo, tùm huius fides, qua vix apostolicæ videtur cedere: nempè directa in ipsum vmbra Christi illustratus putatur.*

ENCOMION 99.

Mirus de piratico bello triumphus,
Imperator in Capitolij pompa
prædonem laureatum secum ducit in curru,
non fuit hoc Cœlitibus probro, sed decori,
talem scilicet habere dominum,
qui dignum posset facere Cœlo vel furem,
rapinis inhiantem, sed fide feruentem;
in præda grassantem, sed in cruce philosophantem.
non mortuos excitanti, sed morienti credidit.
non tunicam auro clauatam, sed ferreos vidit clauos;
non trabeatum Regem, sed trabe damnatum reum.
hæc tamen verè regia putauit insignia,
quia Regis est, periculo tutari suos.
tunc Deum asseuerando fassus est reus,
cum peierando negauit reorum iudex.
solus testis fuit maiestatis,
qui socius erat doloris:
Ex s. August. nimirũ aut effudit se in extremo actu diuinitas largior,
aut ipsa vicini corporis vmbra lucẽ indidit menti.
si licuisset huic Deum ante cognoscere,
non fuisset inter alumnos postremus in numero,
qui prir[illegible]s fuit in regno.
qnàm fuit auid[illegible] [illegible]ai prędari ante non desijt,
quàm sibi cederet in spolium Cœlum?
etiam agens animam inhiabat animosus regnis.

V.

VII.Kal.April.

S. LVGDERVS

Episc. Monasteriensis. 26 *Martij.*

Synop *Saxones, & Frisios initiauit, ad quos dum pergeret, adhùc in naui positus vidit Deorum fana in fumum vnà cum simulacris abire. deinde, vt extrueret suis domum in silua, arbores euocatis ventis euertit statim.*

ENCOMION 100.

Ortus est hic, vt Occidenti lumen inferret;
incultos molliuit Saxones, cultos fregit lapides.
quia nihil in se habuit simulatum, ac fictum,
ideò nihil odit magis, quàm simulacra, atq. figmenta
per ipsum Oceanum Deos insectatus est hostes,
in Frisiæ insulam nauigatione suscepta,
præclaro est velificatus auspicio;
nam cum primùm ea regiò sub aspectum patuit,
eminùs inquilinis comminatus est Dijs.
mira res. conflagrarunt illi statim vocis incendio,
procul visus conuolutus in globum fumus
è fanis attolli, mox euanescere:
clarus hic fuit fumosis imaginibus suorum,
sed clarior fumo Deorum.
habuit & Naturam obsequio promptam,
fabricaturus enim palęstram virtutis sibi, ac suis
in annosa silua densarum arborum,
cum & impensa esset, & labor immensus,
ad cædendum ministris vsus est ventis.
obducta repentè sunt astra, inobscurata Luna,
ingentis procellæ insonuit fragor,
ipsa Mundi elementa militarunt inermi.
euocauit suspirijs coniurata uentorum agmina;
decubuit statim cædua silua
non ferro, sed molli prece.

VI. Kal. April.

S. RVPERTVS

27 *Martij.* Episc. Salisburg.

Synop. *Ab Arianis in exilium pulsus, sed exceptus à dynastis. flagris impiè caesus est, asceteriū extruxit in loco, quē diutinitùs odore, & luce perfusum animaduerterat. destruxit simulacra Deorum. Cœlites morienti adfuerunt.*

ENCOMION 101

Nulla firmior rupes, quàm tua, Ruperte, constantia.
infulatus præsul ab Arianis expulsus à patria
cessisti furori, non labori,
tunc maximè victor hostium, cum recederes,
triumpho quasi Parthico nobilis.
cæsis humeris firmiùs incubuit Cœlum:
magis lictoria lætatus es virga,
quàm pontificio, quem gestabas, baculo.
complexi te sunt, acceperunt regiè profugum
Bauarici Duces, Norici principes.
secessisti in nemus, sed inter feras Cœlites nactus.
tuæ palęstram virtutis nobilitasti prodigijs.
quippe noctù miro splendore lucus illuxit,
miro quoque odore silua fragauit:
scilicet ea visa est idonea sedes tibi, ac tuis,
vbi diuinum numen radiaret in lumen,
vbi libentius versaretur inter odores pudor:
sed prodijt tandem è silua virtus in campum,
è lustris ferarum in Deorum signa ferus existi.
Laureacum in primis nobile oppidum
excepit te laureatum ducem.
idem & falsorum numinum signa frangebas,
& restituebas in integrum morbis fractos.
vis planè miranda: redigebas in puluerem Deos;
vetabas redigi in cinerem mortales.

V.

V. Kal. April.

28 *Martij.*

S. MALCHVS

Episc. Arethusius.

Synod. *Dirè excruciatus est ob deiectum, vt aiebant, fanũ Deorum. cultris concisus, & altè suspensus irrisit auctores necis. illusus, & per vrbẽ circũductꝰ. deniq. melle oblitus, ac Soli expositus, vt aculeis cõfertarum apũ conficeretur.*

ENCOMION 102.

Tua virtus, Malche, Iuliano miraculo fuit,
Arethusia, cui preeras genti, etiam spectaculo.
putasti, te icircò ad pontificium culmen euectum,
vt ardua fana Deorum euerteres:
ingrauescens ætas tua suo pondere
delubrorum ruinis incubuit fortiùs
solùm ad certamina visus es iunior.
cum te cultris inuasere pennatis,
non deiectus, sed elatus es pœnis,
præclara in primis illa generosa vox fuit,
cum in aere ad cruciatum altè suspensus
dixisti, omen illud te libenter accipere,
quòd videlicet sublimis, & superior factus
haberes infra te hostes.
cum circumductus es probrosè per vrbem,
ratus es, triumphalem tibi exhiberi pompam.
denique nihil habuisti dulcius nece,
quippe sub dio expositus es illitus melle,
quanquam ab hostibus delibutis felle.
cum exaruisse videbaris senio,
tunc effloruisti, quia libatus ab apibus;
apum aculei acuere constantiam.
multum pro beneficio aduersarijs debes,
qui tuum corpus in aluearе mutarunt,
Arethusiam patriam fecerunt Hyblam.

IV. Kal. April.

29 Martij.

S. EVSTASIVS

Abbas Luxouiens.

Synop. *Cæcitatem curauit. idololatriam deleuit. vnus ex eius aduersarijs serui manu confossus occidit alij, vel icti fulmine, vel à lupis lacerati, vel in amentiam acti, sibi ipsis violentas manus intulerunt.*

ENCOMION 103.

Præfuit hic Luxouiensi palæstræ,
sed omni procul à luxu.
cæcorum sæpè oculis lumen infudit,
sed illud clarius, quod infudit mentibus,
tunc maximè, cum radiata Deorum sustulit signa.
in palæstra virtutis incidit in aduersarium
Agrestium nomine,
verùm huic præstitit se maturum gloria:
religiosę quippe vitę institutis infensus Agrestius
suauitatem eius sentire non poterat:
at, cum liberam seruitutem feriret lingua,
serui cuiusdam manu percussus est ferro;
non nisi ferro cædi debuit arbor agrestis;
ceteros autem aduersarios ipsa Natura defregit;
quippe intonuit ingenti fragore Cœlum,
in quinquaginta indè iacta sunt fulmina,
qui in Eustasium, eiusque alumnos iecerāt cōuicia.
alios sponte de trabe suspendit furor,
vt vocem intercluderet impiam.
quin etiam egressi è siluis noctu sunt lupi;
rapaces feræ vltæ sunt famæ raptores,
nonnullos lacerarunt morsibus,
meritò, quia piorum vitā ausi maledicto mordere
q̄d admirabiliꝰ, aut feliciꝰ vel hoc pastore, vel grege?
defenderunt à morsu hominum lupi oues.

III.

III. Kal. *April.*

30 *Martii.*

S. QVIRINVS
Martyr.

Synop. *Præfertur veteri Quirino, ideſt Romulo. initiatus ab Alex. Pont. Max. eſt, quem in carcere clauſum tenebat. indixit Dijs ſpurijs bellum: lingua licet, & manibus, pedibuſque præciſis, vicit religionis aduerſarios.*

ENCOMION. 104.

Deſijſti Roma reuereri Quirinum patrem,
cum Quirini tribuni es admirata virtutem.
ille inuentus à paſtoribus eſt educatus ad Regnum,
huic omnis origo felicitatis fuit,
quòd paſtorem nactus ſit populorum Alexandrum.
hunc ſibi traditum in cuſtodiam
anguſto carcere clauſum arcebat clauibus,
nempe eum, qui Cœli geſtabat immenſi claues:
ſed vt vidit mirè egreſſum conueniſſe ſe domi,
ſoluto vinculis tradidit ſe ipſe captiuum:
factum vtrumque diuinitùs.
illo auctore ſacris initiatus, & ablutus eſt aquis;
vt purus accederet pulchro imbuendus cruore,
iam non aut plebis tribunus aut militum,
ſed quaſi dux, & imperator prodit in aciem,
ſigna confert, ſigna Deorum proruit;
paricidio laudandus pio,
dum patria inſequitur Numina.
acuit in Deos non tela, ſed acrius linguam,
inceſta, & falſa Numina onerat probris.
inciditur ei ſtatim immaniter lingua, ſed fruſtrà,
ignorant hoſtes, ineſſe ſuam & ſanguini vocem.
elinguis hic ore verba cruento iacit;
nũquam pugnauit fortius, quàm cum abſciſſę manus,
nunquam tripudium egit alacriùs, quàm cum pedes.

Pri-

Pridie Kal. April.

S. BALBINA

31 *Martij.*

Virgo, & Martyr.

Synop. *Quirini Martyris filiã Alexãder Pont. Max. initiauit, & struma liberauit, vinculis suis admotis, sed ferreas addidit Petri catenas, nè sibi adscriberetur honos adstitit Balbinæ Angelus cũ face, vt Christo spõso nupturæ.*

ENCOMION 105.

Tunc expeditior, & promptior est Famæ linguâ,
cum de Balbina loquitur,
tunc vocalior, cum filiam laudat Quirini,
cui pro religione execta est lingua.
initiata hæc est ab Alexandro hierarcha,
mirè quoque ab eodem strumæ morbo curata.
squalebat in carcere communis gentium pater,
tenaci adstringebãtur loro ceruices, & manus,
illæ manus, quæ, quicquid libitum sit, ritè soluunt;
quę frenos celestiũ, ac mortaliũ, aut laxãt, aut ĩhibẽt:
hoc vbi lorum ceruicibus virgo admouit suis,
statim struma detumuit, morbus euanuit:
cessit in virginis monile pontificium lorum,
nisi quòd magni parentis Alexandri pudor
delatum respuit vinculis honorem suis.
detumente alterius struma, metuit in se tumorem.
ferreas potiꝰ Petri catenas circũdedit puellę ceruici,
hunc sibi habere iubet baccatum torquem.
digna iam habetur virgo, quæ sponso iungatur Deo.
adest è Cœlo statim demissus pueri specie ales,
coniectura fuit, ipsum adstitisse Amorem,
siquidem lampadem, quasi nuptialẽ præferebat facẽ,
sed tantùm vittati non erant oculi. (sæ:
nẽpe noluit carere spectaculo ornatę nouo more spõ
nihil pulchriꝰ visũ, vel cãnabino eiꝰ monili, vel ferreo.

FA-

F A S T I
veterum Romanorum, atque Græcorum collati cum nostris.

A P R I L I S.

Prilis anni decus, ac pulcherrima tẽporis port:o nihil habet, non uenustum nisi quòd in tutela Veneris fuit, & (quod vix credibile est) mẽsem hunc, in quem conspirat, & Cęli clementia, & Naturæ benignitas, Nero, immanissimũ illud mõstrum, sibi depoposcit, iussitque appellari Neroneum: nondum constat, quid Nero inuenerit sibi cum hoc mense cõmune, præter hoc vnum, quòd sicut Aprilis dictus est, quòd tunc tellus communis mater aperiat ad fœtum, ita ipse suæ viscera matris aperuerit ferro. Sed traducere animũ libet ad meliora. Appellatus est hic mensis à Græcis Thargelion, quòd terra tunc incalescere vi Solis incipiat. quasi θερεῖ γῆ. auspicatissimus ferè omnibus, sed nulli ęquè, ac religioni pulcherrimo quodam vere florenti.

Kal. April. Vernalia vocabant sacrũ Veneri factum vere
eum corollis floreis, atque myrteis hoc tantùm habuit cum 1
honestate coniunctum, quòd quæ placabatur Venus, Verti- *April.*
cordia vocabatur, eamque precabantur, vt animos ab incesto amore auerteret, qui solet corda peruertere. Interim à virginibus Fortunæ virili sacrum fiebat, vt eius beneficio si quę à natura corporis vitiá contraxissent, viros laterent. At verò in Græcia Apollini, ac venatrici Dianæ sacer hic dies fuit: apud nos *Theodoræ* martyri præclarissimæ, quæ florem ætatis ne videretur debere Veneri, cruore tinxit suo. immò oppositum habet Diana † *Venantium* ipsum, qui, vt efferas mentes religionis reti subijceret, se ipsum deuouit prædam. Ceterùm fuit hic dies nobilitatus triũphis quatuor:
nam & Q. Martius Philippus Cos. de Hetruscis, & M. Va- 144
lerius Messala de Pœnis, & Hierone Siculorum Rege, & C. Sempronius Blesus Cos. de Pœnis, & Sp. Caruilius Max. Cos.

de

de Sardis triūpharunt. Sed inobscurarunt prorsus horum triumphorum gloriam totidem quatuor, quos & *Quintianus*, & *Irenaus* in Armenia, & auspicati nominis duces *Victor*, & *Stephanus* de impietate laureati egerunt; aptior nulla coniunctio, quàm victoriæ cum corona. At verò Apollini planetarum principi opponitur † *Hugo* virtute clarissimus, qui *Brunonem*, ac socios præuidere, ac præsentire sibi visus est specie planetarum septem.

2 April. IV. Nonas Aprilis. Ater dies Romanis, nobis quasi vernis purpureus rosis imbutus, videlicèt pulchro *Amphiani*, ac *Theodosiæ* virginis Tyriæ sanguine: maior hinc accessit gratia purpuræ *Tyriæ*: albus etiam liliis, in primis † *Francisci* Paulani, qui è camino non ater exijt, sed prodigio flammæ clarus; & cum esset insignis pudicitiæ candore, non incanduit videri tantùm posset: hic dies ater ex Aegyptiacæ *Mariæ* luctu de superioris vitæ licentia, nisi lacrymæ ipsæ, quicquid inerat atrum, abluissent: quas quia plurimas abundè profudit, consortem habere voluit gloriæ *Abundantium*.

vide Suar. Quidam ad hunc diem referunt Christi mortem: ater igitur dies offusis tenebris; ater non vnius *Mariæ* luctu, licet purpureus abundantia diuini sanguinis profusi.

3 April. III. Nonas April. Tertium quemque mensis diem Mineruæ virgini consecrauit Græcia, at verò nos virginibus *Agape*, atque *Chioniæ*, quæ in ignem iniectæ, vt amitterent lucis vsuram, intactæ à flamma huic diei splendoris plurimum quà constantia, quà prodigio attulerunt. tam fortes autem heroinas comitatur, & nomine, & re de Copronimo iconoclasta victor † *Niceta*.

4 April. Pridie Nonas April. Megalesia Romæ celebrabantur per dies sex, magnæ matri Deûm dicata, ante cuius simulacrum matronæ choreas agebant, carmina canebant, magistratus verò purpurati in toga, & prætexta magnificētius solito incedebant. vbiq; tinnitus æris more Curetum, & Corybantum resonabat; sed siluerunt hęc Berecynthiæ tympana, atque sistra, cum est audita vox fidei præconum *Agathopodis* heroduli, ac † *Theoduli* anagnostæ. qui aliam non agnouere magnam matrem, nisi Dei parentem, & religionem ipsam fœcundam tot, tamquam illustrium heroum nostrorū matrem. Triumphauit hoc item die Romę Agrippa Menenius Lanatus Cos. de Sabinis: sed ille triūphus illustrior, quę

ma-

magnus *Ambrosius* hoc ipso die in cœleste Capitolium intulit de impiorum perfidia victor. sed iterum numerandus in fastis *Ambrosio* aptè iungitur *Plato*, non, vt alter, solùm humana, sed etiam diuina sapientia præstans. Ceterùm iuxta superiorẽ sententiã si anastasis *Christi* in hũc diẽ incidit, quid eius triumpho, quem de Erebo reportauit, ornatius? ac verę *Dei matri* dicandus potius dies, nec sine cœlitum choreis celebrandus.

Nonis April. Alter Megalésiorum dies Berecynthiæ sacer, apud nos autem *Irene* virgini. non ænea concrepant sistra, sed † *Vincentij* Ferrerij vox partim in expugnandis animis ferrea, partim in trahẽdis aurea. At verò illã ab Africanis leonibus tractam, vti fabulati sunt, *Deam*, Africani martyres in fugam verterunt, quorum vis generosior, quàm leonum, Gensericum ipsum Arianum regem exterruit. 5 *April.* *Kal. vet.*

VIII. Idus April Consecrata est in colle Quirinali ædes Fortunæ publicæ primigeniæ. Apud Græcos autem celebrior hic dies fuit, quippe natalem putabant Dianæ; quamobrẽ Atheniensẽ vrbẽ lustrabãt. Sed vtrumq; siue Furtunæ, siue Dianę, scilicet, Lunę incõstans numẽ superatũ est cõstãtia nostrorũ, quę viguit maximè in Romanis hierarchis duobus, *Xysto*, & *Cælestino*, quorũ alter Hadriano Cæsari, alter Nestorio, ac Pelagio restitit, tutor acerrimus vterq; tẽplorum, atque ararũ. Ceterùm vix vnquã aliàs *Dij* experti sunt Fortunam tam sinistram; nam hoc ipso die illi sacro coniurarunt in eos è nostris in Perside centum, & viginti, pręter *Platonidem* cũ sociis. At † *Guilielmo* tanta vis fuit, vt impacto calce communem hostem ab se repulerit. *Celsus* autem in Hibernia præsul non minore fuit celsitudine animi, quàm nominis. 6 *April.* *Varro.* *Gyral.*

VII. Idus April. Auspicatissimus apud veteres habitus est hic dies, quo die Apollinem natum putabant. Quin etiam natalis idem fuit summorum philosophorum, in Græcia Socratis, atque Platonis; Romæ verò tutorum vrbis, Castoris, & Pollucis. atque Athenis quidem Magi, ac sapientes Platoni victimas immolabant, quẽ numinis habebant loco, idẽ autẽ illi, & natalis fuit, & fatalis dies. Pręterea insignis fuit, hic dies Gręcorum victoria de Persis. Nec tamen ista omnia tantum huc diei ornamentorum attulerunt, quantum, & † *Calliopij*, qui meritò à pulchritudine sortitus est nomen, in tuenda religione constantia, & *Epiphanij* antistitis Africani, ac ducentorum 7 *April.* *Gyrald.*

T rum

rum fortissimorum in Ponto eodem in genere virtus attulit. sapientius hi philosophati sunt in pœnis, quàm aut Socrates, aut Plato sub platano; illustrior fuit nostrorum occasus, quàm illorum ortus. atque apud nos quidem hesternus dies sacer *Platonidi* fuit, & quintus *Platoni*, qui, vt superiores veteri Platone fuerunt sapientia, ita & pietate. præuenit autem religio, ac duos protulit, quia fœcundior mater heroum.

8 *April.* *Cyral.* VI. *Idus* April. Ludi instituti Romæ ob victoriam Cæsaris de Iuba Mauritaniæ rege. Sed ludus planè fuit illa Cæsaris pugna cum hac collata quam pugnauit strenuus religionis dux † *Aedesius*, cui ob amplitudinem animi non alia contigit vrna, quam Oceanus, in quo est impiè ab hoste demersus: quam etiam victoriarum lauream eripuerunt Cæsari fœminæ ipsæ, *Concessa*, atque *Macaria*; & quæ fecit, vt minimi haberetur illa Cæsaris de Iuba victoria, *Maxima*.

9 *April.* *Kal. vot.* *Rufinus.* *Ouid.* V. Idus April. Sextus hic dies, & vltimus Megalesiorũ fuit, quæ magnæ *D*eũm matri sacra erant. apud nos hic dies sacer est in primis *Mariæ Cleophæ*, sorori magnæ *Dei Matris*, quæ immortalitatem est adepta officijs ipsis pietatis in emortuum vitæ auctorem. sacer idem *Augustini* magni præsulis matri *Monicæ*; quo videlicet die corpus eius Romam cũ põpa translatũ est. quòd autẽ Cereris ludos hoc datos die memorãt, certè nemo est, quin fateatur, hanc vberius, ac verius fuisse frugiferã; quippe quæ filiũ tanto cũ prouectu religionis protulit. ceterũ ipsi post ingentẽ luctũ, & lacrymas, quas pro illo fudit, ac post lætũ euentũ resipiscentis, cõmodè se adiungit *Hilarius*: at verò † *Eupsychius*, qua erat indole, & bonæ mentis, atq; animi *animus.* nomine præditus, vt matrem illam *D*eorum, cui Megalesia instituerant, tristem, ac miseram faceret, vnà cum prole, Fortunam ipsam sustulit, ac tumulauit, eius templo deiecto.

10 *April.* *Cedrenus.* IV. *Idus* April. Hunc diem quidam natalem humani generis faciunt, eodemq; posteà putant indictum Naturæ iustitiũ in nostri Liberatoris morte, vt mirum non sit, tam prodigè fusum hoc ipso die sanguinem à multis. ac *Macarius* quidem Antiochenus presul clauis est humi confixus, quamquam innocuis. morienti verò non offudere se tenebræ, sed coronæ potius simile sidus illuxit; adeò moriens *D*eus tenebras sibi circumdedit, vt horum mortem illustraret. quo item die deuouere se plurimi Romę; nonnulli etiam Alexandrię, atque in Libya; inter quos † *Pompeius* fuit, magno illo maior, quippe

pe qui Decium *Cæsarē* vicit,quo etiam factum est, vt *elati Dei* funus,quod in hunc incidisse diē dicitur,nō careat pōpa; quā videlicet exhibere congruentius vix alius quisquā potuit,quā *Pompeius* ipse socius mortis. At Romæ interim hoc ipso die ludi Circēses dabātur:erant autē hi dicati Soli,cū factionibus aurigarū,qui excurrebāt ad metā.atqui,si eā,quā exposui,sententiā sequimur, Sol hoc se die potius cōdidit,cū nostrę salutis Vindex cōfecit vitæ cursū;quamobrem rectè ab historico *Luca* spectaculum illud vocatur,quod videlicet Circensi erat oppositū.Itaq; illo ipso die,ac tēpore,quo Roma vrbiū regina ludebat,illudebatur Deo tāquam spurio Regi,& cū Solis cursum imitabantur in Circo,Sol se subtraxit,ne adesse videretur ludo sibi à mortalibus dato,dum Mundi molitor non sine immani ludibrio addicebatur morti. Præterea dies hic vnus ex Aegyptiacis, inominatis, atque infaustis olim fuit apud veteres;at verò nobis faustissimus ob salutem partam, licet Natura luctuosus ob conditoris necem. *Kal. vet. Rosinus.* *Gyrald.*

III. Idus April. Hic dies,non ideò sine ornamentis est, quia Veterum laude caret;nobilitatus est enim hic dies à † *Leone* hierarcha, cui ob præstantiam virtutis, atq; doctrinæ dictus est Magnus;quem præsul consequitur *Philippus* Marcioni, vt ille Eutychio,infensus. *Antipas* verò item præsul in bouis ænei simulacrum intrusus igne subiecto,ingenti mugitu, quo religionem aperte profitebatur, Domitianum ipsum attonitum constantia perterrefecit. 11 *Aprilis.*

Pridie Idus April. Cybele magna Deùm mater aduecta Romam insigni cū pōpa hoc dicitur die. Cerealia certè à Græcis Thesmophoria appellata per dies octo celebrabantur cum candida toga,abstinebantq, à Venere,& Baccho: Apud nos pro Cerere, ij sunt in honore, qui vberē segetē gloriæ messuerunt; quā laudē assecutus est in primis, & *Iulius* sūmus Pontifex,qui Arianis,& *Zeno* Veronensis præsul, qui Gallieno Cæsari, & † *Sabba* cum plurimis, qui Athalarico Getarum regi pro religione strenuè se opposuerunt; vt ijs rectè adiungātur, & *Constantinus*,& *Victor*.At illa Deorum mater desijt dici magna,cum minimi habita, ex Vrbe Roma, quò fuerat inuecta, immò ex orbe terrarum pulsa, & exterminata est vnà cum sobole,ac Dindyma ipsa clausa iruenit,& muta. 12 *Aprilis.* *Gyral.*

Idibus April. Ioui Victori,& Libertati sacra fiebāt, quo die Fidenæ à Romulo captę,& in coloniam redactæ dicuntur. C. 13 *Aprilis*

item Aurelius Cotta de Pœnis,ac Siculis triumphum egit. At contra apud nos Victi potius Iouis memoria est,& religionis in verã libertatẽ assertę, impietate captiua. egit verò præclariorẽ,quàm Cotta,triũphũ *Iustinus* è Lycèo progressus in campũ calamo pro gladio vsus,spolijs onustus Deorũ, quos in pugna confecit.nec minor eius triumphi gloria,quẽ † *Hermenegildus* regis filius,vel de Arianorum,vel de parentis ipsius impietate retulit,trabeã suo quoq; purpuream reddẽs sanguine.

14 Aprilis. XVIII.Kal.Maij. Ater dies Romæ; quamquam non tam ipsi, quàm Hierosolymis ater fuit; quippe quo Pompeius ciuitate capta in augustissimum eius vrbis delubrum audacter,ac temerè se intulit,ausus etiam oraculi subire cortinam. nobis faustissimus dies est † *Tiburtij*,& *Valeriani* virtute,atque gloria,ad quam etiam fortissimæ fœminæ aspirarunt, *Thomais & Domnina* cum virginibus multis. *Ardalio* quoque mimus spectaculo fuit,qui nostris sacris illudens,subitò scenæ faciem immutauit,pro i sdem sacris pœnas illatas deludens.

15 Aprilis. Varro. XVII. Kal.Maij. Fordicia, siue Fordicatia Romæ celebrabantur.bos forda immolabatur, hoc est prægnans, quod conducere ad vberem telluris partum putabant,quæ hoc tempore grauida esset semente; quamobrem & Ioui Capitolino sacra fiebant:apud nos litatum religiosius. hostiæ multæ Numini deuotæ pro religionis fœcunditate sponte immolari voluerunt; inter quas illæ fuerunt nomine ipso auspicatissimæ, *Anastasia, Basilissa, Victorinus* item, *Maximus*, & *Olympiades*. atque vt prompta essent omnia victimario ad ritè mactandum,nec *Crescenti* defuit ignis,nec ceteris culter.

Fortuna. sed quàm se ici sorte ceciderint,semel,atque iterum indicant & *Eutyches*,& *Eutychius*,qui multò auspicatiores sunt,quàm ipsa Fortuna,cuius ita nomẽ habebãt,vt numẽ inane putarẽt.

16 Aprilis. XVI.Kal Maij. Augustus hoc salutatus est die Imperator; qui certè titulus summi honoris maiore iure debetur, præter ceteros, ijs,qui imperatorias laudes ipso pręseferunt nomine; fortitudinis quidem, *Martiali*; felicitatis autem, & *Felici*, & *Optato*,& *Eunnio*,& *Successo*:hæc enim cum Imperatore pręcipuè debent esse coniuncta, martialis videlicet virtus, secundi, optatique euentus, felicesque successus. Nec minùs eo titulo dignus *Turibius* Austuricensium præsul, qui aduersus hęresim Priscilliani nouo, & inaudito virtutis genere dimicauit. At † *Paternus* antistes parentis amore complexus est suos; hosti autem humana corpora obsidenti

etiam

etiam longè positus terrori fuit. Deniq frugiferę Cereri, cui hoc item die operabantur, aptè opponitur *Fructuosus*. Quod si, vt quidam putant, in hunc diem incidit *Christi* mors, gloriosius fuit, hûc per ludibrium salutari Iudęorum regem, quàm Augustum Imperatorem: ac certè auspicatò conuenere hi maximè, *Felix, Euentius, & Successus*. *Apud Suarez.*

XV Kal Maij Sextus hic dies Cerealiorum fuit, quem diē sibi ęquius deposcūt in primis † *Anicetus* Pont. Max. & *Mappalicus* Africanus pręsul, qui, vt fœcunda religionis seges cresceret in messem, suo illam irrigarunt sanguine. Neq; est cur spicęę coronę Cereris religio inuideat, cum è Cistercij nemore habeat, quem proferat, *Stephanum*. 17 *Aprilis.*

XVIII. Kal. Maii. Equiria celebrabantur, & vulpiū fiebat combustio, cuius moris ea narratur origo. Cū aliquando ab adolescente per lusū (quod egit quondā per iustā iram heros ille fortissimus) vulpeculis alligatæ essent ardētes stipulæ, impetū hę fecerunt æstu cōcitatæ in maturas messes, quæ statim cōcepta flāma cōflagrarūt, nō sine magna caritate annonæ, quæ consecuta est; quamobrē pœna quotānis repetebatur à vulpibus vt publicè comburerētur. Sed deficit his immorari Roma, cū illustriores sibi & vtiliores obiectę sunt flāmę; illæ videlicet, inter quas † *Eleutherius* antistes Illyricus vna cum *Anthia* matre est impunè versatus; atq; ipse quidē ignis fuit religioni frugifer; *Anthię* verò virtus nō modò nō exaruit; sed tūc maximè, quod nominis erat omen inter flāmas effloruit: iàm opportunè adest *Anthia*, si, vt quidam putant, hoc die rediuiui *Christi* caro refloruit. At pro Equiriis excurrerūt ad beatitatis metā magno cum plausu, & *Apollonius*, Senator, & *Corabus* præfectus & *Calocerus* cum alijs inoffenso cursu. 18 *Aprilis.* *Ouid.*

XIII. Kal. Maij: Vltimus Cerealiorum dies, quo etiam Romæ Græca quædam sacra fiebant, ob inuentam iam à Cerere Proserpinam; quæ sacra frugibus conferre putabantur. Sed collegit maturam messem religio tum ex † *Elphego* Cantuariensi præsule, tum ex *Socrate*, ac *Dyonisio*, qui confossi sunt lancea; de quibus verè illud vsurpare possis, quod vates ait versam ijs lanceam in falcem, vt meterent gloriæ segetem: quæ quoniam magno cum prouentu adoleuit, adiungit se ipse *Crescentius* vir sanctissimus. 19 *Aprilis.*

XII. Kal Mai. Auspicatissimus fuit hic dies, quippe Romę principis vrbium natalis. Palilia celebrabantur, siue Parilia. 20 *Aprilis.*

al-

Varro. *Festus.* *Plutarch.* alterum enim sibi nomen deposcit placata Pales, alterum pecorum partus. nihil in his sacris cruentum. lac adhibebatur; oues a pastoribus sulphure, lauroque lustrabantur, ipsi ter ignem transiliebant. cautum postea est Senatusconsulto, (tantam vim habet adulatio) vt natalis patriæ, sacro posthabito, vni ciui, Cæsari haberetur honos, sacro facto pro victoria, cuius nũcium pridie eius diei sub vesperam fuisset allatũ. Sed hic dies verè natalis religionis dici debet certè ex parte, *Marcellino* quasi parente, qui Ebreduni primus antistes ex Africa cùm Sociis profectus maximam partem Alpium maritimarum diuini cultus expertem sermone, ac signis admirandis Deo peperit. Neque verò tam dignè dicandus videtur hic dies Cæsari, quàm *Cæsario*, quàm *Vincentio*, quàm *Victori*, qui victoriam hoc assecuti sunt die, laureamq; acceperunt, quam ipso sibi nomine vendicabant. His se adiungit sui victor *Theodorus*, Trichinas dictus ab amictu setis asperrimo. candido item calculo signat hunc diem *Agnes* Politiana virgo; ac ne quid ornamentorum desit, aurum offert, & apponit suum *Chrysophorus*. Atque apud veteres quidem inter Aegyptiacos numerabatur hic dies, habebaturq; infaustus

Gyral. quo pugnam præsertim inire nõ audebãt: sed hac superstitione nos liberarunt inuictissimi Duces *Vincentius*, atq; *Victor*.

21 *Aprilis.* XI. Kal. Mai. Chalcedoniis inominatus hic dies fuit, vt in ceteris quoq; mẽsibus, quòd in eum incidisset misera clades à Darii præfecto accepta at nobis, qui potest esse funestus? cum celebrentur inter multos laureatos *Fortunatus*, & *Felix*. Atque hesternus quidem dies veteris Romæ natalis fuit. hic nouæ, quo videlicet die à Costantino Cæsare dedicata Roma religioni est, Byzantium imperii sede traducta. Iam verò nascenti Romæ ad incrementum opus erat non iam lupæ lacte, sed ouium hoc est nostrorum sanguine, quem abundè fuderũt multi, quo religionis seges irrigata, mirũ in quantã prouenerit messem: itaque opportunè se offert in tam frugifero solo martyr *Arator*, afflués, in excolẽdo religionis agros non modò sudore, sed sanguine; ac vomeris quidem vsum *Aratori* suppeditauit ipsum illud ferrum, quo cæsus est. Præterea multum huic diei splendoris accersit *Simeon*, hoc ipso, quòd exhibere cultum noluit Soli; sed (quod mirum videri possit) datus est illi, qui Apollinem spreuit, hodiernæ socius gloriæ *Apollo* martyr; neq, enim religionis cœlum suo caret

Apol

Apolline;nisi quòd huic Occasus ipse cessit in Orientem; eodemq; die est iste cultus,quo ille despectus. deniq; † *Anselmo* præsuli,& virtute, & doctrina clarissimo meritò se *Apollo* hic noster adiungit.

X.Kal.Maii.Lætus hic dies Romę fuit,funestus Hierosolymis,quo die vrbs illa naturę parenti impia pœnas dedit,Tito excindere ipsam aggresso.At religioni faustũ fecit diem † *Soter* Pont.Max.salutis nomine ornatus,quamobrem districtum in se gladium spreuit;quod & *Caius* præstitit constantia par, vt munere. horum generositati congruunt, qui in hunc ipsum diẽ incidunt,*Leo*,atq; *Leonides*.Multorum quoq;aliorum sanguine hic consecratus est dies:sed dubium est, verùm purpureus sit dicendus, an aureus, à *Chrysotelo* videlicet dictus non nomine modò, sed factis: atque ab hoc quidem auri fulgorem accipit,à *Mucij* autem flamma,quã pertulit,lumen; à *Theodoro* item præsule, quem nasciturum præmonstrauit stella,splendorem. Denique ne tam dignis heroibus imaginũ desit honor,habet hic dies *Apellem* suum, apud quem virtutum colores eximii sunt. 22 *Aprilis.* *Theath. v. h.* *veam'p Salut.*

IX.Kal.Maii Vinalia agebantur Ioui,ac Veneri Erycinæ sacra fiebant,in cuius delubro multum effundebant vini,lætitię,ac voluptatis argumẽto;at nobis nõ licet esse nõ sobrius qui *Adalberti* potissimũ meminimus Pragẽsis antistitis, religiosissimi viri,ac maximè abstemii Ceterũ multò plus nostri profuderunt sanguinis pro casti Numinis aris,ac tẽplis,quàm Veteres vini in Veneris templo.maduit enim abũdè terra, & ipsius *Adalberti*,& præterea sãctissimi,atq; fortissimi hieroduli *Achillei*; in primis verò præclarissimi ducis † *Georgij* cruore, quo religionis irrigatus est ager. 23 *Aprilis.*

VIII.Kal.Maii.Faustus fuit hic dies Gręcis;quo die Troia ab ipsis capta fuisse dicitur. Timoleontis itẽ Corinthii ducis memorabat illustris victoria de Syracusijs.Romę verò Marti dicata lustratio fiebat armorũ.pila.n.tubæ, litui, aquilæ, ac cetera instrumẽta bellica lustrabantur. At apud nos tũc religiosius expiata sũt tela,cũ imbuta,& consecrata cruore nostrorũ,septuaginta in primis militũ fortissimorum, qui *Sabba* duce pro religione se deuouerũt.Timoleõtis verò de Siculis, ac ceterorũ Gręcorũ de Troianis victoriis illæ opponũt lõgè illustriores, quas de Antonio Cæsare *Alexander* martyr strenuissimus,&† *Mellitus* ãtistes clarissimus de Oriẽtali Saxonia,

atq;

atq; ipſo eius gentis Rege ſpontè captiuo r tulerunt.

25 *Aprilis.* *Feſtus.* *Varro.* VII. Kal. Maij. Robigalia agebant, ac ſ cra Rubig i Deo faciebant, qui à ſegetibus rubig nē credebatur auertere. at noſtrorū virtus obnoxia rubigini nūquam fuit. hinc illa feliciter collecta religionis meſſis, à †*Marco* Alexādriæ, à *Stephano* præſule Antiochiæ; iā vanis ſupplicationibus pro ſegetū prouētu opponimus noſtras, quas ritè Indigetes appellan lo h bemus.

26 *Aprilis.* VI. Kal. Maij. Laudē huic diei accerſit Roma nō tā à veteribus ducibus, quā à ſuis hierarchis *Cleto*, ac † *Marcellino*, quorū cōſecrata eſt ſāguine. *Baſileus* quoq; vt faceret verè regiū nomē, ſuo ſibi cruore tinxit purpurā. Ac ne dies h c ſplendore carere videatur, quòd antiquitatis gloria deſtituatur, præclariſſimi antiſtites accedunt, & *Lucius*, & *Clarentius*.

27 *Aprilis.* V. Kal. Maij. Romæ Latinæ feriæ in ſacro mōte agebantur ob fœdus ictum olim inter Romanos, Latinos, Hernicos, & Volſcos. tēperabāt ab omni vi. arma mouere religio erat. Atqui nūc Byzātini *Ioānis* memoria eſt, qui aduerſus Leonē Cæſarē iconoclaſtā ſtrenuè decertauit. † *Anthimi* verò efflorescenti virtuti aptè ſe adiungit *Stephanus*. At Græci Apaturia Veneri ſacra per quadriduum agebant. ſed huius diei decus eripuit Veneri *Caſtor*, ipſo nomine inceſtæ oppoſitus.

28 *Aprilis.* *Kal. vet.* *Ouid.* *Plinius.* IV. Kal. Maij. Floralia celebrata, vt viriditas herbeſcens feliciter ſe indueret in florem. niſi quòd in his Floralibus ludis, maximè defloreſcebat pudor illecebris meretricijs. At apud nos illa ſunt vera, & pulchriora Floralia, quæ egit in primis †*Theodora*, quæ virginitatis cādore albeſcēs in liliū quā ſāguinis purpura rubeſcēs in roſā, ex his floribus immortales intexuere ſibi corollas †*Vitalis*, ac Veneri Aphrodiſiæ oppoſitus *Aphrodiſius*. Ludi quoq; Antii p dies 14. agebātur Fortunæ dicati, cui⁹ in tutela erat Antiū. ſed in ſuo ludo Fortuna illuſa eſt, cum noſtri eius rotæ trabalem conſtantiæ infixere clauum.

29 *Aprilis.* III. Kal. Maii. Tertius dies Apaturiorū fuit, q ſacer Veneri, & alter Antiorū ludorū, q Fortunæ: Sed vtrāq; excluſerunt ab huius diei poſſeſſione *Tertulla*, atq; *Antonia*, virgines integerrimæ, atq; fortiſſimæ. *Petrus* quoq; vtraq; inſignis laude, de hæreticorū perfidia victor, Fortunæ inconſtantiæ fuit oppoſitus.

30 *Aprilis.* *Ouid.* Pridie Kal. Maii. Palatinæ Veſtæ dicauit hunc diem Roma vetus, at noua †*Catharinæ* Senenſi virgini, quæ Veſtalium omniū vicit laudē, nutrix ignis verè immortalis, cui ſecit aram pectus. huic & ardenter ſponſum amanti Deum, ſe iungit *Amator*, & diuina docenti, *Sophia*. At verò *Marianus* ſuperſtitioſum illum Veſtæ ignem ſuo reſtinxit ſanguine.

Kal.

Kal. April.

S. HVGO

Episc, Gratianop.

Synop. *Preuidit mater eius Pontificatum, cum à Petro Apostolo è cunis acceptus, & in altum sublatus est. Preuidit postea Hugo ipse Brunonis, & sociorum eius sanctitatem, obiectis per speciem stellis sept. restitit improbis.* 1 *Aprilis.*

ENCOMION 106.

Hugonem Cœlum sibi vendicauit antequam tellus;
quippe matri adhuc ferenti vterum
obiecta mira species est infantis sui,
affluentis omni gratia, & lepore;
cum inter Cœlites multos princeps Petrus
è cunis sublimem euehebat in Cœlum.
vidit mater nondum puerilibus inuolutum fascijs,
iam pontificijs designatum infulis.
visus est hic ante delibare beatam vitam,
quàm inchoare mortalem;
diuinum ante nectar, quàm lac haurire maternum;
polum calcauit antequam solum;
stellatos adijt orbes, nondum editus in lucem.
quid mirum, quòd postea iam adultus
arcano siderum diuinarit aspectu?
quippe Brunonem cum eius instituti socijs
præuidit specie stellarum septem.
Hic, qui nondum ortus visus est à terra sublimis,
procellas omnes infra se habuit;
in Petrum Leonem religioni sæuum
anathematis horribile coniecit telum.
quin etiam Imperatorem ipsum Henricum
hierarchæ Romano insultantem temerè
prohibuit aditu templorum, reiecit ab aris.
Cæsar, vel laureatus, timuit pontificis fulmen.

IV. Nonas Aprilis.

2 April.

S. FRANCISCVS Paulanus.

Synop. *Plurimis prodigijs illustris fuit, & magnis. in primis nullo nauigio vsus mare traiecit immadidus. ardentem ignem tractauit illæsus. inter ceteros ægros cæcum quendam, liniendo calce oculos, mirè sanauit.*

ENCOMION 107.

Nemini ducum sic promptè paruit miles,
vt huic imperanti Natura.
ipsa rerum principia famulata sunt quasi principi.
mirum dictu. quò facilius mare transmitteret,
nauigia velut impedimenta repulit.
nempe odit turgida vela, qui intumuit nunquam.
non opus illi fuit ad remigium palmulis,
satis, protendere ad Cœlum palmas;
portauit illum suspensum vnda, nec tetigit;
veritus est inquinari, vel leuiter, Veneris spuma;
at hic alienis siccus vndis, madidus fuit semper suis,
Oceano dare potuit iura, non oculis.
cum hunc dorso mare sustinuit,
appellari cœpit veriùs marmor;
Fuit prodigio religionis principi Petro similis;
nisi quòd hic etiam ignem impunè calcauit.
calcariæ quoque fornaci minitanti ruinam,
succurrit, Atlante vel generosior, vel illustrior.
cui fuit in ignem imperium, & in lucem fuit;
curauit oculos miro cataplasmate, illinens calce;
viua calce animauit lumen emortuum;
visus est illudere vel naturæ, vel arti,
quia in præclaro humani corporis ædificio
tunc oculorum fenestræ acceperunt lumen,
cum eas ipse obstruxit calce.

III.

III. Nonas Aprilis.

S. NICETAS S. 3 April.

Abbas.

Synop. *Sacrarum imaginum cultum acriter. ac strenuè defendit aduersus Leonem Imperatorem, & Copronimum. KaKodæmonem virga terruit. mortuos reuocauit in vitam. mulierem profluuio sanguinis liberauit.*

ENCOMION 108.

Auspicatò descendit in campum Nicetas, *vixn*
ipso nomine præferens victoriam. *Victoria.*
Iconoclastas insecutus est impios.
nemo tam opima spolia retulit victor,
quàm hic qui captiua Cœlitum signa.
perstringebat scilicet hebetem aduersariorum aciẽ
radiatus illorum in tabulis vultus,
inuidebant religioni triumphanti
imagines heroum laureatas,
Armenio se Leoni Nicetas opposuit,
eripuit sacram ex vnguibus prædam.
Copronimo etiam Constantino constantior fuit.
exilium ipse libenter tulit,
modò reuerterentur cum insignibus Cœlites.
præfectus idem religiosæ vitæ palæstræ,
cum aduersario nostri generis luctatus vicit.
Aethiopem hic se simularat ex Phosphoro.
at ille virga vile mancipium terruit:
erubuisset hostis, nisi se fecisset Aethiopem nigrũ.
Vita ipse functus prorogauit ceteris vitam.
mulierem in primis ægram proluuio sanguinis
in integrum apud suum restituit tumulum.
videri hac in re potuit salutis Vindici similis,
nisi fortè quodammodo magis videatur mirum,
curari morbum sanguinis ab exangui.

Pridie Nonas Aprilis.

4 *April.*

S. THEODVLVS

Martyr.

Synop. *Anagnostes fuit. Admirabilem habuit martyrij præsensionem, accepto diuinitùs annulo, in quo Mundus erat exsculptus, cuius vi magnos hausit spiritus. confertur cum Homerico Agamemnonis clypeo similiter exsculpto.*

ENCOMION 109.

δοῦλος Deus δοῦλος seruus.

Theodosius, si nomen spectes, nobilem Dei seruum;
si omẽ, nobilissimũ aut bellatorẽ dices, aũt sponsum.
adolescens vidit in somnis inseri digito annulum,
nec ludibrium fuit illud insomnij;
inuenit vigil in digito mira specie annulum,
vtrùm militis illud insigne fuit, an sponsi?
an vtriusque? nam & mentem Deo sensit accendi,
& aduersus impietatem pugnaturus exarsit.
supra fidem est, quod habuit pignus virtutis, & fidei;
cælatus erat in pala formis arcanis Mundus,
in orbe exiguo orbes stellarum, orbisque terrarum,
circumfluus Oceanus, elementa quoque cetera;
eminebat vniuersitati rerum architectus Deus.
cessauit post tantæ rei famam garrire Græcia,
Homericũ iactãs Agamenonis clypeũ, Vulcani opus,
Mundi molem artificiosè fuisse complexum.
Iam Theodulus pro religione progressurus in cãpũ
veterem abijcit clypeum, hastam, gladium;
nouo more decertat, tantùm armatus annulo.
ludit cruciatus, flagra crepitant frustrà.
talem si olim Annibal in Cannensi pugna
nactus esset hostem, *Florus.*
non eripuisset, vt ceteris huic victor, annulum.
frustra & in mare mergitur; naufragium haud timet;
habet annulum, cui anchorarium inserat funem.

No-

Nonis April.

S. VINCENTIVS

5 *April.*

Ferrer. Ord. Præd.

Synop. *Alluditur ad ipsius nomen, & cognomentum. Cũ pellici non assensisset, à Kakodæmone per ambages res indicata est. eum modò Aethiopis, modò immanis belluæ specie sibi obiectum fugauit, ac spreuit.*

ENCOMION 110.

Totus ad victoriam factus, totus ad pugnam,
habuisti & vincentis auspiciũ,& ferrũ,quo vinceres;
ferreus dici maluisti,quàm aureus:
dimicasti ferro,quo te sponte vexabas,
sed aureas retulisti victor exuuias,
mirũ narrãt,grauidæ matris vterũ à te nõ grauatum.
licet tantum postea in sermone habueris pondus,
licet totum te oneraueris ferro,
tamen effugisti Cupidinem,leuior alato:
hostem ipsum tuæ victoriæ fecisti præconem,
cum inter flammas fuisse te dixit æstus immunem.
ita,quem illaudabilem facere nequiuerat,laudauit.
stultitiæ fuit,conari extorquere victoriã à Vincẽtio.
nec tamen hostis, vel victus,destitit vafer esse;
simulauit se promissa barba, & canitie senem,
imaginem præsetulit antiquitatis Aegyptiæ;
nisi quòd fictam maciem non tenuitas victus,
sed liuor effecerat victi:
at ipsum eò repulisti,vnde se venisse fingebat,
in lustra ferarum, immò in claustra potius Inferorũ:
non illum, veterem patrem,
sed veteratorium declarasti hostem.
ausus est iterum nigro Aethiopis vultu
tuo insidiari candori;
at veritus,ne tibi in mancipium cederet, fugit.

VIII.

VIII. Idus Aprilis.

6 *April.*

S. GVILIELMVS

Abbas.

Synop. *Iniecit eius lectulo KaKodæmon ignem, nihil tamen ille lædi potuit. Idem tam acriter communi hosti calcem impegit, vt is retrocedens impetu ipso alium læserit. post mortem visus est in nube exerto pede.*

ENCOMION III.

Gulielmi virtus feriata non fuit:
ipsi aduersarij palæstram ei fecere victori:
aliorum liuor reddidit pulchrum,
contumeliæ cesserunt in decora.
frustrà in eum sæuijt ira mortalium,
cui Stygij furor hostis ludibrio fuit.
inuiderat ille huius quieti, vel parcæ,
iniecit ignem cubili, pyram circa torum struxit;
arsere omnia præter ipsum;
nihil aliud egit hostis,
nisi quòd ignis prodigio eum fecit illustrem.
arsit ipse magis, vel inuidia, vel furore;
accedere tamen est iterum ausus,
sed pertinacia magno stetit parui habito.
nam cum lenis esset Guilielmus, & mitis,
tunc primùm ira excanduit iusta,
haud quisquam hostẽ tã probrosè prostrauit,
tanquam vili mancipio impegit calcem,
impulsu tam acri, vt is in alterum incidens
penè exanimato infregerit latus:
tantùm supinus non cecidit Stygius hostis,
quia Cœli conspectum oderat.
meritò post obitum visus hic intra lucidam nubem
exertum ostentare metuendum Erebo pedem;
plus egit allidens eum calce, quam calcans.

VII. Idus April.

S. CALLIOPIVS

Martyr. *7 April.*

Synop. *Nominis etymon expenditur. Bacchi celebritatem, ac ludos interturbauit; quamobrem plumbatis est cæsus, & rotæ affixus; sed ab Angelo liberatus. tandem in cruce obijt, matre cum lætitia spectante.*

ENCOMION. 112.

Ab oris pulchritudine sortitus hic nomen, *καλὸς Pulcher, ὄψ os*
Calliopius videri poterat Calliopeæ filius,
nisi vera pulchritudo vicisset fabulæ fidem.
adsciuit sibi decus à vulnerum liuore, quæ pertulit,
oris purpuram à cruore, quem fudit.
A Pāphilia Pōpeiopolim vsque insectatus est Deos,
ad pulchrū ptinere ratus est, mōstra pfligare turpia.
cum in Bacchi orgia incidisset, ac thyrsos,
Liberalia ore reprehendit libero,
œstro insano percitos sanis coercuit probris.
plumbatis cæsus, quasi sub prælo expresso sanguine,
ebrium Bacchum sobrius vicit.
post-flagra, versatilis machina extructa est rotæ,
gladiorum vndiqne armata cuspidibus;
sed triste spectaculum Cœlestis ales effecit lætum,
volubilem rotam velut adamantino fixit clauo:
videri potuit ipsa, si qua est, constitisse Fortuna,
admirata iuuenis in cruciatu constantiam.
sed quia rotas euaserat, stabili affigitur cruci.
nempe omniū pulcherrima cadere debeuit morte,
vt res nomini responderet, Calliopius.
qn etiā adesse voluit lęta pēdētis spectaculo mater;
pulchrior sibi visus pēdens è cruce filius, quā è collo.
non carnifices timuit illa, sed Solem,
ne, vt olim, tenebris eriperet pendentis aspectum.

VI.

VI. Idus Aprilis

S. AEDESIVS

Martyr.

8 *Aprilis.*

Synop. *Philosophus eximius fuit. Tyrannum acriter obiurgauit insidiantem pudori cuiusdam virginis; quamobrē ad latomias damnatus est, ac demum, post exantlatos summos labores, in mare proiectus, atque demersus.*

ENCOMION 113.

Ades huc magne pudicitiæ tutor, Aedesi,
per te virginalis olim non erubuit candor;
non es veritus incessere tyrannum probris,
quòd venalem lenonibus pudorem faceret:
assuetus acutè disserendo in Lyceo versari,
acutius philosophatus es, & acrius ad tribunal.
nempe iccircò de more palliatus incedebas,
vt aliorum pudorem tuo tegeres pallio.
passus es te ferreis constringi vinculis,
ne pudicitia solueret zonam.
ad latomias quoque damnatus fodisti humum,
modò ne fouea pararetur castis.
cædebas libenter ligone lapides, ac secabas,
modò constantia puellaris esset integra.
cādida diffindendo marmora, defendisti candorem.
meritò excitari tibi debuerunt aræ,
ex ipsis, quę secuisti manu tua, marmoribus;
dignus fuisti, cui insculpi deberēt colūnę magnificę,
firmissimò videlicet pudicitiæ vindici,
lapides tractans obduruisti in tyrannum magis.
denique nunquam tranquilliore fuisti animo,
quàm cum ideò es proiectus in fluctus,
ne faceret naufragium alienus pudor.
vt facilius vincere Venerem posses,
eam nascentem in ipsis aggressus es cunis.

V.

V. Idus April.

S. EVPSYCHIVS.

Martyr. *April.*

Synop. *Fortunæ impiè cultæ fanum euertit: ostenditur, cur hanc maximè Deam sit insecutus. Commendatur eius fortitudo animi, & firmitas in toleranda morte, quam Fortunæ inconstantiæ victor opposuit.*

ENCOMION 115.

Nouum, Eupsychi, sortitus es iter ad gloriam;
cum Fortunam impulisti præcipitem,
posuisti tibi celsitudinis gradum.
meruisti templa, cum eius demolitus es fanum.
ceteri heroes varijs bella indixerint Dijs,
tu, vt planè fortunatus esses,
Fortunam ipsam aggressus es perdere:
nemini Sors obtigit maior,
quàm tibi, qui Sortem fecisti minimi.
nihil est meliore consilio gestum,
quàm quo destructa res est inimica consilio.
fecisti, vt nihil infortunatius diceretur,
quàm ipsa Fortuna.
neminem illa tam altè deiecit,
quàm cecidit ipsa cum fani fastigio.
præceps est sua deuoluta cum rota.
sed ostendisti tunc maximè illam à te fractam;
cum infractus tuis restitisti pœnis,
diuitis domus fortunas contempseras omnes;
maius tamen fuit, vnam aspernari Fortunam.
hoc tantùm illi felicitatis reliquum fuit,
quòd te victorem sibi illudentem cæca non vidit;
sed cæcam Fortuna hòc omnium fuit infelicissima,
quòd infortunio suo
te hostem fortunatissimum fecit.

IV. Idus Aprilis

S. MACARIUS

10 April.

Patriarcha Antioch.

Synop. *A barbaris affixus est humi acutis clauis, sed frustra; reijciente scilicet humo clauos. ignitum quoq. saxum admotum pectori. baculo morbos mirè fugabat. elatus est humeris Regũ. Visi sunt à morte in aere lucis circuli.*

ENCOMION 115.

Inuisit hic Hierosolymis vestigia diuinæ pietatis,
sed in barbaros incidit impios.
nouum supplicij pertulit genus;
confixus est clauis non in ligno, sed humi,
at nouum prodigij contigit genus,
respuit humus clauos; (mirũ) vt pia esset, obdurnit;
nempe noluit iacens, & humilis tellus
vsurpare sibi triumphalis arboris, crucis gloriam;
Ignitum quoque admouerunt pectori saxum;
sed ignescere assuetum numine, lædi non potuit;
pectus, quod erat pietate mollitum, saxa peruicit.
ac ne videretur Macarius vim extimescere ignis,
excitatum in ædibus restinxit incendium.
& illa miranda vis hominis,
quòd morbos fugabat intento bacillo,
hac quasi claua huiusmodi monstra domabat.
quin immò penè visus est, & à se ipso abigere mortẽ,
diù scilicet post obitum integro repertus corpore,
adfuere obstupefacti spectaculo
Reges, dynastæ, Galliæ proceres.
At dum sacra cadauer efferretur in pompa,
visi in aere sunt instar coronarum circuli duo
aureo fulgore conspicui.
quàm nobilis ille sepulchi triumphus fuit,
quẽ ornarũt, & diadematì Reges, & coronatũ Cœlũ?

IV.

IV. Idus Aprilis.

S. POMPEIUS

Martyr.

10 April.

Synop. *Præfertur Pompeio magno. Herculem colere recusauit. Vincula, quibus est constrictus sponte soluta ceciderũt. Immissi frustra in illum à præstigiatore angues. Socios habuit Maximum, & Africanum præclaræ necis.*

ENCOMION. 116.

Superasti omnem veteris Pompeij gloriam;
appellatus est ille ob victorias Magnus,
tu victoriæ socium tibi adiunxisti Maximum.
expugnauit ille armis Africam,
tù vnà cum Africano expugnasti tyrannum.
Tandem in Pharsalico deuictus bello
ille Pompeius etiam funebri caruit pompa;
tibi Sors felicior obtigit,
cui à Fortuniano præside damnari, fuit auspicium.
conatus est frustra vinculis facere te captiuum,
solutæ mirè sunt manus, vt conseri possent in pugna.
carcer ipso Capitolio fuit illustrior,
luce videlicet supernè demissa.
Acriores tu, quàm Pompeius, nactus es hostes;
illi cum larba, Mithridate, Tigrane res fuit;
in te quicquid natura habet horrificum, sæuijt.
quia te vincere non potuit crudelitas supplicijs,
magica se armauit impietas veneficijs;
positus inter flexuosas serpentium spiras,
nihil visus es à recta religione deflexus.
surdæ aspides non nisi tuum audierunt imperium.
demum simulacro Herculis negasti cultum.
post angues domitos, ac cetera monstra pœnarum,
extremus fuit, labor, an ludus?
ipsum Herculem vincere.

11 April.

III. Idus April.

S. LEO

Pont. Max.

Synop. *Attilam, qui se Dei flagellum dicebat, graui sermone compescuit. hæreticos, sed Nestorium maximè, & Eutychen acriter insectatus est; ambos aliud præferentes pulchris nominibus, aliud foedis factis.*

ENCOMION 117.

Fuisti Leo, generositate animi leoni simillimus;
sed hoc maior, quòd te nulla deterruit, leonis more,
impiorum flamma obiecta luminibus.
immò Attilæ furorē in Italiæ efferuescentē incēdijs
restinxisti perennis eloquentiæ flumine;
exterruisti maiestatis pontificiæ fulmine;
extorsisti è manibus vindicis Dei flagrum,
oratione tua flagrante.
vidit ille lateri adhærentem tuo
armatum districto gladio Ducem.
tanto armorum apparatu accinctus Attila
vnius extimuit gladium.
tu inter tot venatorum iacula Leo
stetisti non modò sine vulnere, sed sine metu.
absterruisti oris fremitu ceteras feras,
insultantes religioni audacter, lacerasti acriter.
Nestorius, qui veteris infecit Nestoris nomen,
suauitati facundiæ cessit tuæ.
mel olim inuentum est in leonis ore, sed mortuo,
at abs te etiam viuente manauit,
nempe, vt te sermone opponeres impio Nestori,
pro melle fundenti virus;
felix vel hoc Romæ sors fuit,
quòd Eutychē bonæ Fortunæ nomine ornatū falsò
ostendisti exitialem omnibus, atque infaustum.

Pri-

Pridie Idus Aprilis.

S. SABBA

Gothus M. 12 April.

Synop. *Patrios Deos strenuè oppugnauit. in spinas proie-ctus lædi non potuit. Alligarunt eius pedes, & manus duobus axibus, & excruciarunt. Demum in flumen proiecerunt, cuius nomen erat, Musèum.*

ENCOMION. 118.

Etiam in immani gente Getarum
inuenit aliquando sedem pietas;
ex ijs vnus Sabba, & miles, & imperator fuit.
aggressus est patriç non muros expugnare, sed mores;
pius est habitus, quia paricida Deorum fuit.
nihil illum læsere tela pugnantem;
per spinas crudelem raptatus in modum,
vulnerari non potuit;
nempe nō est passus cū Veneris sanguine iungi suū:
qui Cupidinis retuderat sagittas,
etiam spinarum hebetauit aculeos.
Impositus est super eius humeros ligneus axis,
ad quem protendere vinctus iussus est manus,
ad alterum item axem alligati sunt pedes;
visus est sic præludere felicitati suæ,
sustentaturus vtrumq. cœlestē axem, Atlante fortior.
habuit etiā axes, quos triūphali subnecteret currui;
ijs optauit ipsa æternitas volui.
proiectus est tandem in fluuium,
quem auspicato nomine appellabant Musèum.
hostis igitur ipse celebrandū heroem obtulit literis,
cum eum intulit in Musèum
meritò proiectum attingere non sunt ausi corui,
quia ipsum sibi vendicabant cum Musis cycni.
in fluuio perire iussus, inuenit pro Lethe Musèum.

Idi-

Idus Aprilis

S. HERMENEGILDVS

Martyr.

13 April.

Synop. *Filius hic fuit Regis Vuisigothorum in Hispania, ab Ariano parente exhæres regni factus, tum in vincula coniectus, & impiè necatus est; sed honorificentissimè elatus cum insigni Cœlitum pompa, atque cantu.*

ENCOMION 119.

Nemo, Hermenegilde, tam regios hausit spiritus,
quàm tu, qui religionem præposuisti regno.
Acre tibi virtus proposuit bellum,
non vt barbaras vinceres gentes foris,
sed tui barbariem patris domi.
iussit ille, te sequi Arij partes impij,
diuinitate spoliantis genitum Deo.
at maluisti spoliari ipse insignibus regni,
& minor parente videri tuo,
quàm pati, vt minor ille diceretur suo,
noluisti eius esse parentis hæres,
qui exhæredem faciebat prolem diuinam.
soluit ille, ac rupit naturæ vincula,
cum te in carcere arctè alligauit pater.
aureo destinatas sceptro manus addixit ferro;
fasces ipsos tibi debitos solui iussit,
vt securim in te expediret ad necem.
non expalluit tuas vultus ad pœnas,
sed ad contempti Numinis probra.
nec pietatem solùm pater exuit, sed iustitiam,
cum inhumato negauit iusta.
sed visi sunt Superi lucidis delabi cum tædis,
qui pæana cecinere, non næniam.
reclamasset Natura parens tã crudeli facinori patris;
sed, ne Cœlitum obstreperet carmini, siluit.

XVIII.

XVIII. Kal. Maij.

SS. TIBVRTIVS, ET VALERIANVS Martyres.

14 April.

Syoop. *Valerianus S. Cæciliæ sponsus, viso Angelo cum binis coronis floreis, verã religionem est amplexatus. cũ autem Iouem adorare nollet, unà cum Tiburtio, & lictoribus ipsis pro religione suscepta necatus est.*

ENCOMION 120.

Nihil auspicatius tuis, Valeriane, fuit tædis;
quia Cæcilia virgine non arsisti.
non defuit castis nuptijs pudicus auspex,
cui cœlestis erat origo,
nisi quòd pro facibus flores tulit.
binas præferebat intextas corollas,
altera te redimiuit, altera virginem.
ilicet genialis viluit torus,
perspecta forma pulchrioris auspicis Genij.
nullus esse posuit Veneri locus,
vbi sponsa meruit argumentosa dici apis,
flore delectata, non vepribus puncta.
Frustra, Valeriane, colere iussus es Iouem,
qui coniugem spreueras Iunonem præsidem tori;
iccirco tu, & sponsa vos abdicastis auro,
ne quid habere videremini commune cum Ioue,
qui se verterat incestus in aurum.
tunc cœpisti cũ Tiburtio laureas referre victrices,
cum ambo Capitolinum abiurastis Iouem.
retulistis spoliorum pulcherrimum genus,
lictorum scilicet secures, & fasces,
quos illi, & vestro cruore imbuerunt, & suo;
exemplo constãtiæ fecistis carnifices socios necis.
grande spectaculũ: triumphalẽ prosecuti sũt pompã
sua quoque victoria laureati lictores.

XVII.

XVII. Kal. Maij

S. OLYMPIADES

15 Martyr.

Synop. *Ob neglectos Deos in lecto ferreo, subiecto igne, nequicquam collocatus est. demum necatus ceruicibus non*

April. *abscissis ferro, sed contusis. Canibus quoq; obiectus post mortem, vt laceraretur, sed accedere non sunt ausi.*

ENCOMION 121.

Fecisti, vel robore, vel victorijs tuis,
vt ambigeret Fama,
vtrùm Olympiadem te diceret, an Olympionicen.
Plutarch. quòd magnus Alexander dictitasse fertur,
se tunc descensurum fore in Olympia,
cum sibi decertandum esset cum Regibus,
id tibi vltrò est oblatum;
cum imperatore luctatus es Decio.
adhibita est in certamine flamma,
ne quid inesset in victoria non illustre.
cessere supplicia in Olympicum ludum.
sectus flagris, aspersisti cruore libenter solum,
vt aduersarius laberetur in lubrico.
ferreo impositus lecto subiectis prunis,
nunquam mollius recubuisti, aut lætius;
ea tibi est requies visa certaminis.
tātò libentius excepit posteà Olympus Olympiadē,
quantò similiorem vidit flammæ splendore.
Demum non vno ictu securis sunt sectæ ceruices,
sed ad cruciatum diù contusæ,
nè statim auolaret alata victoria.
abiectum, ob spretos Deos, ad lanienam corpus
custodes circumsteterunt canes:
mirum, quòd venerati sint canes
te hostem latrantis Anubis.

XVI.

XVI. Kal. Maij

S. PATERNVS

Episc. Abricen. 16 Aprilis

Synop. *Cum esset amicus pauperum, procuratori regiæ pecuniæ auaro lumen oculorum diuinitùs eripuit. arreptitios, & mutos curauit. antequam præsul crearetur, visus est à Superis è Coelo delapsis ritè inaugurari.*

ENCOMION 122

Fuisti, Paterne, vitæ asperitate, in te ipsum lictor,
in ceteros singulari pietate pater.
Childeberti Regis ærarium aperuisti inopiæ,
at eius auaro procuratori Crescentio
verito, ne pecunia decresceret regia,
diuinitùs eripuisti lumen;
fecisti ei, quem deperibat, similem, Pluto.
non debuerunt irrigari Cœli lumine oculi,
qui pauperum squalorem aspicerent sicci.
sed paternus erga tuos amor te armauit in hostem.
nam Parisios aduentantē, necdū subeūtem mœnibus,
exhorruerunt subitò milites Ditis;
quotquot misera hominum obsidebant corpora,
coniecerunt se ocyus in fugam;
non expectarunt iubentis imperium,
non ausi sunt vultum sustinere præsentis,
incruenta fuit victoria, sine pugnæ labore.
meritò tibi vis data soluendi ora mutorum,
vt plures essent, qui concineret victori pæanem;
illud verò quàm admirandum, atque preclarum?
quòd antequam Abricenses acciperes infulas,
delapsi per speciem è Cœlo Pontifices
suis te manibus inaugurare sunt visi.
occuparunt videlicet te Cœlites somno languētem,
ne posses, vt solebas vigil, acrius honori resistere.

XV. Kal. Maij

17 April.

S. ANICETVS

Pont. Max. M.

Synop. *Templorum, ac sacrorum ministros vetuit esse molliter comatos. Iussit caput in coronæ modum tonderi. Insectatus est hereticos, Montanum, Maximillam, Priscam, Casaphryges, & alia id generis monstra.*

ENCOMION 123.

In Assyria natus famosa regione delicijs,
cum supremum sortitus esses imperium,
in delicatos statim inuectus es mores;
hierodulis, & hierophantis muliebriter comatis
seueram admouisti nouaculam;
execratus es prodigiosos religioni cometas;
vera lucere voluisti astra, non ficta.
iussisti abrasum ritè in orbem verticem
sacra insigniri corona.
victrici laurea indignus tibi visus est vertex,
molli comptus lenocinio comæ.
auspicatò tibi nomen Aniceto fuit, (ἀνίκητος Inuincib.)
hoc est insuperabili heroi,
indicto videlicet, & strenuè cōfecto ī illecebrā bello.
sed illa fuere maiora certamina,
quæ inita cum Montano, cum Maximilla, cum Prisca.
scilicet perfossus, atq; deiectus à te Montanus cecidit
vastiore ruina, qnàm olim à Xerxe Athos.
haberi cœpit Maximilla vel parui, vel minimi.
Priscæ furenti more Baccharum
aut est antiquata dementia,
aut in busto vetustatis sepulta cum nomine.
Cataphryges, qui se numine simulabant afflatos,
vti vaporem pleno maiestatis ore difflasti;
qui se dicebant Entheos, eos penè dixisti Atheos.

XIV.

XIV. Kal. Maij

S. ELEVTHERIVS

Episc. Illir. M. 18 April.

Synop. *Commendatur, cum à nobilitate generis, tum à virtutibus. cum Tyrannus eum ab èquis distrahi iussisset, Angelus in currum imposuit, & in montem egit: excruciatus posteà est igni, & acuti obelisci substrati.*

ENCOMION 124.

Nihil Roma se vidisse fatetur illustrius,
quàm Eleutherij ciuis sui triumphum.
protulit in eo maiorum laureatas imagines,
parentis tertiùm Consulis secures, ac fasces.
sed illud pulchrius, quòd Anthia matre genito *Arbor Flos.*
nulla vis infringere potuit gloriæ florem.
hostis ipse Adrianus apparauit triumphum,
cum dèlacerari iussit à consternatis equis,
qui sine auriga distraherent currum.
mirus honor. Cœlestis ales inhibuit equos.
in currum imposuit hunc triumphantis more,
auriga fit ipse ales, in montem nemorosum agit;
attonitæ spectaculo circumsistunt currum feræ,
leones in primis, subire parati iugo.
adblandiuntur, plaudunt gestu, lætitia fremunt,
solus induit Imperator feram;
furit incensus ira, incendi Eleutherium iubet,
clamat hic, se non prunas calcare, sed rosas,
nimirum fausto natus omine, Anthia matre,
inter aculeatos pœnarum effloruit vepres.
frustrà, & acuti substrati sunt obelisci;
his enim ille ad pugnam magis visus est acui;
immò tanquam victori obeliscos ipse hostis erexit;
sed vt perennius monumentum gloriæ foret,
inscripti sunt illi triumphali sanguine.

XIII. Kal. Maij

S. ELPHEGVS

19 April. Episc. Cantuar.

Synop. *Qui hunc necarunt, diuinam vltionem grauiter senserunt: partim enim obsessi sunt flammis, partim excruciati dolore viscerum, aut obruti naufragio, aut telis hostium. At eius cadauer integrum repertum.*

ENCOMION 125.

Inter Danicos Britannici regni fluctus
immotam Elphegus se præstitit cautem;
nihil tamen illo mollior fuit in miseros,
ipsis se præstitit hostibus lenem;
sed fassi sunt, se nihil sensisse asperius,
qui in eum temerè exarsere conuicijs;
incenso oppido vix euaserunt à flamma.
alij immani viscerum excruciati dolore
didicerunt mitiora habere præcordia.
At vbi vires accepit impietas,
impacta securi sacras fregere ceruices:
tum effugere se posse rati paricidij pœnam,
crediderunt pelago classem;
sed elui tantum piaculum nec Oceano potuit;
coniurarunt repentè aduersa ventorum agmina;
sexaginta naues vna procella demersit,
totidem expulit in ignota littora;
reliquias infelices impiorum
excepere barbarorum gladij.
nempe qui gubernatorem Britannicæ nauis
nefariè necatum deiecere de puppi,
ij, & fluctibus damnandi erant, & ferro:
contrà hic diù post penè spirans repertus in tumulo,
conditus est in vrna cum pompa à rege Canuto
is, quem venerata seruarat recentem cana vetustas.

XII.

XII. Kal. Maij

S. THEODORVS

Trichinas. 20 Aprilis

Synop. *Asperrimo cilicio vsus est, vnde Trichinas dictus. ex eius mortui corpore mirandum in modum fragrantia vnguenta manarunt, quæ adhibere soliti sunt ægri ad depellendos, & curandos morbos.*

ENCOMION 126.

Nulla magis idonea fabricata sunt arma,
quàm tua, Theodore;
qui pro thorace adamantino
loricam induisti cilicinam,
triplici setarum ordine verè trilicem;
huius asperitas fecit, vt dicerere Trichinas. seta.
nobilius sortitus es cognomentum,
quàm à caliga militari Caligula,
à triumphali torque Torquatus.
cum tu hispidis setis totus horrebas,
velut ericius, vulnerasti hostem,
cominùs, eminùs.
immissa tormenta hostium amisere vires
villosi textus opposìtu.
quid mirum, quòd tam bene loricatum ducem
exhorrescere visus est Stygius miles?
sed illud planè mirum, quòd è tuo exanimi corpore
nulla arte vnguenta sponte manarunt.
his inunctos donabas vita mortuus.
cõpũxisti setarũ aculeis corpus, vt effluerẽt balsama.
qui nullis illecebris delibutam duxisti vitam,
vnguenti suauitate delinitam meruisti mortem!
vertisti tumulum in Seplasiam,
vrna abijt in myrothecium,
cadauer in concham.

XI.

XI. Kal. Maij

S. ANSELMVS

21 *Aprilis.*

Episc. Cantuar.

Synop. *Puer adhuc cum degeret in monte, sibi visus est coram Deo Imperatore stare, à quo alimentum acciperet. dynasta ipsi infensus venabulo ictus occubuit. alter ei obsistens, luporum se appetentium specie territus.*

ENCOMION 127.

In vrbe Anselmus natus Augusta,
vnus ciuis patria ipsa fuit augustior.
educatus est in monte, nēpè ad ardua quæque factus;
putabat puer hic, per impositos montium gradus
ad diuinitatem fieri posse ascensum:
obuersata est hæc agitanti mira species ad votum,
vidit se in altum cacumen euectum,
ad Imperatoris magni solium sisti;
oblatam quoque sibi ab illo dicebat ambrosiam;
hausit inde sapientiam, qua ceteros aleret.
sed offecit altitudo tanta ingenij, atque virtutis
etiam regio culmini.
statuit Romanæ religionis libertatem tueri liberè,
maluit odia Regum iniusta contrahere,
quàm pati, quicquā de reginæ Romæ gloria detrahi;
Vuilēmi infesti dynastę, dū feras venatur in nemore,
ferinum cor diuino nutu sagitta traiecit;
sanguinem inde misit, vbi efferuescebat ira;
alter, qui eum ausus est mordere conuicio,
exhorruit inuadentes se lupos;
nec anteà explicauit se periculo,
quàm vidit, ex Anselmi ore vibrari lanceā in lupos;
quis auderet cum tam strenuo congredi Duce?
qui aut calamum distringebat in gladium,
aut linguam exacuebat in lanceam.

X.

X.Kal. Maij

S. THEODORVS

Episc. Anastasiop. 22 April.

Synop. *Præmonstratus est matri lucidi sideris specie. cùm lateret, inuentus est à venatoribus inter feras, ferreo septo pro domuncula vsus. mouit facillimè ingentem cautē, impetrauit precibus è coelo imbrem.*

ENCOMION 128.

Nihil tuo, Theodore, conceptu clarius;
nihil viuendi genere tectius fuit.
visa sibi mater est sinu excipere lucidum sidus;
statim radiatus intumuit vterus;
abdidisti te tamen in intimas siluas,
occuluisti lucem opacitate lucorum.
sed diù delitescere virtuti non licuit;
conuenere ad te vndique piorum greges.
mirati sunt sub vmbra nemoris abditum Solem;
stupuerunt, cum feras viderunt humanas factas,
adulantes tibi lupos, adblandientes vrsas;
te, contrà, atrocem in te ipsum, ac ferum.
Non cœmentitiam habitasti domunculam;
sed nouum tibi fecisti carcerem cratibus ferreis,
hunc pontificiæ præposuisti basilicæ;
Anastasiopolin, hoc est vrbē immortalitatis alumnā *ἀνάστασις Resurrectio*
infulatus præsul cessisti alteri,
vel hoc immortaliter laudandus.
Exibuisti te durum tibi,
sed saxa tuo non obduruere imperio;
quippe ingentē cautē, quæ protrahi nulla vi poterat,
quasi volubilem fecisti pilam.
imbres quoque, vt placuit, aut pressisti, aut expressisti.
meritò id factum, ferrea constrictus in cella
æneo imperasti Cœlo.

X. Kal. Maij

S. MVCIVS.

22 Aprilis.

Martyr.

Synop. *Praefertur hic Mutio Scaeuolae, Saturnum adorare noluit. Socios habuit necis Polychronium, & Chrysotelum, ad quorum nomen alluditur. ante Decij currum quasi captiuus ductus est, sed soluta repente sunt vincula.*

ENCOMION 129.

Mutam fecisti de Mutio Scæuola famam;
sed de te disertam.
Val. Max. exuri passus est ille foculo manum, quia arsit ira;
quòd in cæde Porsenæ Regis aberrasset ab ictu;
at tu diuinos honores iussus habere Saturno,
totum potius obiecisti te flammis,
non nisi certus fuit ictus, collimasti;
quia deiecisti de diuinitatis regno Saturnum;
fabuloso illius auro
præposuisti id, quo laceratus es, ferrum.
at ne videretur virtus planè inops ab auro;
socium tibi adsciuisti pugnæ Chrysotelum.
χρυσὸς Aurum; πολὺς Multum; χρόνος Tempus. ne, vt Saturni hostis, careres memoria temporis,
etiam Polychronium.
equuleo tuo refractarium domuisti tyrannum;
frenos furori Decius à te inijci sensit;
stupuit, cum neruis excruciatum diù,
neruosiorem vidit.
conatus est facere frustrà captiuum,
iubens ante currum te duci suum;
sed fluxerunt prodigiosè lora de manibus;
palmæ non funes admisere, sed palmas,
iterum ad pugnam liberæ.
Scaeua Sinistra Alterum te, Muti, Scæuolam Roma dixisset,
sed quia fuisti dexterior, non debuisti à sinistra dici.

X.

X. Kal. Maij

S. SOTER

Pont. Max. M.

28 April.

Synop. *Hæreticos, in primis Cataphryges insectatus est acriter. vetuit, à virginibus, etiam Deo dicatis, sacra vasa tangi, aut eas ministerio adhiberi sacrorum. vetuit quoque, iniri matrimonium sine parocho.*

ENCOMION 130.

Fecisti, Soter, Campaniam verè felicem
natalibus Fundis.
accepisti auspicatò à salute nomen. *σωτὴρ Saluator.*
seria, non ludicra dedisti orbi terræ Soteria;
desierunt Tyndaridæ Romæ dici Soteres, *Alex. ab Alex.*
quòd pro salute ciuium dimicare sint visi.
Domuisti religionis hostes, in primis Cataphryges;
verè bis, immò sæpius à te victi Phryges. *Virg.*
obtriuisti superbi Montani perfidiam
execratione fulminea;
nempe feriunt summos fulmina montes.
altitudo eius nominis fuit humilior,
cum te ad fastigium dignitatis virtus euexit.
consuluisti præsertim honori templorum;
sacra vasa vetuisti fœminea tangi manu,
etiam in parthenone degentium.
thuris adolendi munus esse iussisti,
sed suffitu suauius redolere pietate:
verecũdiæ, ac pudoris flãmã intra flãmeũ coercuisti.
Nuptijs quoque leges, ac iura negasti,
iniectis licentiæ frænis,
ne Cupido volitaret audaciùs;
commendasti pudorem paranympho, & pronubæ;
nempe testatam voluisti coniugum esse virtutem,
vt esset clara non minùs famæ luce, quàm tædæ.

IV. Kal. Maii

S. GEORGIVS

Martyr.

24 April.

Synop. *Bellica laude præstans fuit: sed aduersus Deos pugnauit acerrimè, quamobrem rota distractus est acuminibus aspera. Demum post acerba supplicia admoto pectori graui saxo, proiectus est in mare.*

ENCOMION 131.

Inter hostiles gladios, ac tela impunè versatus
dici meritò potuisses, Georgi, belli fulmen;
nisi quòd ita fragore armorum virtus detonuit,
vt non euanesceret fulgetrum gloriæ.
alterum te putassent Martem,
nisi triumphatis omnibus Dijs,
visus fuisses Martialis heros Marte præstantior.
excoluisti, Georgi, virtutis cāpū eo, quo ict⁹ es, ferro.
creuit magno cum fœnore laudis seges.
duro primùm contusus es vecte;
sed mirus euentus; nam non aditum clausit,
sed aperuit tibi vectis ad decus.
Immanis frustrà extruitur machina,
prægrandis ad lacerandum rota;
stant subiecti cultri, horrescunt cuspides,
alligaris solutus metu;
totus diffluis cruore, dum voluitur,
sic abundè irrigas cultum gloriæ campum.
stupuit Fortuna, cū dedit volubilis rota constantiā.
nempè contemplatus es in huius machinæ orbe
immensam sempiternæ felicitatis orbitam.
sub acie ferri virtus aciem traxit.
nec minus elusus est hostis,
cum ingenti lapide tuum onerauit pectus.
nunquam enim firmior contempsisti procellas:

γεωργὸς terrā colo.

VIII.

VIII. Kal. Maij

S. MELLITVS

24 April.

Episc. Angel.

Synop. *Saxones ad vera religionis cultum traduxit. Deiectus est impiè de pontificia sede; sed auctores facti vltus est hostis. Aras interdixit nimirum scelestis, & facinorosis. Diuinitùs restinxit incendium.*

ENCOMION 132.

Non aliũ laus tua posceret, Mellite, quàm Nestorem,
cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio.
nec tamen esset illa ita mellea, vt Mellitus,
proinde nec te Nestor æquaret.
nihil in te fuit, quod non suaue esset, ac lene:
vt pietate corda mulceres,
adijsti duros, & nomine, & barbarie Saxones;
visum est iterum mel exugi de petra:
sed virtus, quę mel confecit tuum,
aculeo non caruit suo;
nam, qui te pontificia expulerunt sede,
mox ab hoste compulsi sunt in fugam;
quia carere voluerunt melle,
confosſi sunt telis,
viperino delibutis felle:
suauitatis ingrato fastidio
acerbisſimum doluerunt fatum.
Tu quoque cum absterruisti ab aris profanos,
tanquam ab alueari fugasti fucos.
operosa fuit in omnibus virtus,
apem præsetulit Hymetriam,
nisi quòd de more abigi non potuit fumo:
atque vt ostenderes, te hoc lædi non posse,
restinxisti fumantis incendinm vrbis.
mira res: ab extincta flãma Fama tibi lumen accendit.

VII. Kal. Maij

S. MARCVS

Euangelista.

25 *April.*

Synop. *Expressus est, ac significatus à Vate per Leonis speciem. in Aegypto Deorum fana, & simulacra destruxit. Commendantur Venetiæ, quæ eum patronum sibi adoptarunt; eiusque præsidijs nituntur.*

ENCOMION 133.

Prætendisti, Marce, generosum animo leonem;
cesserunt in prædam tibi minores feræ,
cessit quicquid belluinum bruta colebat Aegyptus.
latrare desijt Anubis, mugire Apis,
ad rugitum exterriti tuum.
Te Osiris multò acerbiorem sensit,
quàm, à quo laceratus dicitur, Typhonem.
dedidicit Apim Memphis plangere, didicit frangere.
fregisti etiam cruenta Isidis cornua;
cessarunt Isiaci perstrepere sistris,
vbi tua vox cœpit audiri.
perfectum est tuo quà sudore, quà sanguine,
vt nihil iam Nilo deberet Aegyptus;
cessere fruges hominibus frugi.
Gaudet nunc inuicta gens Veneta
inter barbaricas prædas,
captas tui venatione leonis;
nulla ferarum acres effugit vngues.
terret oculos ipsa ceruicum iuba.
scilicet cum illustrasses, Marce, Orientis plagas,
infudisti & Occidenti lumen:
illic Alexandriæ sortitus es infulas,
hic Aquileiæ renascentis statuisti principatum.
per te cœpit habere imperium, etiam in aquis,
ille, qui ardet igneus in signifero, leo.

VIt

VI. Kal. Maij.

S. MARCELLINVS

Pont. Max. M. 26. April.

Synop. *Cum metu suppliciorum, atque mortis religionem abiurasset, postea paenitens facti tyrannum adijt, increpuit, palinodiam cecinit, ac se constantissimè obtulit neci, ceruicibus à lictore fractis.*

ENCOMION 134.

Ingemuit primùm Roma,
quæ iam respuerat lupæ mammas,
cum pastorem populorum vidit
cessisse lupis in prædam,
nihil initio datum in scæna miserius,
nihil in extremo actu felicius.
Ille, cui regij se sponte submittunt fasces,
timuit impij Cæsaris secures.
prò qnantùm erubuit Roma,
cum ille expalluit ad tyranni purpuram;
sed eadem mox triumphauit gaudio,
cum ipsum, quem viderat decolorem metu,
proprio vidit cruore purpureum.
scilicet Ducem primum religionis expressit,
inter dedecus vnum, & decora multa versatus.
peregrinatus est vtriusque animus,
non inquilinus perfidiæ fuit.
semel tantùm constantia mutauit vultum,
perbreui salebra timoris succussum;
sed continuò se reddidit sibi.
gubernator ad puppim sedens
inter Euripi fluctus extimuit;
at nunquam postea velificatus est tutius.
consultò Natura trepidare voluit Cœlum;
ne sine metu casus sit ipse clauiger Cœli.

V.

V.Kal. Maij

27 Aprilis

S. ANTHIMVS

Episc.Nicomed. M.

Synop. *Alluditur ad floris nomen. auctor fuit, vt viginti hominum millia natali Christi die, subirent potius mortem intra templum incensi, quàm Ioui thura darent. ipse ignitis tibialibus, & gladio consumptus.*

ENCOMION 135.

Gaudes, & iure gaudes, Anthime,
æterno tui nominis flore,
Anthos Flos. quem nulla procella infregit, ac turbo.
inter acutos pœnarum vepres
redoluisti fragrantiùs.
ad suauitatem, ac pulchritudinem floris tui
innumeræ aduolarunt apes.
ex tua disciplina inter ceteros Glycerius,
γλυκύς dulcis. à dulcedine adeptus nomen,
suppliciorum acerbitatem non sensit.
Te auctore Nicomediæ, cui præeras,
multitudo viginti millium heroum,
corporibus igne flagrantibus
illustrauit Dei natalem diem.
ipse te tyrannus accendit ad cursum,
cum fibulis talos compunxit ignitis.
militis quoque muniuit pedes,
cum tibialia induxit ex ære candenti.
rota, quæ te versauit, adduxit ad metam.
admotæ lateri faces fecere illustrem.
tanto sub æstu flos non elanguit tuus.
libenter siuisti gladio frangi ceruices,
vt largior efflueret cruor.
sed, ne de flore tam pulchro se iactaret Venus,
cum purpureum sanguine fecisti tuo.

IV.

IV. Kal. Maii

S. VITALIS
Martyr.

28 April.

Synop. *Hortatus est ad martyrium subeundum Vrsicinum medicum. Ipse lapidatus est, sed sacerdos Apollinis auctor necis dirum in modum periit, clamitans sibi viscera igneo ardore torreri, atque consumi.*

ENCOMION. 136.

Mirum non fuit, quòd spreuerit mortem,
qui ferebat secum auspicium vitæ,
Vrsicinum ipsum medicum languentem in pœnis
roborauit eloquio;
medicinam ægro medico Vitalis adhibuit;
de vita securus sua, de aliena solicitus.
manus ad prælium peritè vibrauit hastam,
quippe illa commilitonem, vt surgeret, tetigit;
aduersarium, vt caderet, vulnerauit.
huic restitit, ne & alios perderet pugna,
alteri metuit, ne metuendo necem
iacturam faceret immortalitatis.
hinc iacula contorsit in barbarum,
illinc clypeo socium texit.
passus est vltrò se obrui saxis,
vt qui mollis erat in fide, obdure sceret pœnis.
Is, qui tyrannum ad Vitalis impulit necem,
Apollinis sacerdos Pythius fuit,
nempè ęgrè tulit eripi medicum
medicinæ, vt putabat, Deo.
sed pœnas paricidij meritas tulit,
statim oppressus à Dite clamauit,
intestino se igne comburi.
ceteris Pythius dubia dixit oracula,
sed de suo supplicio retulit certum.

IV.

IV. Kal. Maij

S. THEODORA

Virgo, & Martyr.

28 April.

Synop. *Inclusa est in lupanari. Miles eam liberat mutatis vestibus. tum alter procaciter ingreditur, qui inuento viro stupet. Lis de martyrio initur inter ipsam, & militem, Vtrique adiudicatur pro voto.*

ENCOMION 137.

Duplex aggressa simul est Theodora certamen,
& religionis, & pudoris.
S. Ambr. tam religiosa fuit, vt se mactari siuerit,
tàm pudica, vt præponeret probro necem.
detestanda vafrities, & conatus hostis;
vt pudica sit, religiosa ne sit.
Iussa est, aut Dijs facere, aut prostibulo infici:
turpis vindicta de turpibus Dijs.
At illa non putauit se fore pudicam,
si pudicitiæ abiuraret auctorem.
clauditur lupanari columba, non lupa,
nequicquam strepunt accipitres foris.
primò miles intrò irrumpit armatus,
sed aliud habitu præfert, aliud corde.
ambigit virgo, vtrùm sit procus, an lictor;
illa ceruices, hic chlamydem offert,
iurat, se non ad prædam venisse, sed prædem,
vadimonij, non opprobrij reum.
commutet indumenta,
ne mutetur, aut pudor, aut pietas;
pro calantica galeam sumat, pro flammeo cristas;
lorica pectus muniat, gladio latus.
sic armis corusca virgo visa venustior;
Venus ipsa videri potuit armata more Spartano,
nisi se simulasset, vt Venerem eluderet, virum.

At

at miles tunc maximè vir eſt, cum ſe fingit puellā.
interim euadit, euolat columba de laqueo
alis alienis.
Alter irrumpit intrò, & verè procus.
ſtupet, cum animaduertit virum;
non ſubſtitutam videt, pro Iphigenia, ceruam,
nempè ceruæ more non pauet,
ſed verum inuenit, pro puella, militem;
generoſa fuga eſt, quę metuit pudori:
ne ipſe quoque, qui hæc ſpectat, alter ſit, veretur;
prorſus ità alter planè fit, nō tamē forma, ſed mēte,
ex hoſte, pudoris hoſtia.
curritur ad ſupplicij locum, de nece certatur,
clamat hæc, ſe prædem pudoris optaſſe, nō mortis,
manere nexum, ſi quæratur pudor;
fidei iuſſorem ſe nolle, ſi ſanguis,
habere vnde hunc ſoluat;
eſſe in virgine locum, & flagris, & vulneri,
ſi minus flagitio, & Cupidinis telis;
probrum ſe declinaſſe, non necem;
formam corporis ſe mutaſſe, non animi;
fugiſſe ſe luſtra luparū, vt ouē oſtēderet immolādā;
non agnoſcere beneficium, ſi eripiat palmam.
felix euentus tanti certaminis fuit;
duo contenderunt, & ambo vicerunt.
ſapientius hi exierunt de Epicuri hara,
quàm de Pythagorę ſchola
Damon, & Pythias.
cœpere iſti apud poſteros ambo ſileri,
eo ipſo, quod olim amauere, ſilentio,
quippe non peruenit eorū vadimoniū ad coronas.
mirum planè eſt, quod canit hic fama; *Vide Baron. in Martyr.*
fornix meretricius
Theodoræ ceſſit in fornicem triumphalem.

III. Kal.Maij.

29 Aprilis.

S. PETRVS

Ord.Præd.M.

Synop. *Ab hæreticis parentibus ortus, veræ religionis defensor acerrimus fuit. Cum verba faceret, Solem obnupsit, ne auditores æstu grauarentur. loquelam aut dedit, aut abstulit. tandem pro fide constanter cecidit.*

ENCOMION 138.

Parentes impietatis inuoluti caligine,
ediderunt te, Petre, in lucem,
immò ediderunt lucem,
quippe Solis instar exortus es terris;
nisi quòd semel prodigiosè texisti Solem,
cum sub dio verba faceres in summo æstu;
vt perfugas ad fidei signa reduceres;
impetrasti precibus nubis vmbraculum.
cessauit Sol impendere terris radios,
vt in alijs compendium tu faceres lucis.
subduxisti vertici æstum,
vt cor incenderes.
Qui tuo in omnes dominabaris eloquio,
aliorum imperasti loquelæ;
aduersarium audacter oblatrantem tibi
fecisti elinguem.
alteri nutibus à te poscenti opem,
vincula soluisti linguæ.
vulnerauit vox tua virilis impios,
antequam tibi infligerent vulnus.
Quęsitor, & indagator es perfidiæ factus,
parentibus licet perfidis natus.
mirum fuisset, si imbelles columbæ
genuissent ferocem aquilam;
sed magis mirum, quòd pspicacē genuerūt noctuę.

Pri-

Pridie Kal. Maij 30 *Aprilis.*

S. CATHARINA

Senensis Virgo.

Synop. *Spineam coronam prætulit floridæ. Signa Christi vulnerum præsetulit. ecstases habuit miras. Catenis ferreis se domitabat. Cor ipsi prodigiosè assilire, & resonare solitũ ob ardentẽ in Christũ spõsum amorẽ*

ENCOMION 139.

Omnes eloquentia in te, Virgo, iaceret flores;
nisi magis amares, quibus redimis caput, spinas.
præfers catenis Mercurialium Rhetorum aureis
tuas, quibus constringis artus, ferreas.
hunc attulisti ad thalamum muliebrem mundum;
pallida placuisti sponso purpureo;
abiecisse aurum pro dote regia fuit.
faces de more qnq; arsere, quot in te vulnerũ notę
ducta non es nuptiali curru,
at in aerem euecta sublimis è terra
non modò mente, sed corpore,
adeò nihil te grauauit, id, quòd cõstrinxerat, ferrũ;
quot eius catenæ fuere annuli,
tot sponsus habuit fidei prædes tuæ.
sed mirum, quòd cum esses in amore tam firma,
nihil habueris corde mobilius;
hoc ei proprium fuit, subsilire, resilire.
cum te ferreis captiuam fecisses vinculis,
cor tamen impatiens fuit carceris.
quin etiam sonus salientis auditus est cordis,
non vacauit chorea virtutum Amore chorago.
felix, cui licuit, vel inter spinas habere tripudium.
sed nihil magis indoluit Venus,
quàm quòd ipsam ad tuas non admiseris spinas,
acriùs est his compuncta, quia caruit.

31 Aprilis.

Pridie Kal. Maij.

S. MARIANVS

Martyr.

Synop. *Anagnostes fuit. Excruciatus ex alto loco per summos pollicum apices pependit. Mirum habuit vaticinium de suo martyrio; prauidit enim se necãdum apud amoenissimum locum, & liquidum fontem.*

ENCOMION 140.

Excepit Marianus capaci ad gloriam sinu
rapidos, qui in se confluxere, torrentes:
tranquillo semper animo fuit in pœnis.
pependit alta de trabe libenter ad vulnera,
vt infra se despiceret hostem.
sic tortus est, vt illum extulerint pœnæ.
nexus, qui retinebat pendentem,
non totas manus, sed sũmos pollicũ apices tenuit,
vt exilitas digitorum laboraret magis in pondere.
non potuit aptius apex gloriæ tangi,
quàm per apices pollicum nexos;
non fuit opus integra certare manu, sed digito.
Carcer eidem pro cortina fuit oraculi,
quippe vidit ante necem, se sublimi insidentẽ solio,
assidere magno Naturæ opifici Deo;
tum per nemus duci arborum viriditate vestitum;
vbi se tandem crystallino prolueret fonte.
nemini mors se obtulit ore tam læto.
perductus est ad herbidum supplicij locum,
texendis videlicet idoneum corollis.
eminebat eodem in loco, vbi cæsus est, collis,
irriguus scatebra pellucidi fontis.
excepit cruorem alueus, factus est par Erythræo:
iterum visus est ardens furor hostilis
vndis, vt olim, extingui rubris.

FA-

FASTI
veterum Romanorum, atque Græcorum collati cum noſtris.

MAIVS.


Vanquam nondum liquet, vnde Maij menſis nomen fluxerit; cum illud alij à Maioribus, alii à matre Mercurii Maia, alii aliunde deducant; mihi certè placet, quod rei propoſitæ eſt maximè accommodatum, eam ſequi ſentētiam, quàm Sulmonenſis vates ex multis primam citat, vt deductum nomen ſit à Dea magiſtratuum Maieſtate. Et ſanè hic menſis ſtatim initio Apoſtolos producit duos, qui ſummus religionis eſt magiſtratus, deinceps verò ſummos Pontifices plures, hoc eſt omnino decem. in vnum diem, qui eſt vigeſimus quintus, tres incidunt. Fulget preterea maieſtate regia; quippe ipſis Kalendis occurrit *Sigiſmundus*, deinde *Henricus*, reges; præter mulieres è Cæſarum, Regumq; progenie, vt ſunt *Flauia Domitilla*, & *Plautilla* mater, & *Dyphna* filia regis Hiberniæ, *Baſilla* item ex regio genere; vt, ſi ſuperſtitionem excipias, dicas, hūc menſem meritò in Apollinis, hoc eſt Solis ipſius tutela fuiſſe.

Kal. Maii. Duobus hic dies triumphis inſignis fuit; altero, quem P. Val Poplicola de Veientibus, & Sabinis; altero quē Q. Publ. Philo primus Proconſ. de Samnitibus, ac Palæpolitanis egerunt. totidem apud nos, ſed multò illuſtrioribus ornatur, quos primi religionis duces † *Iacobus*, & *Philippus* retulerunt, ille de Iudæorum impietate victor, hic Scythicis, Aſiaticis, Phrygiis onuſtus ſpoliis; quibus triumphis addi poteſt tertius, quem *Sigiſmundus* Burgundiorum Rex cùm de aulæ illecebris, tùm de barbarorum ſæuitia egit. Florales item ludi per triduum dabantur; atqui *Andeolus* hic

1. Maii. *Liuius.* 278 425 *Kal. vet.*

hierodulus, Seueri Cæsaris iussu, spinosis potius cæsus est fustibus, sed inter spinas illas effloruerunt vulnerum rosæ. Cetera, quæ hoc ipso die Romæ agebantur, meræ aut inep-
Macrob. tiæ, aut corruptelæ fuerunt. Vulcanalis flamen Deę Opi operabatur. Lares Deos ornabant, quos Præstites, hoc est domus, familiæq; custodes vocabant, canina indutos pelle, cum canis hoc maximè haberent, quòd essent impudentes, nec tamen fures arcerent, sed diuinitatem ipsam surriperent. nobis, & Opis Deæ, & Præstitum Larium loco Cœlites pręstò sunt. Erat & Bonæ Deæ sacer hic dies, cuius sacris nihil improbius. in operto fiebant hæc sacra, quia execranda, vt laterent viros, quàmquam eò se intulit Clodius veste muliebri. ab ingenuis agi religio erat, quia minus religiosa; sed adhibebant seruitia. Damium vocabatur festum, quasi pro populi salute, δημὸς enim gręcè populus est; quòd potius saluti erat aduersum. Apud nos pro incestis Bonæ sacris, ac pro Floralibus ludis, in quibus illudebatur deflorato pudori, substituuntur *Vualburga*, & *Grata* virgines integerrimæ. Iàm apud
Gyral. Athenienses sacer erat hic dies Sciriæ Palladi, ab vmbraculis, atque arborum scænis ita dictę; quamobrem & Maium ipsum mensem appellabant σκιῤοφόριον; atqui nostrorum virtus non vult sub vmbra, sed in luce versari.

2. Maii. VI. Nonas. Triumphauit olim Romæ M. Cl. Marcellus
Golzius. Cos. de Comēsibus, & Insubribus; sed eum, quem † *Athanasius*
557 de Ario, ac de Cęsarū ipsorū impietate retulit triumphū, excepit, vt nomen ipsius indicat, immortalitas. Illa verò laurea est etiam ornata sanguine, quàm *Eugenius*, aliique nonnulli antistites, quam *Neopolis* cum sociis, quam *Exuperius* cum integra penè familia retulerunt, quibus ob fortunatum euentū libenter se associant, & *Secundus*, & *Felix*. sed quid illo speciosius triumpho, quem † *Antoninus Florentiæ* præsul, vel de hæreticis, vel de strigibus, & præstigiatoribus reportauit?

9. Maii. V. Nonas Maii. Tertius hic dies ludorum Floralium fuit,
Gyrald. quo. s. die lignum illud inuentum est, quòd diuino rigatum sanguine germinauit, atque effloruit in religionis decus. hinc ad corollas legerunt flores † *Alexander* hierarcha, *Euentius*, ac *Theodulus* hierophantæ; neq; vetustate arescet ea corolla, quàm *Iuuenalis* antistes sibi intexuit. *Antonina* verò virgo ita effloruit, vt lupanar ipsum, in quod intrusa per vim est, ei cesserit in hortum. Sed nihil tam insignem reddit hunc diem,

quàm

quàm trophæum *Crucis* inuentum, Florales illi Romanorum ludi cesserunt ei ligno, de quo, & illusus Deus, & redimitu spinis pependit. Aegyptiacum dixere hunc diem Vetere, infaustum videlicet, & ominosum, qui nunc faustissimus habetur, deleta videlicet per *Crucem* omni superstitione, cuius altrix maximè Aegyptus fuit. *Gyral.*

IV. Nonas Maii. A. Manlius Torquatus Cos. de Phaliscis spolia in triumpho retulit opima. Ludi verò Maximi per dies sex dabantur: Compitalitii vocabantur, quia in compitis Diis Laribus, quos vernis floribus coronabant, & eorum matri Maniæ, hoc est insaniæ, dicati erant. Sed Torquati triumpho præclarior ille succedit, quem *Siluanus* Gazensis antistes cum opulentiore gaza retulit, vnà cũ exercitu laureato, de Maximino Cæsare religionis hoste. ornatis autem verno flore Laribus, quos Præstites vocabant, opponitur *Florianus* Præsul; & insanæ Larium matri Maniæ summi consilii mater *Augustini Monica*, *Antonia* quoque ac † *Pelagia* virgines inter sanas, ac sapientes sunt iure censendæ. *4. Maii.* *Liuius.* 512 *Kal. vet.*

III. Nonas Maii. Alter ludorum Maximorum dies: apud nos non ludicra, sed seria sunt spectacula, & planè illis opposita. † *Maximi* præsulis de Maximino Cæsare victoris; *Angeli* quoq; Carmelitæ de hæresi profligata; *Augustini* de frænata superioris vitæ licentia; deniq; *Irenes*, *Ireneiq;* de nece contempta merentium laudem; quibus ad omen felicitatis se adiungit *Eutychius*; ad victoriæ *Nicetius*; ad voluptatis inter pœnas *Hilarius*; denique ad prædicationis, & laudis *Eulogius*. *5. Maii.* *Kal. vet.*

Pridie Nonas Maii. Illustris hic dies fuit C. Martii Rutili dictatoris triumpho de Tuscis; sed illustrior redditus flamma, ac nutrimento flammæ oleo, in cuius plenũ dolium *Ioannes* est immissus impunè, de Domitiano domito victor. Pulcherrimus & ille triumphus omnino dicendus est, quem *Venustius* de turpibus Diis, & quem † *Damascenus Ioannes* receptis Cœlitum signis de Leone Isaurico reportarunt. quamquam triumphatori *Rutilo* oppositi sũt clariores etiam nomine, *Heliodorus* videlicet, & *Lucius*. *6. Maii.* 367 ἥλιος *Sol.*

Nonis Maii. Nobilitarunt hũc diẽ triũphi duo; alter, quem Fabius Vitulanus de Aequis; alter, quem C. Sulpitius Peticus dictator de Gallis retulit: sed augustiores relati sunt de Deorũ simulacris ab *Augusto*, *Augustinoq;* fratribus, & à *Stanislao* *7. Maii.* *Golzius.* 264 265

de

de cupiditate, ac sæuitia Boleslai regis. quanquam, & speciē quandam triumphi præsetulit pompa illa, qua *Stephani* corpus ab vrbe Byzantina ad Romanam deductum est, vn que conditum cum *Laurentij* corpore, ne videlicet coronæ deesset triumphalis laurus.

8. *Maii.* *A. Gel.* VIII. Idus Maii. Ater Romanis dies; nobis certè candidissimus, præsentia scilicet alitis Cœlitum Principis † *Michaelis* in Gargano monte. Quanquam idem dies ex parte purpureus est sanguine Martyris, sed nomine *Victoris*; qui rectè cum eo se iunxit, qui primus victoriam cum laureato agmine de perduellibus Superis reportauit.

9. *Maii.* *Ouid.* VII. Idus Maii. Lemuria, nocturna sacra tribus noctibus alternis Romæ celebrabantur. putabantur hæ Laruæ concursare per domos noctu, atque horrificis spectris, & belluinis formis terrere mortales. sunt qui eos Lemures, quasi Remures dictos arbitrantur à Remo, cuius à se occisi vmbram cum placare vellet Romulus frater, hos ludos instituerit: At verò apud nos memoria est præsulis Nazianzeni † *Gregorij*, cui non aduersus inania ista spectra, sed cum veris, & immanibus monstris, hoc est cum hæreticis negotium fuit: quamquam eo Athenas nauigante, subitò concitata procella, visus est sibi videre absens pater in somnis horribiles Erinnyes, quæ pelago incubantes, fluctus in filii nauem conuoluerent, sed irrito conatu. Ceterùm infestis istis, & horrificis spectris, ac terriculamentis inanibus opponuntur trecenti, ac decem strenuissimi martyres, quos, neque horribili aspectu lictorum, neque propositis fascibus, ac securibus, formido incessit; ac proindè meritò se iis *Beatus* adiungit.

10 *Maii.* VI. Idus Maii. Tiberius Cæsar de Illyricis, Pannonibus, Dalmatis, atque Germanis nobilem egit triumphum, nec tamen æquandum cum illo, quem † *Gordianus*, & *Epimachus*, cui à pugna nomē est, de Iuliano egerunt. admirabilior certè hic, ac maioris ponderis fuit, quia non ære, ac ferro, sed plumbo (cæsi enim plumbatis sunt) parta victoria est. At *Calepodius* martyr inuictus, cum per vrbem probrosè tractus est ad necem, se in triumphali pompa duci est arbitratus. Fuit & illud triumphi spectaculū sanè videndum, in quo † *Cataldus* vix in lucem editus, aut fasciis inuolutus, colligatam quodammodo, captiuamq; Mortem ante currum duxit, matre soluta sepulcralibus fasciis.

294 *Onuph.*

V. Idus

V. Idus Maij. Iterum Lemuria Romæ celebrata, tum iuuenes armabantur, tanquã cum huiusmodi monstris, ac formis informibus dimicaturi. at commendatur à nobis potius † *Mamertus* antistes, qui ad cladem auerruncandam, & horrifica quædam, quæ Viennam obsederant, spectra, compitalitias, ac publicas lustrandæ vrbi preces instituit, item triduanas. Neque verò locum habet Lemurum terror, quando *Fabij*, & *Gandulphi*, & *Maximi* memoria est qui Erebo ac Dijs ipsis fuere terrori; præsertim cum hic dies, vt verni mensis, habeat flores suos aspectu ipso iucundissimos, *Anthimum* videlicet, ac *Florentium*, vtrumque purpureum. Deniq. ne quis nocturnos metuat Lemures, opportunè *Illuminatus* occurrit. Iam Hebræis memoria est suauissimi nectaris è cœlo delapsi, cum in desertis locis essent; nec tamen illud conferendum est cum suauitate, qua nostri præsertim Martyres inter acerbissimos ipsos cruciatus persundebantur.

11 *Maij* *Kal. 10*

Theat. v. b.

IV. Idus Maij Et Græcis, & Romanis celeberrimus fuit hic dies. Athenis quidem ob Mantinæam victoriam; Romæ verò ob insignem triumphum L. Cornelij Maluginensis de Volscis, & Antiatibus Ludi quoque hoc celebrabantur die Marti Vltori sacri. Sed quid illa victoria illustrius, quam *Pancratius*, omnis videlicet gloriæ bellicæ nomen, & omen ferens, retulit de Domitiano, ac Dijs spretis adhuc adolescens, & tyro? aut qui triumphi conferendi cum iis, quos & *Epiphanius*, & *Germanus* antistites reportarunt? alter de Ario diuinitatis detractore, alter de Leone Cæsare hoste templorum. Deniq. desit Mars, & haberi Vltor, & dici, cum de ipso, ceterisq. Dijs neglectis *Nereus* & *Dionysius* vlcisci cœperunt impunè, quibus ad fortitudinis omen accessit *Achilleus*: quanquam domita est istiusmodi spuriorum Deorum audacia à puellis ipsis, vltrice in primis † *Flauia Domitilla*.

12 *Maii* *Plutar.* *Liuius.*

πᾶν *Omne.* κράτος *Robur.*

III. Idus Maii. Lemuria postrema Romæ. abigere se his posse putabant è domo nocturnas laruas, & spectra. Sed præclarius, & religiosius est, quod egit Bonifacius Pont. Max. cũ è communi domo, atque delubro impios exegit Deos, ac magnam *Dei matrem*, *Cælitesque* substituit, compescuit Lemurum tumultus *Ioannes Silentiarius* dictus. *Glyceria* quoque virgo, cui à suauitate nomen est, nos à molestia, metuq. liberat, quæ neque oppositas acies Erebi, nec propositas à barbaris pœnas extimuit. in quibus non modò nihil inuenit amari,

13 *Maij* *Ouid.*

γλυκὺς *Dulcij.*

aut acerbi, sed tunc maximè perfusa dulcedine sibi visa est, ac non dici tantùm, sed esse *Glyceria*.

14 Maii *Onuph.* Pridie Idus Maii. Antoninus Caracalla à patre Seuero Imperator est dictus, ac propterea hunc diem *Romæ*, sibi faustissimum celebrari voluit; at hunc Imperatoris titulum, atque laudem in religionis castris assecutus est dignius; nec sine auspicio nominis, *Victor* Martyr, cui etiam auspicatò coniux fuit nomine *Corona*; ne videlicet victoria suis careret insignibus; vtrique è cœlo per speciem corona prælata dicitur, vt incitamentum esset ad pugnam. scissa *Corona* inter arbores est, putarunt aduersarii religionis scindi posse coronam, at illa per supplicia magis coniuncta est viro *Victori*, quamquam † *Bonifacio* quoq. post vulnera, cum se tandem, & Cupidinem strenuè vicisset, corona non defuit.

15 Maii *Varro.* Idibus Maii. Fuit apud veteres natalis Mercurii dies, ac proinde inter felicissimos habitus. sacrata ei erat ad Circum maximum ædes. Mercatorum feriæ agebantur, qui fonte apud eam ædem scaturiente se abluebant, quo expiarent periuria, fraudesq. in negotiatione cōmissas; Apud nos *Isidori* Martyris memoratur mors verè natalis, in cuius Basilica, quæ in insula Chio est, puteus cernitur, de cuius aqua qui piè hauserunt, admirabili prodigio liberantur à morbis. Mercurii verò mercatorumq. vafritiæ, atque fraudi opponitur *Simplicius* *Kal. vet.* præsul, & pretio *Dympna*, quæ pudorem noluit habere venalem. Hoc item die Romæ scirpea quædam Argiuorum simulacra de ponte sublicio deiiciebantur in Tyberim, quod ab Euandro institutum dicitur, vt vetus odium Arcadum in Argiuos significaretur. At certè nostris, vt *Ctesiphonti*, atque *Torquato*, fuit hoc propositum deiicere videlicet ex aris simulacra Deorum, vt intestinum in eos odium indicarent.

16 Maii *Macrob.* XVII. Kal. Iunii. Ater dies Romanis. ominosum erat conferre signa, explicare aquilas, manus cum hoste conferere. at hic dies auspicatissimus victoriæ fuit, nempe *Aquilino*, & *Victoriano*: qui profectò duces videntur diuinitùs fuisse coniuncti, vt ipso nomine indicerent Dijs bellum; ac ne quid deesset, vel pugnæ, vel victoriæ, & *Felix*, & *Honoratus* accessere; neque verò par erat, ab *Honorato* seiungi † *Vbaldum* antistitē infulatum.

17 Maij. XVI. Kal. Iunij. Huius diei laus omnis à noua Roma petēda est. Non elanguit apud posteros, sed viget memoria virtutis

tutis, quæ vel in † *Torpete* fuit impigra. in Neronis regia hic educatus est, non vt disceret exercere crudelitatem, sed ferre crudelem. At Chalcedonē inuicti milites ornant laureis, Alexandriam *Victor* ipse, *Restituta* Neapolim. 18

XV. Kal. Maij. T. Manlius Torquatus, qui Imperiosus est dictus, de Latinis, Campanis, Sidicinis, & Auruncis triumphauit: quo die apud nos *Henrici* Sueciæ regis triumphus præclarissimus celebratur, quem cùm de imperij assu co tempto, tū de barbarorum, atq; impiorum sæuitia perlata retulit. Accepit etiam, præter ceteros, ornamenta triumphalia † *Venantius* qui insignis fuit præda Deorum. Græci hunc -dem Troiæ incēdio illustrem fac unt. sed multò illustrior fa us est ijs tacibus, quę *Dioscuri* admotæ sunt lateri; & ea luce, quę de cœlo ipsi inter pœnas effulsit. *Maii Liuius.* 19

XIV. Iunij. Pudet Romā, vetera conferre cum nouis. nullā habet Vestalium virginum, quam cum *Pudentiana* conferat, vel pudicitia, vel pietate; quamobrem libenter in consortionem gloriæ adsciscit *Parthenium*: sed nimirùm hæreditarium pudorem accepit illa à patre, nomine *Pudente*, munere Senatore, nunquam prętexta, atq; purpura visa est pulchrior quàm apud hunc, quia vnà cum pudore coniuncta. Illustris itē dies est *Cyriaca* virginis flamma, in quam est pro religione iniecta; sed in primis illustrem reddidit † *Petrus de Morono Cœlestinus* dictus, tunc maximè toto Cœli splendore clarus, cum summi honoris lucem fugit, atque in virgulta se abdidit *Maii παρθένος Virgo.* 20

XIII Iuni. Vix quicquam à veteribus, at plurimum habet à nostris ornamentorum hic dies; nam & Nicæno Concilio initium dedit, à quo liberatoris nostri diuinitas aduersus Ariū defensa est, & decus accipit, vel à *Basilla* virgine nobilissima, quæ regia nata stirpe, purpuram etiam suo imbuit sanguine, vel à *Plautilla*, consulari matrona inter viri fasces, atq; secures Romę versata. Inobscurauit etiam veterum lucem sui vel magnitudine, vel splendore sideris *Asterius* martyr. & is, in cuius apotheosi astrum effulsit, † *Bernardinus*, qui *Aquilæ* Martyri se adiungit, quasi testatus insignem beneuolentiam erga Aquilam vrbem. *Maii Socrates. Ἀστὴρ Astrum.* 21

XII. Kal Iunij. Agonalia Romæ celebrata. plurimis litatū victimis, ratio nominis non vna, illa præcipuè ad rem nostrā facit, quam affert Sulmonensis poeta de victimarum inter cultros metu: ἀγὼν enim græcè trepidatio est. *Maii*

Gyral. An quia præmisos in aqua t met hostia cultros,
Ouid. A pecoris lux est ipsa notata metu?

sed longè alia ratio de nostris: nempè tanquam ad aram victimæ ceciderunt, non coactę, sed sponte, inter ceteros *Polyeuctus*, atq; *Victorinus*, quibus accessit ad decus *Theopompus*. cum *Victorino* maximè cohæret † *Hospitius*, solitus humana corpora obsidione Stygiorum hostium liberare. Itaque hic dies, qui *Gyral.* vnus ex Aegyptiacis dictus est, & infaustus habitus, apud nos est omni ex parte faustissimus.

22 *Maij* XI. Kal. Iunij. Vulcani feriæ fuerunt. Vulcanalis flamen faciebat Maiæ sacrum. ita pulcherrimum vernis floribus mensem turparunt fœdissimo Deorum. sed probrum sustulit nostrorum decus. *Basiliscus* enim, cum ferreę crepidæ ignitis clauis essent inductæ; pedibus ardentibus Vulcanum ipsum calcauit, ac spreuit. Turpi item, atroq; Vulcano † *Martianus* Præsul opponitur, pulcherrimæ, candidissimæq; columbę creatus auspicio. Sed nemo opponi potuit aptius tam fœdo monstro, quàm qui opportunè in hunc incidit diem, *Venustus*; quem etiam comitatur congruenter *Castus*: quid. n. potest huius nomini esse coniunctius? cohęrent inter se castitas, & venustas.

23 *Maij* *Ouid.* X. Kal. Iunij. Tubilustrium ad hunc diem nonnulli referũt quo videlicet præconum tubæ lustrabanrur. at verò tubæ; quibus præcones veræ religionis vtũtur, quia nihil iis castius, expiatione nõ indigent, sed ipsæ potius expiãt alios; quamobrem huiusmodi Tubilustria religio non magnopere desiderat, habet quippe præcones multos, in primis *Desiderios* duos, antistites ambos, alterum Lingonensem, alterum Viennensẽ. habet alios in Mesopotamia, qui tunc maximè vocales fuerunt, cum interclusus est spiritus fumo; sed maior fuit vis eius intra pectus collecti. *Lucij* quoq; inuicti Martyris virtute splendescit hic dies, quem consequuntur Cappadoces cõplures, at non sine † *Euthychio*, ad omen videlicet felicitatis; nec sine *Florentio*, ad omen pulchritudinis, atque gloriæ.

24 *Maij.* *Kal. vet.* *Gyraldi.* IX. Kal. Iunii. Syracusani hunc diem præcipuè felicem habuerunt, quòd Athenienses cum toto exercitu memorabili cladè profligassent, nec tamen huic victoriæ conferri potest illa, quam apud nos de impietate retulerunt, *Meletius*, ductor exercitus, & cum eo ducẽti quinquaginta duo milites laureati; vt auspicatò incidant in hunc ipsum diem, & *Robustianus*, & *Vincentij* duo, nec sine *Felice*. At Romæ Regisfugium alte-

sum

rum celebratum, hoc est gratulatio de Tarquinii è regno electi fuga. Apud nos memoratur *Manahen*, eiusdem, quo Herodes Antipas, nutricis lacte altus; nisi quòd hoc ille vertit in virus; sed dignas luit pœnas; expulsus .n. è regno ab Areta rege Arabum, cuius filiæ substituerat Herodiadē, fugit in Gallias, inde in Hispanias, omnibus iactatus incommodis. ac certè, qui incitato in virtutem odio ferebatur, eum nancisci hostem debuit, qui à virtute saltem nomē fortitus esset, Aretas. At verò *Manahen* multò sibi honorificentius duxit, sanguinem pro religione fundere, quàm lac haurire vnà cum Rege. Ceterùm quod attinet ad superbi Tarquinii fugam, turpiorē planè iniit parens ipse superbiæ, qui sibi temerè orbis terræ imperium vsurpabat; sed eum è suis aris, ac focis, ac tanquam è regia nostri cōferto agmine expulerunt. hoc egerunt † *Donatianus*, & *Rogatianus* fratres, qui illam ipsa in lanceam, qua sunt confossi, extulerunt in victoriæ trophęum. *desertò virtus.*

VIII. Kal. Iunii. Sacra Romæ fiebant Fortunæ, quæ videlicet obsecundasset Ser. Tullio regi, cum eum triumphatorem fecit hoc ipso die de Hetruscis. At multò augustior est apud nos hic dies, quippe honestant eum tres summi Christianæ reipublicæ moderatores, quos ad celsissimum illum honoris gradum non Fortuna, sed virtus extulit, † *Vrbanus*, *Bonifacius*, & *Gregorius*; quorum primus, præter alios plurimos, *Tiburtium*, & *Valerianum* religioni subiecit; alter Deos omnes è communi delubro depulit; tertius religionis libertatem defendit acerrimè. quamobrem & *Valentius* ei se adiungit, & *Leo*. 25 *Mai. Kal. vet.* 186

VII. Kal. Iunii. Nobilitauit hunc diē Germanicus Drusi filius triumpho de Cheruscis, & Angriuariis reportato. Sed multò magis nobilitatus est eo, quem † *Eleutherius* hierarcha, misso in Britanniam milite, crebis spolijs grauem retulit, in quo triūpho non eius Oceani vniones, nō aulæa acu picta, sed eius populi trophæa vnà cū Lucio ipso Rege captiuo visebantur. ac ne triumphantium pompæ, & fortitudinis laus, & felicitatis omen desit, idem hic dies est, & *Heraclio* & *Felicissimo* sacer; quorum societate † *Philippus Nerius* gaudet, quem nuper triūphalibus sanctitatis insignibus ornatum cœli Capitolium excepit. 26 *Maij Tacitus.*

VI. Kal. Iunii. Fiebant sacra Honori, Opi, atq; Virtuti; Fortunæ quoq; publicæ dedicatum est templum; sed Honoris loco successit is, qui summi honoris apicem tenuit † *Ioannes* Pont. 27 *Maii*

Max.

Max. quem qui dehonestare voluit Theodoricus, sub Liparæi camino ardet, fumo, bitumine, ac cinere obrutus. Honori quoq. *Beda* successit venerationis titulo insignis. at Opi Deę *Restituta* virgo, & martyr inuicta; & Virtuti sanctissimus præsul *Eutropius*. Deniq; publicæ Fortunæ etiam priuatim est nomen abolitũ, nisi quòd fortunata potius dicitur fuisse religio quę tot, tamq. præstantium heroum fœcunda fuerit parens.

28 Maij. V. Kal. Iunii. Vacat hic dies apud veteres laude, apud nos non item. ornat eum † *Felix*, qui suum pro Romana religione sanguinem fudit ornat† *Germanus* Parisiensis antistes cum virtutibus, tum oraculis clarus, eo præsertim, quòd non paucis ante mortem diebus edidit; se hoc ipso de excessurum è viuis, nec voce tantum extare vaticinium, sed scripto voluit: inscripsit. n. lectulo, in quo iacebat, hæc verba. *V. Kal. Iunij*, nec antea significatio intellecta est, quàm cum obiit. adeò non è tripode, sed è lectuli cortina edita est vaticinatio minimè dubia;

29 Maii. IV. Kal. Iunii. Odit hic dies vetustatis fumum, gaudet luce flammarum, in quas *Canor*, & paruulus filius, sed magnitudine animi præstans, iniecti sunt. Ornatur item in primis *Martyrij* sanguine, qui sui nominis tulit oraculum, ac propterea sacrũ *Martyrio* diem par fuit, plurimorum aliorum Martyrũ sanguine dedicari. ii recẽsiti sunt, præter ceteros, supra mille, & quingentos. quorum virtus, quia præconio carere non debet, accedit † *Sisinius*, nouo supplicii genere decoratus, ictu videlicet ęneę tubę. opportunè satis hic incidit in Maium mensem, quo Tubilustria celebrata diximus.

30 Maij. III. Kal. Iunii. Præstantia quædam gloriæ, quæ, vt nomẽ indicat, in *Exuperantio* Rauẽnate præside fuit, facit, vt antiquitas in certamẽ venire nolit † *Felix* itẽ hierarcha omni veteris Romæ felicitate superior fuit, qui tũc maximè hoc sibi nomẽ congruere putauit, cum ipsum conatus est hostis facere miserũm. Accedit ad religionis ornamentum, & *Anastasius* Papiẽsis antistes. & *Basilij* magni parentes, *Basilius* & *Emmelia*.

31 Maij. Pridie Kal. Iunii. Vnus ex Aegyptiacis fuit hic dies, quos etiam Aegros vocabãt; eos autem funestos putabant, ac tristes ex certo quodã aspectu siderum. at nobis hic dies quid nisi lætissimus sit? cum tanquam in odeo symphoniaci conueniãt, ipso nomine auspicati † *Cancianilla, Cantianus*, & *Cantius*.

Kal.

Kal. Maii

1 Maij

S. PHILIPPVS

Apostolus.

Synop. *Insanum magicæ viperæ cultum, qui apud barbaros inoleuerat, sustulit. lapidibus impiè appetitus est; quo tempore ingens terræ commotio, & labes facta; sed eius precibus sedata sunt omnia.*

ENCOMION 141.

Inter odores, qui afflantur è floribus,
nihil gratius accidit, quàm tui, Philippe, memoria.
ver attulisti religioni nouum,
nisi quòd vetuisti angues renouari vere;
siquidem viperæ, quæ colebatur à Phrygibus,
diuinum antiquasti cultum.
fecisti, ne falsò diceretur Hierapolis,
vrbs antea ideò sacra, quia execranda.
necasti impunè apud barbaros viperas,
necatus es frustra eorum odijs viperinis.
sed euomuit Asia erroris venenum,
cùm in te crudelitas effudit suum.
vipereum dici potuit hostium genus;
sed fuit etiam lapideum,
cum te duris appetijt saxis;
at virtus tua solidior ijs fuit;
quanquam commota scelere tellus intremuit,
exhorruit Natura ipsa paricidium.
ingentem tellus aperire hiatum cœpit,
parata nefas vlcisci.
sed fecisti, vt desisteret tremere,
quia tu nihil timebas:
mira planè, vel vis tua, vel pietas;
dum frangebaris immaniter saxis,
imperasti vltrici terræ, ne in saxa se frangeret.

Ἱερὸς Sacer. πόλις Ciuitas.

Kal. Maij

1 Maii.

S. IACOBVS

Apostolus.

Synop. *Frater nostri liberatoris dictus est, cui similis lineamentis oris fuisse dicitur. fas illi fuit subire templi adyta. Præsul Hierosolymæ factus. demum de templi culmine deiectus, & fullonis claua percussus.*

ENCOMION 142.

Tu quoque faustis, Iacobe, auspicijs
odoratas initiasti Kalendas.
meruisti, vt magni parentis dicereris frater,
appellatione honoris, non probro pudoris.
propè germanæ diuinitatis cognatus.
Quin etiam augusti lineamenta oris
expressa prætetulisti forma simillima.
hæsit anceps penè Natura,
dum vix conditorem discernit suum.
Dedicasti Pontificias infulas primus,
cum infulata cecidisti victima.
Patuit tibi augusti cortina delubri,
at non dubia Pythij tripodis fide.
Virtus tua nixa fibris altissimis
vim accepit per damna, per cædes.
cum de culmine deiectus es templi,
tibi gradum excitasti gloriæ.
casus ille ominosus fuit.
non tibi, sed templo,
secundum Dei necem, tua fatalis est habita.
meritò egit impia gens triste iustitium, *Iosoph. hebr.*
quia te interemit cognomento iustum.
fuste fullonis es cæsus,
nec tamen purgari potuit tantum nefas,
superauit artem omnem fulloniam labes.

VI.

VI. Nonas Maij

S. ANTONINVS

Episc. Florentinus. *2 Maii.*

Synop. *Scripsit chronologiam. hæreticos insectatus est, & striges. fascino infantes exsoluit. libertati Ecclesiasticæ infensos terruit pane, vi anathematis, in carbonem verso. ecstases habuit.*

ENCOMION 143.

Ambigas, vtrùm hic nobilior fuerit
lituo, an calamo.
lituo pontificem egit, calamo historicum
nemo ad res gestas narrandas aptior,
quàm qui gessit præclarè:
Florentiæ planè debitus flos Antistitum.
solitus erat accendere aliis vitæ facem,
sed hæreticis funestam accendit pyram.
striges coercuit, præstigias soluit.
fascino explicuit infantes.
tam insignis illi beneficij vinculo
arctius se obligatos sensere, quàm fascijs.
Nihil ipsi iucundius quàm candor fuit.
nisi quòd, vt anathematis vim ostenderet,
candidum panem in carbonem vertit atrum:
nullus è collisis nubibus ignis, aut fragor editus,
ex ore Pontificis, cum tonitru; fulmen erupit.
expalluerunt spectaculo Principes,
non ausi deinceps sunt obniti præfractius,
veriti, ne aut denigresceret purpura,
aut ignesceret trabea:
ab atro prodigio virtus claritatem accepit.
& hoc mirum, quòd inter grauia curarum pondera,
sæpè visus est è terra sublimis.
euolauit, vt aquila, qui intenderat fulmen.

VI. Nonas Maii

S. ATHANASIVS

Episc. Alexandr.

2 *Maii.* Synop. *Vt se religionis bono seruaret, fugę præsidio vsus prudenter est. Constantio Cæsari Ariano restitit. Calumnias hæreticorum delusit. Latuit & in cisterna, & in sepulchro paterno. Scriptorum doctrina clarus.*

ENCOMION. 144.

Niihil tam hostis extimuit, quã tuam, Athanasi, fugã:
parta est victoria more Parthorum.
ambitus exulis videri potuit ambitio,
vt vbique trophæa figeres victor.
admirabili constantia fractus est tua
Constantius ipse Cæsar;
sensit se tecum collatus infirmum.
frustra ab aduersarijs præstigiator es habitus;
quasi magica manu abusus Arsenij;
non aliena indigebas ad pugnam manu,
pugil robustissimus tua.
cum Ario in primis hoste congressus,
tanquam dux exercitus dedisti militibus
pulchrè descriptam Fidei tesseram.
sexennio in arenti latuisti cisterna,
sed nusquam vberior vena fluxit ingenij;
accipere voluisti de Cœlo sapientiæ imbrem.
ἀθάνατος Immortalis. Ab immortalitate licet duceres, Athanasi, nomen,
tamen abdidisti te diù in patris sepulchrum.
vt religio reuiuisceret, finxisti te mortuum.
pro campestri puluere, patrius pugnanti fuit:
inter sepulchrales vmbras calamus cudit,
vide adag. quæ tam clarè eras editurus in lucem.
quantus es, qui, vel inter funebres cupręssus,
cedro digna scripsisti?

V.

V. Nonas Maii

S. ALEXANDER
Pont. Max.

3 Maii.

Synop. *Creatus est hierarcha penè iuuenis; Arctè deuinctò catena defluxere de manibus. carcere diuinitùs aperto, obstupefactum tribunum adijt. equuleo, & igne frustra vexatus est. Inuentor hic idem fuit aquæ lustralis.*

ENCOMION 145.

Romanus hic Alexāder ea ætate dictus est Maximus,
qua Macedo nondum Magnus.
triginta vix natus annos,
orbem terræ domuit nutu, non armis;
antiquissima iuuenis temperauit imperia;
inter canos fluctus gubernator sine canitie,
peritè moderatus est nauim.
diu rexisset, nisi tyranni furor
sedentem deiecisset è puppi.
constrictum primò vinculis intrusit in carcerem,
sed hærere vincula non potuerunt manibus;
nempe illæ quicquid inest Cœlo, terraq;
pro voto, aut arcent, aut laxant;
iure ipsi patuit carcer, vt voluit.
adijt Quirinum tribunum attonitum facto.
quid ni humana se panderent ostia
clauigero Cœli?
vexatus est in equuleo, & altè suspensus;
sed eminebat altior, vel virtutis maiestate, vel muneris.
subijt ardentem, sed impunè, caminum,
mirus in igne; at idem magnus in aquis;
nempe eius inuentū est, vt expiatæ, ac lustratæ domus
Stygium propellant hospitem.
mirū dictu. didicit hostis, dum ardēti cruciatur igni,
horrere aquam.

IV. Nonas Maij

S. PELAGIA

Virgo, & Martyr.

4 Maii.

Synop. *Eius pudorem cum expugnare non potuisset Domitiani filius, sibi ipse mortem consciuit. ipsa in ignem iniecta est: tum intra ignitum taurum inclusa, vbi manus in ceram, cetera membra in vnguenta abire visa.*

ENCOMION 146

Feliciter in te, Pelagia, velificata religio est,
feliciter etiam pudor;
solus fecit Cupido in hoc pelago naufragium;
cum, qui deperibat te, Cæsaris Domitiani filius,
spe frustratus, sibi consciuit necem.
quin & parentis ipsius contempsisti nuptias:
nulla tibi visa est nobilior purpura, quàm pudoris.
satius duxisti, accendere in te Imperatoris iram,
quàm coniugales inter ambos tædas,
aspernantem te faces ille damnauit igni:
sed faustior hic ignis effulsit in Pelagia,
quàm qui in pelago dicitur Helenæ.
nihil te tranquillius inter procellas fuit.
Maluisti intra æneum Phalaridis taurum ardere,
quàm inter aurei thalami tædas.
minor haberi cœpit Alcidæ labor,
Mythol. cum Creticum edomuit taurum igneum.
sed illustrior hæc flamma prodigio miro fuit.
colliquatæ dicuntur manus tuæ ceræ modo,
cetera membra, vnguenti.
compleuit latè odor supplicii locum;
fragrare visa es potius, quàm flagrare.
nullus taurus odoratiore pastus est pabulo.
cum subijsti eius viscera, fecisti mitem,
nisi quòd mugitu exterruit Erebum.

III.

III. Nonas Maij

S. MAXIMVS

Episc. Hierosol.

Synop. *Iussu Maximini Cæsaris orbatus est oculo. pedes quoq. igni excruciati, & adusti. deniq. dānatus est ad latomias, vbi plurimos, & maximos exantlauit labores, insigni cum animi tranquillitate, atque constantia.* 5 *Maii.*

ENCOMION 147.

Educat nunc bellatrix virtus in campum
pugnaturum cum Maximino Maximum.
maius est nomen in præsule,
quam in Cæsare;
restitit infulatus diademato;
cesserunt Pontificio lituo Augustales fasces.
hostem suum in se ipsam armauit impietas,
cum effossum alterum oculorum clausit;
collimare melius potuit ad scopum
vnius iniectu oculi,
attentius telum direxit ad vulnus.
hoc erat in votis, vt satiati iam lacrymis oculi,
diffluerent etiam sanguine.
nec abierunt sine honore pedes,
vstulati sunt igni.
debuit videlicet suo præsul exemplo
relinquere pedibus impressa vestigia pietatis,
at non cuiuslibet, sed ardentis.
illustre nacti sunt igniti pedes iter ad gloriam.
prælusit, vt sidera calcaret ignea.
demum cum est ad metalla damnatus,
effodit sibi ipse marmora,
suis excitanda delubris;
materiam quoque perito suffecit artifici,
qua aut columna sibi efformaretur, aut statua.

Pri-

Pridie Nonas Maij

6 Maii.

S. IOANNES Damascenus.

Synop. *Impium Leonis Isaurici iconoclastæ edictũ spreuit: quamobrem amputata est illi manus; sed restituta diuinitùs, relicta tamen linea testante prodigium. demum in Lauram, cœnobium ita dictum, secessit.*

ENCOMION 148.

Tuam, heros inuicte, dexteram
solo armatam calamo
pertimuit Isauricus Leo,
aspernatus es vel purpuream Leonis iubam;
aciem immanium retudisti vnguium;
vulnerasti belluam venabulo calami sine ferro.
non dissimulanter es tuitus Cœlitum signa.
sed aperta fronte, aduerso pectore.
nobilis illa dextera scriptis aureis
præcisa nequicquam est acie ferrea.
nempe imbuisti cruore digitos,
vt posses trophæum victor inscribere,
Leonino insigne spolio.
sed restitutus est statim arbori ramus,
ne suauissimo careret religio fructu.
agglutinata est cubito manus
non alio glutine, quàm suo cruore.
vestigium tamen relictum est vulneris, linea;
testata videlicet defensa Cœlitum lineamenta.
pulchrè cicatricem linea coronauit in orbem.
post hanc victoriã, in nemorosũ concessisti cœnobiũ,
cognomento Lauram.
opportunè nactus es in ipso nemore Capitolij decus;
iterum in Lauram iconoclastas insecutus es calamo,
sed iam laureato.

No-

Nonis Maii

S. STANISLAVS

Epiſc. Cracou. M. 7 Maii.

Synop. *Mortuum è tumulo excitauit, qui fidem faceret coram Boleslao rege ſoluta iam pridem pro agro pecuniæ. Poſtea eiuſdem iuſſu impiè conciſus in partes eſt, & diſſipatus per agrum; ſed prodigioſè inuentus eſt integer.*

ENCOMION 149.

Hæret adhuc Sarmatia, Stanislae,
tuis obſtupefacta prodigijs.
quid ni? quando adhuc & Inferi ſtupent.
nempe producis de tumulo teſtes;
fidem facis teſtimonio ſupra fidem.
deſunt tibi obſignatæ tabellæ,
ſed adſunt reſignato ſepulchro Manes.
ad humanum ſe ſiſtit tribunal viuus.
qui iam euaſerat diuinum mortuus.
prodit ex nocte, vt diem dicat non reo, ſed Regi.
functus licet ille lucis vſura,
quod verum eſt, profert in lucem.
de muto marmore veniens, de grege ſilentium,
orat diſertè, perorat acriter.
ad vultum pallentis Rex erubuit,
quia detexit hic fraudem.
liber erat à metu, qui liber erat à morte.
non timet frontis faſcias auguſtales,
qui abiecerat corporis ſepulchrales.
proh ſcelus: adhuc regius inſanit furor,
mortem intentat domitori mortis,
ſtultus, an impius? an vtrumque?
at ò factum mirè; conciſa mēbra palam in vnū coeūt,
cruor abit in gluten.
tantùm ipſe non reuixit, quia iterū opus teſte nō fuit.

VIII.

VIII. Idus Maij

S. MICHAEL

Archangelus.

8 *Maii.*

Synop. *Commendatur tanti principis singulare, atque eximium beneficium, quo dignatus est afficere Apuliam, cum per tauri venationem indicauit sibi placere, extrui sanctissimum in montis specu delubrum.*

ENCOMION 150.

Non tam altè Apulia Daunia effert se montibus,
quàm maiestate Cœlestium.
Dux earum legionum castra in monte metatur,
scilicet virtute eminens, hosti imminens.
Desierunt celebrare Sipontini tutelare Palladium
à Diomede gentis auctore de Troia translatum,
cum suum videre tutorem de Cœlo delapsum.
Michel. euanuerunt inclytæ fabula Diomedeæ aues,
cum hic se per aerem librauit ales.
fœcundior deinceps fuit messe Garganus,
quàm plena horreis Gargara.
mira pietas; vt se hic in lucem proderet, abdidit,
lucidas Cœli sedes mutauit occulta specu;
inter virgulta texit formam humana maiorem.
felix, cui tantam inuenire licuit prædam
venatione tauri.
nullum vidit olim par Roma spectaculum,
cum tauros dedit in Circo:
Inter vanos hic iaculorum ictus
non est vanè certatum.
tali se specie Dux magnus voluit prodere;
quasi tauriformi impetu inuasurus in hostes.
tanquam ex alta specula Adriam inde despectat,
vt vel Turcicæ Lunæ, vel piraticarum antennarum
quasi taurina defringat cornua.

VII.

VII. Idus Maii

S. GREGORIVS

Episc. Nazianz. 9. *Maii.*

Synop. *Cum nauigaret Athenas, subita, & ingenti procella iactatus est; quo tempore eius parentes per quietem sibi visi sunt videre infernas Furias mare turbantes. Commendatur eius doctrina, & in hæreticos pugna.*

ENCOMION 151.

Cœperunt Athenæ sibi minus doctæ videri,
quamuis tot nobilitatæ gymnasijs,
cum te vnum audiere, Gregori.
parum videbatur, capaci mente complecti Mundum,
nisi eam Theologus maiestate diuinitatis impleres.
Adeunti Athenas communis piorum inuidit hostis;
fluctus nauiganti concitauit aduersos.
videre sibi visi sunt parentes, qui aberant, tui,
viperinis horridam crinibus Erinnyn,
quæ in mare incumberet, versaretq; in te fluctus;
sed euasisti naufragium corporis,
qui nunquam feceras pudoris.
frustra concitato mari reflarunt spiritus tibi,
qui postea inter religionis procellas
hostis Macedonij inflatos spiritus
detumescere coegisti;
per te primùm pugnax Macedo dici cœpit imbellis. *Haeresis Macedoniana.*
Tuæ quoque doctrinæ fulgor Apollinari obiectus
Apollinem ipsum fecit hebetem
Cum te aduersarij appetiere lapidibus,
suo decorauere suffragio:
nempe veteri more inter lapides positum
sapientia alterum fecere Mercurium.
fuisti carminis maiestate grauis, ac serius, *Michel*
nisi quòd Iulianus illusus à te abijt in fabulam.

VI. Idus Maij

S. CATALDVS

Episc. Tarentinus.

10 Maii.

Synop. *In igne pramonstratus. statim atq. ortus est, suscitauit emortuam in partu matrem: decidens ipse supra saxum, mirè illud emollijt. cuiusdam cadauer, iniecta terra, quam effodiebat, vita reddidit. mutos sanauit.*

ENCOMION 152.

Nondum editus Cataldus in lucem
significatus eluxit in flamma.
maius prodigium. mater, ni hunc peperisset ignem,
abijsset in cineres.
flamma illam seruauit à rogo.
obligatus hic fascijs obstrinxit beneficio matrem;
quam acceperat lucis vsuram, statim reddidit.
emortualem diem fecit vtrique natalem.
non ante de mammis illa lac fudit,
quàm hic infunderet vitam.
quantus fuit, qui vagitu exterruit mortem!
qui lacrymulis duplicem absterſit luctum?
saxum ipsum, in quod natus incidit, his emollijt.
quàm mellitus infans, qui vel marmora fecit cerea!
facile scilicet se præbuit marmor artifici,
vel vt notas inscriberet laudum,
vel vt simulacrum effingeret formæ.
Idem cum adultus rastro effoderet terram,
cadauer reddidit vitæ, iniecta terra!.
mira res: mortuum tumulauit, vt viueret;
adhibuit puluerem, ne fieret cinis.
Cum fatigati essent in ipso laudando ceteri,
noua aperuit ora mutorum.
præsul hic fuit Lacedemonij Tarenti,
at non laudandus Laconicè, qui linguas expedijt.

VI.

VI. Idus Maij

SS. GORDIANVS, ET EPIMACHVS Martyres. 10 *Maij.*

Synop. *Auctor Gordiano salutis Ianuarius quidam fuit, qui Christianum quasi reum iudicabat. Iouis simulacrum spreuit. Apollinis tripodem confregit. vnà cum Epimacho, item Martyre, postea sepultus.*

ENCOMION. 153.

Abdicasti te, Gordiane munere Iudicis,
ne fieres reus.
ereptus es exitio ab ijs,
quibus illud inferre parabas.
Ianuarius vocabatur, qui aperuit ianuam vitæ,
cum is apud te causam religionis ageret.
simul spreuisti, & Iuliani sceptrum, & Iouis fulmen.
æreum colere iussus Iouem,
adamantino restitisti animo.
quem apud te habebas Apollinis tripodem,
abiecisti in colluuiem vrbis, vt elueres nefas;
dubiam obscuræ cortinæ fidem
non dubitasti fateri clarè mendacem;
Implesti de te ipso maius oraculum;
exoptasti videlicet incidi gladio,
vt Gordianus explicaretur nodus,
soluto mortalitatis vinculo,
potiturus non Asiæ regno, sed Cœli; *Plutarc.*
nisi quòd hostis est, non omen elusum.
tandem opportunum à nece sortitus es tumulum,
cum Epimacho forti heroe communem,
cui auspicatum nomen à pugna: μάχομαι pugno.
vt qui Iulianum superaueras viuens,
eundem perterrefaceres etiam mortuus.
habuit te pugnacẽ non modò cãpi, sed tumuli puluis.

V. Idus Maij

S. MAMERTVS

11 Maii.

Episc. Viennensis.

Synop. *Instituit hic Compitalitias preces, siue Litanias, quæ per vrbem, Christo coelos ascensuro præcinuntur. causa huius instituti fuit Vienna horribili terræmotu iactata, & alijs prodigiis exterrita, tum expiata.*

ENCOMION. 154.

Iussisti, Mamerte, post Dei reuiuiscentis anastasin,
statis diebus apotropœos appellari Cœlites,
auerruncandis publicis mortalium malis.
exarmasti Naturam armis precum.
desijt Viennæ, post Cœlestium nutum, terra nutare,
post purissimas preces labem facere,
post gemitus Superis fusos mugitum edere,
post aperta votis ora, dehiscere;
desierunt suppliciorum intentari minæ,
vbi supplicum auditæ sunt voces.
Quin etiam quæ eruperant belluæ immanes è lustris,
abierunt vrbe lustrata;
quæ agitatæ ferebantur furialibus stimulis,
velut excantatæ sunt carminibus sacris.
non est deinceps ausus canoræ pietati
luporum vlulatus obstrepere;
non qui prodigioso, ac ferali fragore
percrebuerant noctu per vrbem horrendi sonitus.
At interea tuis quoque, Mamerte, præsidijs
non omnino caruit patria.
meruisti, vt te quoque inter Cœlites appellarent;
depascenti enim flammę regiam domum
regio occurristi spiritu imperans.
non es passus obnoxias esse igni
fulminatrices Aquilas Regum.

IV.

IV. Idus Maij

S. FLAVIA DOMITILLA Virgo, & Martyr.

12. *Maij.*

Synop. *Dignitas eius generis commendatur. In insulam Pontiam pro vera religione eiecta, custodes habuit Nereũ, & Achilleum, item Martyres. Demum ipsa in cubiculo clausa, & igni circundato incensa.*

ENCOMION 155.

Duorum Cæsarum neptis, ac prope Augusta,
Aureliano expetita Consulis filio,
lictorum fasces, & secures
maluisti perferre constanter,
quam præferre iactanter.
consularis viluit fastus,
vt pudori consuleres tuo.
hoc maximè tibi fuit in votis,
vt mutares nomen Flauiæ
in tui sanguinis purpuram.
Relegata es in Pontiam insulam
exul vrbis, ciuis orbis:
nihil indignius est factum, quàm vt degeres
inter indomitos Domitilla barbaros.
Ne naufragium faceres pudoris,
custodem habuisti auspicatò, Nereum;
ne pertimesceres hostem, Achilleum,
iracundum, sed in simulacra Deorum;
ambos victoriæ non testes modò, sed socios.
Inclusa es intra vaporatum igni cubiculum;
illustrius hoc tibi visum, quàm Augustale tuorum,
quia totum exsplendescebat flammis.
nimirum fecerunt hostes rem tuo pudori gratissimã;
tunc enim libentius ille in te insedit,
cum genas igni vidit accensas.

III.

XIII. Iduu Maij.

13 Maii. S. IOANNES

Silentiar. Episc. Colon.

Synop. *Dictus est hic Silentiarius, quòd tacitè se in intimam specum abdidisset; sed oraculo proditus est. Eum à barbarorum incursione tutatus est leo. coenobium nomine Lauram exædificauit, ibiq. piè commoratus.*

ENCOMION 156.

Non potuisti admirabili taciturnitate tua, Ioannes
efficere, vt te fama sileret.
nunquam illa eloquentior, aut vocalior fuit,
quàm cum silentium protulit tuum.
Pythagoras ipse visus est garrulus
tecum collatus.
Coloniensis creatus antistes
commutasti cum nemore vrbem.
inter ipsos auium cantus elinguis sponte,
suspendisti suauissimum linguæ plectrum,
veritus, ne quid fortè resonaret absurdè.
sed hoc ipsum in primis famæ prodidit tuba.
parum hoc: Cœlesti proditus es oraculo;
mutæ quoque prodidere te belluæ.
quippe tutatus est ab excurrentibus barbaris
insigni corporis vastitate,
horribilior aspectu, quàm ceteri, leo.
opposuit silentio tuo rugitum suum.
vnus hic armiger iubatus, non loricatus,
innumeros fugauit hostes.
Aedificasti tuis manibus palęstram virtutis
cognomento Lauram,
non es ipse dedignatus connectare cæmenta,
ex infulato etiam laureatus antistes.
nulli datus est plausus sonantior, quàm tibi silenti.

Pri-

Pridie Idus Maij

S. BONIFACIVS

Martyr. 14 *Maii.*

Synop. *Aegla matronæ incestè adhæserat; posteà pœnitens factus, dum martyrum corpora tumulat, captus. Inserti sunt in eius vngues acuti calami, & plumbum liquefactum in os infusum, sed obdurato pœnis animo.*

ENCOMION 157.

Enatasti tandem, Bonifaci, sospes ad littus,
quem decumani rapuerant fluctus,
natale, quod dicitur, Veneris regnum.
matronam quoque, quam deperibas, Aeglen *Αἴγλη Splendor. Mithol.*
tecum subtraxisti naufragio:
nempe hæc vna supererat specula,
quam faciebat eius nominis omen.
Aegle splendor est; Aegle dicta Solis filia.
morari videlicet apud vos diù Cupido non poterat,
quia cassus lumine.
prodigus fuisti proiecti pudoris,
prodigus magis profusi sanguinis;
siue ferreis dilaceratus ab vngulis,
siue mollibus excruciatus in vnguibus.
cum inter hos inserti sunt calami,
vitæ palinodiam inscripsisti sanguine.
satis tibi non fuit de flagitio erubescere,
nisi de nece quoque rubesceres.
Illud in primis stupuere carnifices,
quòd cum ori liquatum infunderent plumbum,
tu, quasi pro beneficio gratijs actis,
de ore plumbeo funderes verba aurea.
sed magis attonitus hæsit Cupido,
cum ipse sagittis ex ære acutis armatus,
a te vinci se sensit hebeti plumbo.

Idi

Idibus Maij

S. DYMPNA.

15 Maii.

Virgo,& Martyr.

Synop. *Filia fuit Regis Hiberniæ. Eam cum pater incestè amaret; nec à religione, aut à pudore detorquere vllis blanditijs posset, neci tradidit, ac feris exposuit. sed à Cœlitibus ipsis honorificè sepulta est.*

ENCOMION 158

Inter regias educata cum esses purpuras, Virgo,
nihil ornatius visum est tibi, quàm pudor.
& quia eo caruit aula parentis, viluit,
inijsti virili animo fugam.
ne mollibus caperere blanditijs,
ad immanes confugisti feras.
perfugium petijsti floridi pudoris
asperrimum senticeto nemus.
quamquam fuere omnia tibi mitia,
præter carnificem patrem.
incestum amorem, impium vertit in odium;
citasti tu illum ad ipsum Naturæ tribunal,
gemini sceleris reum;
sed vt fracta vidit Cupidinis tela,
arripuit gladium;
eo petijt iugulum filiæ, quo petebat hostis:
infecisti cruore paternam purpuram,
ne virginalis inficeretur candor.
relictam te alitibus,& feris prædam
tangere ideò ausæ non sunt,
quia, vt intacta esses, sponte cecideras.
quin etiam sepulcro ritè condenda
passa non es humana te manu tangi,
sed vrna te marmorea composuerunt Cœlites:
non euanuit pudoris purpura pallore, vel mortis.

XVII.

XVII. Kal. *Iunij*

S. VBALDVS.

Episc. Eugub. 16 *Maii.*

Synop. *Posthabitis clarissimis nuptijs, sacris est initiatus, & antistes creatus. Inopum fuit amantissimus. Arreptitios in primis sanauit. Ab Honorio inter Episcopos, à Coelestino inter Coelites est collocatus.*

ENCOMION 159.

Posset vel hoc in te Roma mirari,
quòd pietate, doctrinaq. tam clarum
In lucem edidit Vmbria;
nisi admirationi solidiora sufficeres.
Deprimere noluisti caput connubij iugo,
altius cum tiara futurum.
obsignasti potiùs annulo pontificio
datam, vel pudori, vel religioni fidem,
Eugubinæ sponsus vrbis.
accepisti hoc tantùm titulo pedum,
vt sustentator inopiæ:
ampli patrimonij hæredem
voluisti esse pauperiem:
meruisti, vt habereris inter indigetes,
quia fecisti, vt indigeret nemo.
pertimuerunt te Stygiæ laruæ,
obsidentes miserè humana corpora: *Mytbol.*
pepulisti hostes hospitio,
qui ceteris eras hospitalis præsul.
Ad te ornandum Romani conspirauere hierarchæ;
alter viuenti decus obtulit,
alter vita functo;
vterque omine nominis accommodato fatis,
quippe Honorius pontificio te auxit honore,
Cœlestinus indigitauit Cœlo.

XVI. Kal. Iunij.

17 Maii.

S. TORPES

Martyr.

Sinop. *Fuit hic ex familia Neronis. pro Christi religione alligatus est rotæ, sed frustra. ad columnam item flagris cæsus: qua dum constanter ferret, commota, & concussa subitò tellus est, vlcisci parata impios.*

ENCOMION 160.

Obstupuit Roma, cum ex Neronis domo
prodire vidit religionis ducem.
creuit prodigium,
cum nihil visũ est tam alienũ à torpore, quã Torpes;
promptus hic cucurrit ad pœnas.
ac ne vlla desidiæ suspicio foret,
volubili se siuit affigi rotæ,
quæ ipsum incitato raperet lapsu;
sed obtorpuit machina, non Torpetis virtus;
incusauit hic lictorum moras,
incusasset & Fortunæ contra se segnitiem,
nisi eius & numen sustulisset, & nomen.
non ipse metuere versatilem debuit rotam,
sed, qui eam iussit extrui, Nero,
mox de culmine deijciendus imperij.
additum deinde est oppositum rotæ supplicium,
vt esset etiam certameu in pœnis;
alligauit eum stabili columnæ lictor,
soluit fasces ad flagra.
tulit supplicium Torpes immotus;
sed paricidium Natura non tulit.
mouit tellus; conuulsa est columna de basi;
firmior fuit ipse, quàm marmor;
rota in triumphalis currus obtigit decus,
columna cessit in titulum.

XV.

XV. Kal. *Iunii*

S. VENANTIVS

Martyr. 18 *Maii.*

Synop. *Ad bestias nequicquam petitus est, nactus eas obsequentes, ac mites. iratus præses prunis igneis caput eius onerauit, adussitque; ignem item pectori admouit, sed ardentior factus ad pugnam.*

ENCOMION 161.

Dedisti spectaculum amphitheatrale, Venanti,
cum obiectus es feris;
dedisti ludum, quia illusisti pœnis.
nihil tyrannus egit stultius,
quàm quòd te damnauit ad feras;
scilicet putauit, Venantium venationis ignarum,
sed statim se prodidit virtus;
immissæ sunt famelicæ Libyes belluæ:
impetum primi fecere leones
rictu horribiles, vnguibus, iuba,
stetisti adolescens, excepisti impetum:
sed repente furor omnis resedit ad pedes.
resonuit amphitheatrum plausu;
miratus consessus est omnis,
Venantium sine venabulo
domitorem belluarum factum.
siluit Actæonis fabula. *Michel.*
mansit solùm in Præside belluinus furor;
tum creuit in homine feritas, cum desijt esse in feris.
Cum adolescentis capiti inijci iussit ignem,
hoc tantùm egit,
quòd fecit flamma radiatum caput.
admouit ignem etiam pectori,
sed neque aptior potuit accendi ara, quàm pectus,
neque gratiore litari victima, quàm proximo corde.

XIV. Kal. Iunii.

19 Maii.

S. PETRVS COELESTINVS Pont. Max.

Synop. *Summo Pontificatu se vltrò abdicauit admirabili virtutis exemplo. Ferreo circulo se constringere solitus. quo tempore eum honorem vltrò alteri cessit, oblatum in via claudum prodigiosè sanauit.*

ENCOMION 162.

Hæret calamus, heros maxime, stupet animus:
recens inauguratus Vaticanis insignibus,
abdicare te voluisti magistratu summo.
habuit primùm Roma, quod quereretur
altioris ignara consilij,
tali pastore populorum destitui gregem,
tali gubernatore nauim;
sed noluisti moderator esse ventorum,
exosus etiam in lino tumorem.
Inter virentes nemorum saltus,
quàm inter purpuratos maluisti versari,
auditos ibi sæpe Cœlitum cantus
plaudentibus antetulisti populis.
Quin etiam ferreum tibi fecisti circulum
constringens membra vir amplior Mundo:
satius tibi fuit orbem ferreum corpore,
quàm orbem terræ gestare manu;
sed eum sibi circulum vendicauit æternitas.
In vrbe Aquilæ primùm Cœlestinus es dictus,
expressisti videlicet vel vrbis nomine, vel tuo
sublimem volatum mentis in Cœlum:
qamquam non Aquilæ more secutus es prædam,
sed oblatam etiam respuisti fugiens.
in ipsa abdicatione honoris, claudo mirè dedisti cursũ:
adeò tota tua mens, & actio spectabat ad fugam.

XIII

XIII. Kal. Iunii 20 *Maij.*

S. BERNARDINVS
Senensis.

Synop. *Parente natus est argentifodinæ præfecto. iuueni procaciter ipsum appetenti alapam impegit. in alterum lapides intendit. In Aquila vrbe eius corpus adhuc incorruptum magno cum honore asseruatur.*

ENCOMION 163.

Parentem Bernardinus sortitus est idoneum,
Messanæ argenti fodinæ præfectum.
sed euasit ille ditior, dum argentum eruens alteri,
incidit in aurum suum.
quanquam puro quoque argenti splendore
pueri mirus indicatus est candor.
deuotus hic magnæ Dei matri virgini
insidiantem pudore iuuenem
execrationibus deuouit, ac diris;
erubuit ipse ad probrum verbi,
sed effecit, vt erubesceret & iuuenis reus verbere;
alapam malis impegit.
Idem mollibus appetitus illecebris,
duro defendit se lapide;
lenoni factus est leo.
vnum primò admirationem habuit,
quòd, quem capere nequiuit accipiter,
eum vrbs Aquila tenuit:
sed placuit ab hac teneri,
quia armatur in hostem fulmine.
prætulit certè animus tanquam imperator in castris
Aquilæ signa victricis.
superest adhuc corporis immortale trophæum.
nempe in cineres ille abire non debuit,
qui ignis incesti damna non sensit.

XII

XII. Kal. Iunij

21 Maij.

S. HOSPITIVS

Inclusus dictus.

Synop. *Catena ferrea constringebat corpus; arreptitios curabat oleo, itemque mutos. hostis intentans ei plagam, diuinitùs est coercitus. Eius tumuli puluere secũ aduecto quidã nauigans, quò voluit, impunè appulit.*

ENCOMION 164.

Hospitem se hic orbis terræ putauit,
sed municipem Cœli.
nihil olim extimuerunt magis
Stygij mortalium corporum hospites,
quàm Hospitium.
ferrea sponte catena ipse deuinctus
ilicet soluebat obsessos;
sacro eos inungebat oleo,
vt hostis metueret pugiles;
quin & oleo aperuit ora mutorum,
nempe, vt Dei laude flagrarent.
excurrentibus barbaris obtulit se quasi reum,
constrictum ferro:
sed sicarij dexteram in necem sui deuotam
tacito constrinxit imperio.
senserunt eius etiam mortui opem nautæ:
quidam deuehens secum de tumuli puluere,
cum aliò statuisset appellere,
quàm quò gubernator dirigebat clauum,
defixit quasi clauo nauim, donec ad votũ excurreret.
stupuit Natura prodigio;
cum cœpit imperare ventis,
qui solet esse ventorum ludibrium, puluis,
tetigit ille optati littoris arenam
beneficio pulueris.

XI.

XI. Kal. Iunii

S. MARTIANVS

Archiep. Rauen. *22 Maii.*

Synop. *Dum Eiscopus crearetur, insedit eius capiti columba: ei volucri similis fuisse ostenditur. Tutatus est suos insigni solicitudine, cùm à barbaris in vrbem fieret excursio, capite in discrimen oblato.*

ENCOMION 165.

Non caruit tuus, Martiane, honor auspicio;
inauguratus es ritè alite dextera.
superadstitit mirè columba capiti;
ambijt circumuolando frontem
non ambitiosi Præsulis.
auspicatius portendit infulas tibi pontificias,
quàm olim Diadumeno regias.
Desijt Dodonæas iactare columbas fama,
cum nobilitari Rauennas cœpit
certiore oraculo tuæ.
columbæ similis fuisti torquatæ, *Lampid.*
pulchro videlicet monili virtutum.
colores à Sole mille traxisti,
sed vero decore, non ficto.
At postea rapaces inter accipitres,
inuolante agmine barbarorum,
trepidasti pullorum cura, non tui;
ostendisti præsidiarias alas
niueo candore fulgentes:
tantùm gloriari non potuit Venus,
quòd columbina colla ipsius subieceris iugo.
& pulchrior tua columba fuit, & sanctior,
quàm quæ olim superstitiosè culta Syro.
sed columbam tunc maximè te ostendisti,
cum accepto Pontificis munere gemuisti.

X.

X. Kal. Iunii.

S. DESIDERIVS

Episc. Lingonen.

23 Maii.

Synop. *Cum vrbs, cuius erat præsul, à barbaris obsideretur, murum ascendit, conatus hostilem impetum à suis precando auertere. necatus est à barbaris impiè. Ad eius tumulum periuria explorari solita.*

ENCOMION 166.

In patriæ ruentis excidio
nihil infestius inuenerunt barbari,
quàm tuam, Desideri, pietatem,
cupidam tuendi ciues.
cessarant iam militum pila,
defecerant balistæ, vacabant arces,
opposuisti te solus armatis,
stupuerunt, cum destitutos præsidio muros
ascendere viderunt Præsulem,
terruisti eos ore, tonuisti clamore,
addidisti preces:
expugnasses præfractos animos hostium,
nisi obstrepuissent loquenti tubæ, ac litui.
interritus ex alta murorum specula
spectasti barbarorum agmina;
non perstrinxit aciem fulgor armorum.
dignior fuisti murali corona
vltimus, ac solus ascendens patriæ muros,
quàm si ascendisses primus hostiles.
sed victima litari oportuit tua,
vt prodigio nobilem faceres aram:
apud illam enim soliti luere periuri pœnas.
nimirum, quia vel cæde tibi proposita
cadenti patriæ seruaueras fidem,
meritò vltor euasisti perfidiæ.

IX.

IX. Kal. Iunij 24 *Maii*,

SS. DONATIANVS, ET ROGATIAN. Martyres.

Synop. *Donatianus auctor fuit Rogatiano fratri, vt martyrium constanter subiret. opponitur Romulo, qui fratri fraudi fuit. Cum nollent Iouem, & Apollinem colere, in equuleo torti sunt, & lancea transfixi.*

ENCOMION 167.

Nullum potuisti, Donatiane, largiri
magnificentius munus Rogatiano fratri,
quàm vt amorem pectori eius insereres tuum:
consuluisti fraternæ vitæ,
cum consilium subeundæ dedisti mortis:
erubuit Roma sui memor auctoris,
cum vidit par fratrum generoso spiritu nexum,
vnum hoc verentium, ne obtingeret regnum vni.
alter olim comparauit alteri necem,
at nunc in nece constantiam:
Iussi estis colere Deos gemini geminos.
Iouem summum Regum, Apollinem siderum;
sed eripuisti huic radios, illi coronam.
amisit Apollo facem, Iuppiter fulmen.
in equulei catasta fuistis ambo altè suspensi,
vt attingeretis veræ gloriæ culmen.
celsiore vos loco eminere visi,
quàm suis in aris Dij.
pro magno accepistis munere — *Homerus.*
lanceam infixam corpori. — δουρὶ
habet Religio bellatrix doryclytos suos; — *Lancea.* κλυτὸς
habet & bina sidera simul lucentia, — *Nobilis.*
auspicatiora, quàm prisca, nautis:
non enim estis alterna redempti morte,
sed æterna sociati vita.

VIII. Kal. Iunij

25 Maij. **S. VRBANVS.**

Pont. Max. M.

Synop. *Ab Imperatore Seuero iussus est occidi. vetuit templorum donaria in profanos transferri vsus, quæ oblata fuerant ad expianda scelera, vel pauperum vsum. Cæciliam Christo sponsam dedicauit, atque sacrauit.*

ENCOMION. 168.

Ob insignem tuam in orbem terræ pietatem,
ipsa te educasse videbatur vrbanitas,
sed incidisti Vrbanus Pontifex in Seuerum Cęsarem,
huius tu securibus infulatum obtulisti caput.
obstupuit lictor in cæde,
penè ipse factus vrbanus,
cum tam comem vidit, sibique parcentem.
Plurimum tibi, vel ob hoc religio debet;
quòd dona piorum fixa delubris
vetuisti refigi;
anathemata tholo suspensa
interdixisti profanis
multum tibi quoque debet inopia,
quòd sacræ dona pecuniæ
patrimonium esse dixisti pauperum;
aurum proprium fecisti pallentium;
pretia reorum votiua
non nisi piacula esse iussisti,
solutura eos pœnis, non soluenda alijs;
desijt pietas esse vectigal.
Quin etiam tuis Cæcilia virgo auspicijs
sponsum homini præposuit Deum;
scilicet illa argumentosi operis artifex
Apis meritò dicta,
quia exosa Cupidinis facem obsitam fumo.

VII.

VII. Kal. Iunii 26 *Maij*.

S. ELEVTHERIVS Pont. Max. M.

Synop. *Ab hoc Lucius Rex Britannorum petijt religionis præcones. Britannia in trigoni formam quasi sanctæ Triadi sacranda, consideratur. sub Commodo Imperatore summa cum animi constantia necatus est.*

ENCOMION 169.

Ornasti, Eleutheri, religionis Capitolium primus
Britannici regni spolijs.
Accepisti legatos Lucij Regis
verum lumen à te Sole poscentis.
nempe cœpit ea regio solui tenebris,
quę longissimo gaudet die.
Triumphauit tunc gaudio Roma *Plinius.*
sine pugnæ labore victrix.
vidit submitti sibi regios vltro fasces,
cedere diademata infulis;
Britannos toto orbe diuisos,
alterum penè orbem coniungi vrbi.
intellectum est faustum religionis omen;
formatam videlicet à natura insulam in trigonum;
quæ foret Triados diuinitate sacranda.
misisti, qui Britannicum emetirentur Oceanum
refertum vnionibus,
sed maiores perscrutarentur opes:
viluit ille Iulij Cæsaris thorax *Plinius.*
Britannicis margaritis diues,
ideò minus venustus, quia dicatus Veneri.
At tu clauum religionis tractans,
inoffenso velificatus esses cursu,
nisi, (contra nominis auspicium)
vnus incommodasset, at frustra, Commodus Cæsar.

26 Maij.

VI. Kal. Iunij.

S. PHILIPPVS NERIVS.

Institutor Congr. Or.

Synop. *Penditur nominis interpretatio. Æstu amoris ei diruptæ sunt costæ. Ignatium sibi familiarem exsplendescentem vidit. Sacerdotem alio habitu agnouit ex charactere speciestellæ, quæ in fronte relucebat.*

ENCOMION 170

Quàm splendido laudandus hic ore, quàm feruido!
siquidem Philippi nomen os lampadum sonat.
Oratorij cœtus auctor instar oraculi fuit:
in flammas abijt os, sed in vndas oculi;
Nereum diceres, nisi Nereides odisset salaces:
multa in eo admirari licet, hoc maximè,
quòd effractis vixerit costis, integer vitæ.
Cum fornace dirupta, spiramenta sunt data,
tunc ignis maiore vi intus exarsit.
cum aedificium per latera discissa labem fecit;
tunc Amor, & firmius mansit, & purius fulsit.
per dirutos muros, vt in Olympijs soliti,
hieronices Amor sese intulit cordi.
seueris legibus se arctè constrinxerat,
sed hospitale Deo cor amplè laxauit.
Primus parens cum costæ iacturam fecit,
factus est vxorius:
at hic, cum fractæ sunt costæ, factus est castior;
meritò ille spinas recepit, hic lilia.
Idem Ignatium Loiolam radiato vultu vidit,
nimirum os lampadum, os igneum vidit.
Agnouit, & ignotum Flaminem indicio stellæ,
quæ pro sacro charactere micabat ex fronte.
mira, & lucis cognitio, & cum luce cognatio.
sed quid ni stella agnoscetur à Sole?

S. Hieron. ex Hebr. דלפד

VI.

VI.Kal.Iunii. 27 *Maii.*

S. IOANNES
Pont. Max. M.

Synop. *Equus, cui hic insederas, alios deinceps excussit. Confertur cum Alexandri bucephalo. ipse à Theodorico Arriano Rege necatus est; qui post mortem in Liparensi flamma meritò conflagrare visus est.*

ENCOMION 171.

Domuisti, heros maxime, Theodoricum Regem
Gentis immanitate barbarum;
domuisti & gentis Arianæ perfidiam;
sed vnum potius ex domito fecisti indomitum;
commodatum videlicet, cui insederas, equum.
refractarius est heræ factus, & calcitro.
scilicet, vt cœpit pondere maiestatis premi,
excussit fœminam leuem.
mira generositas equi,
qui alium non agnouit dominum, nisi orbis terræ;
ab illo se passus est temperari frænis,
qui moderator esset populorum.
visus esset hic equus gloria par bucephalo;
nisi illi Magnus insedisset, huic Maximus.
consternatus equus, vt ille, vmbra non est,
quia in luce positus tua;
quippe & cassos luminae sanasti oculos;
tale Bizantino Cæsari venienti obuiam
præbuisti dignum spectaculum visu,
cæcum videntem.
At Theodorico impio pro luce reseruasti ignem:
visus est parricida inter te, & Symmachum cæsos,
in Liparenses proijci flammas:
nempe par sceleris magnitudini rogus
non est iuuentus, nisi mons igneus.

V. Kal. Iunij

28 Maii.

S. GERMANVS

Episc. Parisiensis.

Synop. *Cum mater eum nascentem impiè præfocare conaretur, non potuit. Coegit Kakodæmones fateri insidias, quas tenderent. eosdem exegit delincto ab obsessis suo nomine. Curauit morbos solo vestis suæ filo.*

ENCOMION 172.

Indictus ire nec debes, Germane, nec potes,
qui tot habes laudatorum linguas, quot prodigia,
primum victoriæ campum nactus es vterum,
cum ipsa matre luctatus, peiore quàm nouerca;
furore animi conata est scintillam extinguere,
ne prodiret in lucem,
orienti tibi se opposuit abortiendo,
incubuit in se ipsam, vt præfocaret te pondere,
quem venenata non læserant pocula;
atqui tu vim vi fregisti nondum vir;
inter parentem pugna fuit, & viscera,
at victoria cessit tibi,
obluctatus es illi, restitisti piè,
cauisti enim, ne mater fieret impietatis rea.
facilius tibi fuit adulto certare cum Inferis;
coegisti salutis hostes fateri
quas tibi tetenderant non semel insidias.
noctis æternæ incolis dixisti diem,
ad tuum citasti tribunal iudex;
terruisti supercilio antequam multa;
nondum interrogati exposuere crimina
suspensi per aerem, ne se tegere possent.
nondum sententiam tuleras voce,
cum eiulatu sua gemebant incendia
ijdem sui lictores, & rei.

cur-

currebant illi ad subsellia iure damnandi;
tu pontificio designabas lituo
carceris locum.
ibi hærebant, quasi affixo vestigio clauis.
nemini ducum tanta barbarorum obtigit strages,
quanta tibi Stygiorum hostium.
cadebant ante pedes triumphatoris abiecta
superba pridem Erebi monstra,
hæc muta, illa clamantia;
illa fixa, hæc lubrica.
vnum ex ijs infaustæ speciei alitis
obtriuisti tuorum fastu debito pedum;
mira res. versus est repente totus hostis in sanguinem;
sæuus ille cum esset in nocẽdo, dũ se sanguineũ fingit,
reus apud te verè factus est sanguinis.
sed creuit hostis aut liuor, aut dolor,
cum te homini beneficum vidit, & mitem;
non nisi morbis imperabas seuerè,
vsus non voce, sed nutu;
immò subscripto solo litteris nomine.
nam si æger lingua nomen detergeret tuum,
statim salus descendebat in viscera.
cessit in ambrosiam nomen, *ἀ privat. βροτὸς Mortalis.*
quia quos pauit, penè reddidit immortales.
atramenti nota cuncta vicit vnguenta.
de atro charactere delingi potuit vita.
dignus es, quem calamus immortaliter laudet,
qui ceteros calamo vetuisti mori.
quin etiam vnico tunicæ tuæ filo
explicare potuisti ægros labyrintho morbi;
inaudita vis: fimbrijs laceris
redintegrasti robur.
prodigus in vita donanda, attonitas iussisti Parcas
ad filum tuum retexere statim suum.

III. Kal. Iunij

S. FELIX

Pont. Max. 30 *Maii.*

Synop. *Encomion hoc penè totum allegoricum est, in quo religio quasi nauis describitur, quæ Felice gubernatore, felicem, ac secundum tenuerit cursum, procellis omnibus, ac tempestatibus facilè superatis.*

ENCOMION 155.

Religionis tenente te clauum,
non potuit cursus esse non felix.
depressos habuisti fluctus,
sola in te se extulit virtus.
cum esses maiestate nulli secundus
obsecundantes nactus es ventos:
aspirarunt ad nutum auræ,
sed inflarunt vela, non animum.
intumescere desijt mare,
vbi tu cursum inijsti, tumoris ignarus.
Afflare certè debuit Felici velificanti ipsa felicitas.
At aduersaria, quæ prorupit impietas,
à te, tanquam fluctus à saxo, resilijt;
suo illa sese impetu fregit.
Nunquam laxiore fuisti animo,
quàm cum in procellis vela contraheres;
tibi nauis tantæ magistro
didicerunt venti parere,
dedidicit æquor irasci.
cautus fuisti, ne in cautes nauis incideret.
iecisti anchoram rudentium moderator haud rudis.
statim ac consedisti in puppi,
sub te subsidit Oceanus.
admirabilem reddunt te, & clauus, & claues;
illo maria moderaris, his Cœlum.

FASTI

veterum Romanorum, atque Græcorum collati cum nostris.



IVNIVS.



IVnius mensis in tutela Mercurij fuit; apud nos autem in eius tutela, qui Mercurius ab ipsis Deorum cultoribus ob singularem sapientiam Lystris est habitus, hoc est *Pauli*, qui in hunc mensem incidit. Adde *Basilium*, & religione, & doctrina magnum. Iunium nonnulli dictum putant à Iuuentute; nobis certè ipsis Kal. statim occurrit *Iuuentius* incredibili robore in perferendis pœnis, ac semper vigens; alij à Iunone, quæ tamen vnà cum Ioue à nostris è regno, ac diuinitatis arce deiecta est: alij à Iunio Bruto libertatis auctore: sed hæc & ipsius *Basilij* vera laus est, & aliorum, qui Romanam religionem penè seru tute obsessam, vel periculo, vel etiam nece explicuerunt sua. Hecatombæus ab Atheniensibus dictus hic mensis est, siuè quòd plurimis sacrificijs litari soleret, siue quòd Soli, qui Hecatombæus item appellabatur, sacra fierent multa. Apud nos quidē, & victimæ hoc mense quamplurimæ sponte se pro religione deuouerunt, & illustres omni genere lau is heroes memorantur. *Rosin.* *Act. Apostol.* *Gyral.*

1\. *Iunij.* Kal Iunij. Nobilitatus est hic dies Romæ triumphis duobus, quorum alterum C. Marcus Rutilius Cos. de Priuernatibus, alterum Q. Cæcilius Metellus Creticus de Creta Insula reportarunt. Atqui apud nos triumpharunt, & plures, & illustrius, sed in primis † *Pamphilus* virtute, doctrinaq; clarissimus. Carnæ in Cœlio monte sacra fiebant. putabatur hæc Dea præesse humanis visceribus, cordi maximè, cuius dusi- *Golzius.* *Liuius.* 396 691

briextinctus est. † *Liphardi* verò triumphalem currum domiti dracones traxere. Habent & mulieres triumphum suum; quid enim illo nobilius, quem † *Crotildis* regina de viro ipso Clodoueo rege retulit? cum eum renitentem, & obluctantem antea, vi verborum admirabili religioni Romanæ subiecit: his autem victricibus laureis accedit semper virens *Oliua* virgo.

Pridie Nonas Iunii. Nihil hic dies nisi bellicum, & martiale habuit: nam & Herculi ædes dedicata in Circo; & Bellonæ templum, ac sacra decreta, Appio Claudio vetante fœdus iniri cum Pyrrho: sed Herculi † *Quirinus* Martyr opponitur, cui satius fuit cum molari saxo ingenti demergi, quàm fuit Herculi stellis, ac cœli mole grauari: prodigiosè enim hic *Quirinus* euasit, saxo fluctibus supernatante; at Hercules, si quis fuit in Stygis est ima demersus. *Aretius* verò, *Decianus*, ac reliqui tum maximè acres bellatores visi, cum bellum indixere Diis, ipsisq; Bellonæ. Denique, vt hic dies omni ex parte splendorem habeat, venit in societatem laudum *Rutilus* martyr. 4 *Iunii.*

Nonis Iunii. Dius fidius Sabinorum Deus, quem iurantes testari solebant, in Colle Quirinali cultus; itemque Iuppiter Spontor dictus, cuius templum à Tarquinio superbo extructum erat. At verò Imperatori Deo præstitere fidem nostri tanquam sacramento quodam obstricti; nec ille, quòd spopondit stipendium gloriæ, tribuere distulit. Hoc ipso die Thebani de Lacedæmoniis insigni illa victoria Leuctricæ pugnæ potiti sunt. res acta est duce Epaminonda, qui cum prolcaret, iactabat tamen, se pulcherrimam peperisse filiam Leuctricam pugnam. Epaminondæ virtuti opponitur auspicatior illa nostrorum ducum, siue *Nicanoris* ad victoriæ, siue *Faustini* ad felicitatis omen, siue *Florentii* ad gloriæ decus. Nec minus roboris ostensum est in † *Bonifacio* præsule Moguntino, qui peruicaces Frisones religioni subiecit, Germanorum meritò dictus Apostolus; Germanicus dici potuit; sed hic titulus illustrior. Illa verò vis animi, quam prætulit *Sancius*, admirabilis planè fuit, & quia in adolescente, & quia inter regias aulæ delicias educato; qui non dubitauit, se inter Arabum tela pro religione constanter immittere. 5 *Iunii.* *Kal. vet.* *Plutarc.* *Diodor.*

VIII. Idus Iunii. Vestæ templum apertum Romæ. Apud Græcos in Macedonia insignis habebatur hic dies Philippi 6 *Iunii.*

regis

communi hoste liberarunt, abundè suffecto, vel sacri sermonis cibo, vel pane illo arcano diuinitùs dato, quo etiam tanquam iaculo in hostem immisso sũt vsi. Fuerunt hoc item die Romæ Nudipedalia matron rum ad Vestæ templum. addunt nonnulli, & Quinquatria Mineruæ sacra. sed siue Vestæ, siue Mineruæ apud nos *Calliope* succedit, cui meritò à pulchritud ne nomen, quam re ipsa sibi conciliauit suo vel lacte, vel sanguine, mammis videlicet abscissis. est quidem hic Mensis sacratus Musis, nam semel, atq; iterũ sacra i s fieri solita, vti mox dicemus; non debuit igitur carere religio *Calliope* sua; quæ vel ex hoc visa est vna Musarum, quòd sirenes, hoc est illecebras vicerit. præuenit igitur antiquitatem in *Calliopes* cultu religio. At verò in Græcia Thesea celebrabantur. commun s hæc gratulatio erat de Thesei reditu Athenas post interfectos latrones, qui infesti regionibus grassabantur. Apud nos cùm *Seuerinus*, tùm † *Medaraus*, & *Gildardus* antistites in eo curam omnem posuerunt, vt perditos mores suorum omnino abolerent. Denique nobilis illa victoria Iunii Bruti de Gallæcis, quæ in huc incidit diem, inobscurata est ipso nomine *Victorini*, qui *Seuerini* fuit, vt natura, ita p etate germanus. *Ouid.* *Plutar.* *Ouidius.*

V. Idus Iunij. Seru. Tullius Rex à Tarquinio genero miserè occisus luctum peperit Romæ veteri. At † *Feliciani, Primiq*; cædes, quia beatæ vitæ fuit initium, attulit gaudium nouæ. nempè ab hoste ipso præside, cui nomen Promoto erat, ad celsum illum gradum gloriæ promoueri visi sunt. Congruit cum *Feliciano Vincentius*, vt omni ex parte sit perfecta victoria. nec deest ad felicitatis auspicium eximio candore *Columbus* è Scoti. 9 *Iunij* *Theatr. v.b.*

IV. Idus Iunii. Multis nominibus celebris hic fuit dies. Dicata ædes Concordiæ, ac Fortis Fortunæ, cuius simulacrum collocatum erat prope signũ Seru Tullii regis toga contectũ, siue quòd puderet, conditione seruum euasisse in regem, beneficium tamen ille Fortunæ Fortis agnosceret, siue alia de caussa: dem dies fortunatus est habitus insigni triumpho. T. Didii Proconsf. de Celtiberis. sed & Fortuna ipsa non sine infortunio fuit, eius ceterorumq; Deorum simulacris, arisq; deiectis. omnis autem illa fortitudo, ac robur Romanæ gentis transit in nostros, vt in *Getulũ & Amantium*, strenuissimos duces; quorum alter de Licinio Cæsare, alter de Ario 10 *Iunij* *Gyral.* 660 *Liuius.*

trium-

derunt nostri, *Lucianus* inter ceteros, & *Fortunatus*; qui ei extorserunt quodammodo fulmen è manibus; victricem verò aquilam illi eripuit *Aquilina*; puella vix annos natâ duodecim de Deorum præda nobilis. Quinquatria iterum, sed Minora dicta, celebrabantur in Mineruæ honorem, quibus in ludis tibicines muliebri veste induti per vrbem incedebant; contra apud nos adeò nihil est effœminatum, vt mulieres ipsæ visæ sint viri, animo scilicet, ac virtute virili præditæ, & quasi religionis præconio factæ tibicinæ, cuiusmodi præter *Aquilinam*, *Felicula* fuit, Minerua ipsa virgine præstantior; quippe quæ, & nobilissimi thalami tædas spreuit, & inter ferri aciem strenuè est, cōstáterq; versata. sed Minora Mineruæ Quinquatria maiore cū laude pudoris, & virilis animi occupat † *Antonius* Paduanus, quasi canorus quidā religionis præco. *Varro.*

XVIII. Kal. Iulii. Ater dies Romanis, nobis atrox quidem nostrorum pœnis, sed felici exitu candidus. Buphonia celebrabantur Athenis, ita dicta ab insigni immolatione boum post mysteria; sed illo potiùs sanguine ritè litatum Deo est, quem *Marcianus*, quem *Valerius*, & *Ruffinus*, quem *Felix*, & *Anastasius* cum reliquis profuderunt, verè dictę à victis aduersariis victimæ. Ad hunc item diem quidam referunt insignem illam Persarum stragem, qua Xerxes infinito exercitu cæso, ad Thermopylas victus, & fractus est. Sed maximè insignis illa strages fuit, quam strenuissimus religionis dux † *Basilius* de Ario, ac ceteris hostibus retulit, fracta, debilitataq; perfidia, etiam Valentis Cæsaris. 14 *Iunij* *A.Gel.* *Macrob.* *Plutar.* *Aristoph.* *Thea. v.h.*

XVII. Kal. Iulij Purgabatur Vestæ delubrum, & quicquid inerat sordium, foras extrahębatur. Atqui hoc planè propositum fuit nostris, aras, ac templa superstitione omni expurgare. hoc † *Vitus* cum suis, hoc *Hesichius* etiam moriendo spectarunt. Sed illud maximè opportunè cecidit, quòd hoc ipso die Nicænum Concilium aduersus Arium, ac ceteros perduelles est coactum, in quo religio, quam illi contaminare impiis sententiis ausi erant, repurgaretur. ac Vestalibus quidem virginibus, quia carere sordibus non potuerunt, ideò lustratione illa opus fuit; apud nostros verò nihil inquinamētī est immò, plurimum ornamērorū, quod *Eutropia* in primis ostendit puella, nō minoris constantię laude, quā pudoris. 15 *Iunij* *Ouid.* 324 *Maffeus.*

XVI. Kal. Iulii. Metœcia Athenis celebrabantur, festa in Thesei memoriam instituta, quòd is sparsos antea per 16 *Iunij.*

Hh agros

agros homines in societatem vitæ, atque in vrbis communionem coegisset, Athenis conditis. Nos inuictum, ac superiorem ferro martyrem, nomine *Aureum* memoramus, solitum intra templa, conuocata multitudine, conuentum agere, quamobrem ab irruentibus barbaris vnà cum vniuerso cœtu immaniè trucidatus est. nimirum accessit decus auro purpura sanguinis, effecitque pulchro spectaculo tantæ virtutis, vt Aureus dici posset etiam hic dies; nam & Nero, cum theatrum totum illeuisset auro, ac stellis supernè distinxisset, vt esset miraculo spectatoribus, iussit eum diem appellari Aureum. Persarum classis hoc item die ad Artemisiam superata dicitur, maxima cæde facta; sed maior de Diis à nostris reportata victoria in primis à fortissimis viris *Ferreolo*, & *Ferrutione* hierodulis, qui quòd nomine præsetulerunt omen ferri, ad nobilius genus pugnæ, atque ad animi constantiam retulerunt. ita vnus hic, idemq; dies, quà fortitudine ferreus, quà pretio Aureus denominari iure potest, quem item † *Lutgardis* virgo aureis ornat moribus.

Sueton.

17 Iunii. XV Kal Iulii. Vnus ex Aegyptiacis fuit hic dies, hoc est ex iis, qui numerabantur inter infaustos. at contra faustus fuit Romanis ac lętus ob insignem victoriam Romani exercitus, qua Posthumio duce aduersus Volscos, & Aequos potitus est; sed longè ante cedit illa, qua ducenti, & sexaginta duo pro religione strenuissimè pugnantes Diocletiani Cæsaris fregere sæuitiam. Adde *Montanum* eadem celsitudine animi, qua nominis, qui Hadriano Cæsari restitit; præter eos, qui neque Maximiani, neq. Iuliani gladium reformidarunt. quamobrem congruenter ipsis se, & *Nicander*, & *Felix* adiungunt: numquam enim à bellatoribus nostris, aut victoria se abiungit, aut felicitas. Accedit ad huius diei splendorem augendum † *Auitus*, quem, cum ederetur in lucem, admirabili prodigio prodidit lucidus globus.

200 Liuius.

18 Iunii. XIV Kal Iulii. Natalis celebrabatur Iouis Hammonis, cuius, vt aliorum quoq; priscorum Deorum, penè ipsa extincta sunt nomina: adeò ex natali emortualis dici iam potest Iouis dies: non ita nostrorum, licet acerba mors, quæ vetustate maturescit, non senescit; quarè natalis iure censetur, ac dicitur; † *Marcelliani* in primis, ac *Marci* fratrum. At *Aethereo* nihil aduersarii facere commodius potuerunt, quàm cum eum in ignem iniecerunt, quia visus est æther in sua sphæra splen-

splendescere, ac prodere, quam continet, flammam. Annæ item Perennæ, quam de Romana plebe optimè fuisse meritā dicebant, sacra Romæ fiebant; sed eius cultum occupauit *Paula* in primis virgo, cui religio ob fusum pro se sanguinem debet plurimū, & cuius virtus famę celebritate verè perēnat. *Kal. vet.*

XIII. Kal. Iulij. In Auentino monte operabantur armatæ Palladi: auspicium id erat belli benè gerendi. Sed strenuissimè pugnarunt sine hac, immò aduersus hanc, ac ceteros Deos *Geruasius*, atque *Protasius*; extorserunt è manibus vibrantem hastam; expoliarunt illam ęgide, quam etiam virtutis laudem adepti *Vrsinus*, *Zosimus*, & *Bonifacius*. At † *Romualdo* nemus pro campo fuit, vt de Erebo victor in promptu haberet laureas. 19 *Iunii.* *Ouid.*

XII. Kal. Iulii Summano Romæ templum positum ad Circum maximum, exterrita vrbe bello contra Pyrrhum. ita dictus est Pluto, quasi summus Manium, quem tamen minimi fecere, vt & deos ceteros, *Cyriacus*, & *Paulus*. Vis eius numinis in metu erat posita: atqui apud nostros nullus terrori locus indictum est à Cæsaribus religioni bellum, collata sunt signa, inter aciem ferri positi sunt; at non modò eos non incessit metus, sed ipsi potius simulacris, totique Erebo fuere terrori; *Siluerius* Pontifex summus, & tanquam in religionis castris Imperator; *Macarius* item dux inuictus aduersus Arianos intrepidè decertarunt. atque vt horum gloria etiam quandam quasi venustatem, & gratiam haberet, in hunc ipsum diem incidit *Florentia* virginis grata memoria. 20 *Iunii.* *Kal. vet.* *rutilat Virgo.*

XI. Kal. Iulij. Herculi sacer fuit hic dies; quo item die fortitudo bellica laudem habuit. naualem enim triumphum de Illyrijs Cn. Fulu. Centimalus Proconf. duxit. sanè si robur inuictum nostrorum spectassent Veteres, de Herculis stirpe prognatos dixissent; *Rufinum* in primis, & *Apollinarem*, & *Cyriacum*; præcipuè verò antistites illos, *Eusebium*, ac *Terentium*, quorum laureæ nullis sunt conferendę triumphis; adde † *Albanum*, qui vt cum insignibus triumphare posset, cruore trabeam purpuream fecit suo. Quamquam huiusmodi vis maior, quàm Herculea, extitit, & in fœminis ipsis, vt in *Demetria*; in qua virilis quidam viguit pudor. quin etiam nomina ipsa sunt roboris; & *Martinus* enim memoratur, & *Martia*. Cum his autem potissimum heroibus, & heroinis sociare se voluit generosæ indolis noster adolescens ex *Ignatii* ca- 21 *Iunii* *Kal. vet.* *desic Astrum.* 525 *Gelzius*

ſtris *Aloiſius* Gonzaga: nempè nihil in ipſo non martiale, non illuſtre victorijs. in multis, & magnis exercitus eſt pugnis, præter inteſtinum, quo penè caruit, bellum. ad eundem diem vnà cum Hercule conuenire voluit, vt ſuperatis ceteris monſtris, in primis hydra, Herculem ipſum ſuperaret gloria, quod certè fecit, vel conſtantia, vel pudore: vtraque ille re deſtitutus eſt, cum lanam ſumpſit, & colum. In triumphalem etiam hunc incidit *Aloiſius* diem, vt Cn. Fuluii triumpho opponeret ſuum, quem ipſe tot, tamq; opimis ſpolijs nobilem tulit, quot, & quantos aceruos opum ſubiecit pedibus non deerat domeſtica trabeæ purpura, ſed cum eſſet inſigni candore, flagris ſe purpuratum etiam fecit; nam iccirco ſociari voluit cum *Albano*, qui candorē imbuit ſanguine. tractauit quidē ſe, Aloiſius, vt equum admoto calcari, ſed vt triumphalē equū, in quo neſcias, vtrum magis admirere, frænumnè, an calcar. nō opus illi, vt ceteris, frẹno in vitæ licentia, ſed in ſeueritate fuit: nunquam calcitro, niſi cum calcauit faſtum: vnus docuit rem miram, effrænes motus ſiſtendos eſſe calcari. equum ſe fecit, qui nunquam adhinnijt ad illecebram. quàm multos hic equus reddidit Olympionicas? quos ſcilicet ſuo prouexit exemplo. nullus tamen collectus eſt puluis, quia ſublimis à terra viſus, & potius volare, quàm currere; meritò euectus tam citò penè ad Indigetum cultum inter aras, ac ſacra.

22 *Iunii.* 324 *Scotus,* X. Kal. Iulij. Abſorbet omnem veterum laudem id, quod apud nos eſt actum: quippe in Nicæno antiſtitum conſeſſu vera religio confirmata, & ſtabilita eſt. candido planè lapillo dignus, qui conſignetur, dies, ac propterea opportunè factum, vt alteri ab heſterno *Albano* ſit ſacer; quamquam conciliatum eſt etiam huic decus ſanguine. & ſanè par erat, eum diem, quo religio quodammodo ſtabilita eſt, firmiterq; fundata, plurimum pro eius defenſione ſanguinis fundi. hinc ille tam ingens in hunc diem confluxit Martyrum numerus. nā, præter ceteros, in monte Aratho decem millia cruci affixorum; ſub Coſdroe vero rege Perſarum mille, & quingenti, qui ſe deuouerint, receaſentur. quem diem tot laureis ornatum, lætiſſimum quoque reddit † *Paulinus* Nolanus præſul reditu ſuorum, erepto de barbari regis manu flagro, ac libertate reſtituta.

23 *Iunii.* **IX. Kal. Iulij Infauſtus hic, & infelix dies Romanis eſt habitus, ob miſeram cladē exercitus duce Flaminio ad Thraſyme-**

symenum facum ab Annibale penè deleti: At nobis non potest esse non felix, memoria videlicet *Felicis*, qui, vt se tanto faceret nomini parem, subijt necem: ex atro item hunc diem fecit illustrem *Ioannes* tunc, cum iussus à Iuliano venerari Solem, occidere maluit ipse diris suppliciis, quàm supplicare orienti. sed occasu suo attulit religioni lucem. addidit etiam magnum huic diei ornatum † *Ealtrudis* Regina, cum purpuræ suæ virginitatis byssum intexuit. *Liuius.*

VIII. Kal. Iulij. Auspicatissimus Romanis dies, atq; lætissimus fuit. Templum dedicatum Forti Fortunæ.. serui feriati Fortunę ipsi grates agebant ob Tullium ex seruo Regem.. discurrebant naues coronatæ per Tyberim. Hoc item die ad cumulum voluptatum Hasdrubal Carthaginiensis à Romanis interfectus est. nec tamen ista cum ea lætitia conferenda, qua non modò Romam, sed orbem terræ, affecit † *Ioannes Baptista* natalis. scilicet commune ipse tripudium, antequam editus, indicauit suo. Sed quid ni Faustitas ipsa hunc sibi diem vendicet, quem consecrauit sanguine inter ceteros martyr *Faustus* nomine? at verò & Fortunæ Fortis nomen, & fortitudinem Romanorum in Carthaginiensi exercitu delendo inobscurauit nostrorum virtus, quorum etiam in nominibus fortitudinis omen fuit, *Firmi* videlicet, atque *Firmini*; immò, ne vetustas se de heroica ætate iactaret, etiam *Herois*. nêpè illis nihil fuit optatius, quàm cum hoc Heroum maximo, & constantissimo iungi. 24 *Iunij.* *Kal. vet.* *Liuius.*

VII. Kal. Iulij. Hunc diem fecit faustum non tam antiquitatis memoria, quàm † *Prosperi* Aquitani Rhegiensis antistitis: q aduersus Pelagiû potissimû decertauit. scilicet velificatus est ipse in Pelago pspere, cauitq; nè ceteri offenderêt in illius scopulos, atque in Syrtes incurrerent. *Gallicanus* item vir consularis ornamento huic diei est, non tam ob fasces, ac secures magnificè prælatas, quàm ob toleranter, constâterque perlatas. accedit *Adalbertus* ex regum Britannorum stirpe; & *Gulielmus* parens & auctor eorum, qui se in montis Parthenij specum abdiderunt. nec tamen ab illius vmbraculis abhorret *Lucia*. 25 *Iunij*

VI. Kal. Iulij. Iterum Regisfugium Romæ celebratum, ob exactos reges, ac Tarquinij fugam, libertate iam parta; quo die Iulianus impius Cæsar ingenti prælio à Persis superatus, ac non modò expulsus è regno, sed è viuis. nempe dedit hic 26 *Iunij.* *Kal. vet.* *Hist. trip.*

pœnas † *Ioanni*, ac *Paulo*, quos hoc ipso die religionis causa sa gladio cædi iusserat. Atque vt horum, ceterorumq; qui pro illa occubuerunt, gloriam constet stabilem fore, ac sempiternam, commodè accedit ad fastos *Perseuranda* virgo. *Vigilij* quoque præsulis memoria est, qui Eutychianæ impietatis, & tenebras discussit, & somnia.

27 *Iunij* *Kal. vet.* V. Kal. Iulij. Dicatus erat hic dies Laribus, sed præcipuè Ioui statori, quem à sistendo, vel stando dictum putant; quod quàm alienum esset à vero, ostendit *Anectus* vir sanctissimus, qui ante Iouis, aliorumq; Deorum simulacra ductus, vt coleret, nulla vi adhibita, solo nutu statim ea de ara deiecit, ac suopte impetu fracta, & comminuta sunt. stetit *Anectus* ipse firmus, & constans, stare illa, atque consistere non est passus. quid igitur aptius fieri potuit, quàm vt in eundem diem incideret, & Iuppiter stator, & Iuppiter stratus? contra nunc *Ladislai* Regis Vngariæ memoria est, qui non alia re magis stabiliri posse regnum est ratus, quàm religione, ac numinis cultu. at verò Laribus domesticis opponitur, † *Samson*, qui pauperum exceptor est dictus; hi domum ornare sunt visi, non Lares.

28 *Iunij.* IV. Kal. Iulij. Ater dies Romanis olim, at nobis illustris potius, ob martyres videlicet duos nomine *Serenos*, quam vultus serenitatem maximè præsetulerunt inter pœnarum procellas, ac turbines. Operabantur veteres Fauno, Deo scilicet capripedi; at nos † *Leoni* hierarchæ sanctissimo. Ad hunc diem nonnulli referunt Alexandri Macedonis, & Diogenis Cynici obitus: immò & alterius Alexandri Mamınæ filij à militibus interfecti. Sed *Irenaus*, & vtrumque Alexandrum virtute superauit, religionis causa strenuè occumbens;

Kal. vet. *Theat. v. b.* & Diogenem sapientia, opposuitque elegantissima scripta Cynicis sordibus. At verò Athenis Panathenæa magna celebrabantur. agon erat is gymnicus à Theseo institutus in Mineruæ honorem, cuius peplum ritè ferebant in pompa. athletæ committebantur, à quo spectaculo mulieres arcebant, præter Cereris Sacerdotes, & vnam magni animi, ac felicitatis inauditæ matronam Pherenicem, quæ et mater, & filia, & soror esset Olympionicarum. Saltatio quoque Pyrrhica ab armatis dabatur, cum chorea puellari in orbem circumducta, vel in obliquum

Proci. deflexa; sed preclarior, quàm in Panathenęis spectacula

dat

dat religio, exhibens quasdam quasi choreas, inter arma, atq. pœnas, tripudiantium, *Rhaidis*, *Marcella*, ac *Potamiena* præsertim virginis non in vno agone spectatæ.

II. Kal. Iulij. Hunc diem Quirino, idest Romulo dedicatum fuisse nonnulli scribunt, quamquam alij hesternum; excitatum, dedicatumq. templum esse conditori Vrbis. Opportunè igitur, ac satis piè Roma diem hunc † *Petro*, ac *Paulo* dedicauit veris conditoribus, ac religionis auctoribus, qui suo ipsam sanguine consecrarunt, contra quàm Quirinus egit, qui potius fraterno fœdauit. Illud quoque opportunè factum, vt *Petrus* primò sepultus in Vaticano sit iuxta viam, quam triumphalem appellabant, *Paulus* in Ostiensi: nimirum, vt omnes veterum Ducum triumphos, ac laureas obrueret, ac tumularet triumphalis *Petri* cinis; *Paulus* verò in Ostiensi via omnium gentium excitaret fidem; hoc enim spectasse dicitur Ancus Martius, cum vrbem illam in Ostijs Tyberinis condidit, vt videlicet in ipso maris; fluminisq. confinio totius terrarum orbis opes illo veluti maritimo Romanæ Ciuitatis hospitio reciperentur. Non est omittendum, hunc diem ab Hebræis celebrari solitum memoria admirabilis illius visi, quod Ezechieli vati apud Chobar fluuium obiectum est, cum triumphantis Dei currum, & occultas illas contemplatus est rotas. at verò quid de *Paulo* dicemus? qui admissus ad diuinitatis arcana, & ad tertium vsq. Cœlum euectus cęlestes orbes stellis quasi oculis distinctos infra se vidit. Inflixit hic item dies Iudæis dolorem, quòd à Babylonis rege Hierosolymam oppugnatam meminissent, sed maior inflictus dolor, cum *Paulus* ipsis ereptus ad nos transfugit. Deniq. lætum nobis hunc diē, ac faustum fecit olim Tyrus amplissima vrbs, à Christianis, quàm ab Alexandro, felicius oppugnata; nempe, vt religio ex vrbe Tyro acciperet purpuras, quibus religionis principes inauguraret.

29 Iunÿ Lal. uet.

Th. v.

Pridie Kal. Iulij. Herculis, & Musarum delubrum erectum Romæ, quasi virtuti coniungeretur sapientia. Oppositus nūc est aptè Herculi † *Martialis* præsul, qui lituo Pontificio pro claua in edomandis vitiorum monstris vsus est maiore cum laude; quamquam hic, præter lituum, senili baculo vsus dicitur, quo multò perniciosiora monstra confecit, quàm Hercules claua. nam præter cetera prodigia; quidam, quem Stygii hostes Aethiopū mentiti vultum immaniter præfocauerant

30 Iunÿ kal. vet.

rant

rant, eius bacilli contactu reuocatus ad vitam est. Hunc multi putant fuisse puerum illum, qui paucos panes, ac pisces in deserto loco suffecit auctori Naturæ, qua mirante, post tot hominum millium expletam famem, analecta ciborum superfuerunt multa: deinde in Gallias profectus, Angelorum duodecim quasi satellitium habuisse dicitur, vt mirum non sit, labores Herculeos ab ipso, & numero, & gloria superatos. nullum genus fuit morbi, qui, non dicam huius dexteræ, sed nutui restiterit; nulla superstitio, quæ profligata non sit. ab eo primùm Tolosenses, Burdegalenses, Gadurcenses, Aquitani, omnes denique populi à Rhodano ad Oceanum vsq. pertingentes Christiana religione imbuti sunt. Porrò *Martiali* congruenter addimus *Leonem* hierodulum insigni robore animi; quo religio magis incedit ornata, quàm Nemeæi leonis spolio Hercules. At verò Musis iam mutis *Aemiliana* martyr succedit, cedentibus lyris præconio fidei. Ac ne huic, ceterisque deesset obstetrix gloriæ, accessit *Lucina*.



Kal.

Kal. Iunij

S. PAMPHILVS

Martyr. 1 Iunii.

Synop. *Insigni doctrina vir fuit. Ab Vrbano præfecto dirum in modum excruciatus est nouacula. Sed ille in magnas postea ærumnas incidit, irato alias ob causas Maximino, cui vt placeret, religionem insectabatur.*

ENCOMION 176.

Admirata est omnis Græcia, Pamphile,
tui acumen ingenij,
sed magis est admirata constantiam,
qua subijsti acumen ferri.
sapientiam regio inaugurasti throno,
cum eam induisti purpura,
hòc pretiosiore, quòd sanguine tincta est tuo.
nouaculas contrà te armauit impietas,
vt antiquaret pietatem,
sed pulchritudinem conciliauit arte;
nam renouata virtus vetustati commendauit gloriam;
nihil barbaro tàm fuit nouum,
quàm tua in nouaculæ cruciatu lætitia.
Pamphilus es meritò dictus, πᾶν Omne
quia communis fuit omnium in te amor; φίλος
solum nactus es inimicum, & barbarum, Amicus.
immemorem sui nominis, Vrbanum iudicem;
sed tantum ille piaculum breui
suo eluit sanguine,
post tuam necem, è subsellijs est in carcerem raptus;
omnibus miserè nudatus insignibus,
nempe, & ipse nouaculæ supplicium retulit:
Maximinus enim Cæsar, cui in tua nece placuerat,
tandem, & fortunas ei abrasit, & vitam.
accendit in se odiũ, qui te, omniũ amorẽ, extinxerat.

IV. Nonas, Iunii

SS. PETRVS, ET MARCELLINVS
Martyres.

2 Iunii.

Synop. *Exagitati sũt à Sereno iudice, et ab Artemio præfecto, cuius filiã Petrus curarat. vincula, quibus est nexus, spõte soluta sunt. Marcellinus per vitrea fragmẽta tractus est. locus necis Silua Nigræ, nomẽ accepit Candidę.*

ENCOMION 177.

Spreuisti Petre, concitatas in te procellas,
præsertim cum iudici nomen esse audisti, Sereno:
accepisti omen, illusisti Sereni minis.
nullo malorum turbatus es turbine.
nunquam tibi serenior fuit vultus,
quàm cum acer afflauit Aquilo.
quin etiam ritè initiari eo voluisti munere;
quo humana corpora furiis agitata curantur.
ita serenitati reddidisti omnia.
stupuit ipse præfectus Artemius,
cum te grauibus oneratum catenis in carcere,
prodigiosè solutum domi suæ vidit.
stupuit magis, cum filiam Stygio soluisti monstro:
Sortitus es Marcellinum socium gloriæ,
qui nunquam solidior visus, ac firmior,
quàm cum substrato excruciatus est vitro;
hoc tantùm vitreus, quia pellucidus:
inuidit tanto nitori Serenus,
necari iussit in horrida silua,
ob densas arbores cognomento Nigra.
delusus est, nam vocauit posteritas Candidam:
voluisset vocare purpuream,
nobili videlicet cruore perfusam,
sed quia vos ibi cana vendicauit æternitas,
cessit candori purpura.

IV.

IV. Nonas Iunii

S. ERASMVS.

Episc. & Martyr. 2 *Iunii.*

Synop. *Sub Diocletiano plumbatis cæsus, ac fustibus: sulphure, cera, oleoque feruente perfusus. Sub Maximiano item Formiis variè excruciatus est. corpus Caietam honorificè translatum, & conditum.*

ENCOMION. 178.

Non tam dulciter alit Caieta Campanos
Troianæ lacte nutricis,
quàm Erasmi sanguine præsulis.
libenter hic accepit ictum à plumbo,
vt eius pondere stabiliret virtutem;
nullus ad aures sonitus accidit gratior,
quàm crepitantium super se verberum;
pontificiam virgam putauit onerosam,
lictoriam leuem.
Nunquam virtus fama fragrauit suauius,
quàm cum hic delibutus est sulphure.
qui indoluit, cum oleo inunctus est præsul,
is lætatus est, cum oleo perfusus est feruido;
nisi quòd efferuescere hoc mirè desijt,
ne noceret innocenti;
tantùm strenuum declarauit pugilem;
celebrior hoc facta est oleo Campania,
quàm, quo diffluere dicebatur, vnguento. *vide adag.*
Ad hæc igne liquatam pertulit ceram,
non minus impunè, quàm hilariter:
hoc vnum habuit à cera,
quòd lætus expressit inde dulcedinem mellis;
Vt formosior appareret ex vulnere,
carnificinam nactus est Formijs, *Horatius.*
sed Formiano vino dulcior prælatus est cruor.

III. *Nonas Iunii.*

S. CROTILDIS

3 Iunii. Regina Francorum.

Synop. *Eius monitis, & hortatu Clodoueus vir, vnà cum sibi subiectis, religionem Christianam amplexus est; cum ceteri, qui praecesserant Francorum Reges, idololatriam Ethnicorum more secuti essent.*

ENCOMION 179.

Clodoueus primus ex Francorũ Regibus purpuratis
religionis factus est candidatus:
dux fœmina facti.
opposita hæc fuit primigeniæ coniugi,
quia consilium viro dedit ineundæ vitæ,
nempe familiaris hæc Stygio angui non fuit.
miserum nunc non esset hominum genus,
si talem auctor fuisset coniugem nactus.
nuptiales faces consecutus non esset
mortalium cinis,
nec thalamum tumulus.
Quàm splendidæ huius tori fuere tædæ!
vnde oborta tanta lux est Clodouei menti,
tantus inustus pietatis ardor:
quàm auspicata coniugii vincula!
quæ virum superstitione soluerunt.
eodem illa annulo voluit obsignare,
& coniugalem fidem, & Romanam.
non tam felix, quòd peperit viro
filios Reges,
quàm quòd peperit ipsi viro salutem;
cum sacris ille initiatus est aquis,
humor Gallicis suffectus est liliis;
sed quò germinare pulchrius, & felicius possent,
addidit Crotildis, dum virum hortatur, lacrymas suas.

III.

III. Nonas Iunii

S. LIPHARDVS

Abbas.

3 Iunii.

Sinop. *In Aureliano monte diù vixit. baculo draconem domuit; quo extincto auditi sunt* KaKodæmones *per totam viciniam eius regionis vlulare, & conqueri, quòd à Liphardo per summum dedecus eiicerentur.*

ENCOMION 180.

Sublimis tua te, Liphardé, virtus,
in Aureliani montis extulit culmen:
nempe humiles despicienti terras
cum Cœlo cognatio fuit.
inter aspera latuisti virgulta,
sed nihil habuisti asperius, quàm te tibi.
vsus es senili virga pro claua;
hac infestum regioni domuisti Draconem;
obtendisti fatalem igneis oculis virgam:
nondum verberatus ingemuit stridens,
conatus est fixam humi reuellere,
at stetit illa quasi nixa radicum fibris;
conuoluit se virgæ ingentibus spiris Draco,
caduceum visus est facere,
sed nulla tu pacis ficta voluisti fœdera,
obliquos spirarum auersatus es orbes,
imaginem scilicet fraudis, ac doli.
extulerat iam se Draco implicitus virgæ altiùs,
cum repentè mole corporis immensa se obruit,
crepuit extinctus, ac iacuit.
auditi sunt circùm vlulantes ad casum Manes,
sui hostis nomen iterauere cum gemitu.
inauditam, Liphardé, sortitus es laudem,
quia victoriam per te procul ab arbitris partam
hostis ipse propalauit præco.

Pri

Pridie Nonas Iunii

S. QVIRINVS

Martyr,

4 Iunii.

Synop. *Præfertur Quirino veteri, id est Romulo. Ferrum, & ignem perpessus est. Deinde cum saxo deiectus in flumen, diù supernatauit: sed vt martyrii cupidus, impetrauit à Deo precibus, vt demum mergeretur.*

ENCOMION 181

Dedidicit Roma Quirini veteris nomen,
admirata virtutem noui.
Inter tela emicuit ipso ære splendidiùs,
inter incendia, ipsa flamma.
cum fluuij proiectus esset in gurgitem,
hoc tantùm egit vnda, quòd abluit.
nihil refert, vtrùm sanguine sit tinctus, an flumine.
æquè gloria vtrinque se fundit.
molaris, qui collo suspensus est lapis
supra fluctus illum suspendit leuem;
pondus sustinuit non ipse, sed amnis.
mirum. ne naufragus esset, scopulum secum tulit:
prodigium cessit etiam in spectaculum.
mirantur eminùs è ripæ margine populi
inter aquas verba fundentem;
muti siluerunt fluctus,
ne dicenti obstreperent murmure.
inter mobiles, & refluentes aquas
constantis heros animi
habuit de fidei firmitate sermonem.
sed pium sustinentis amnis officium
& voto necis officiebat, & gloriæ.
tandem extorsit precibus ab amne sæuitiam:
nouum voti genus: impetrauit lacrymarum flumine;
ne sibi parceret flumen.

No-

Nonis Iunii

S. BONIFACIVS

Episc. Mogunt. 19 *Iunii.*

Synop. *Dictus est hic ab historicis alter Phosphorus. varias regiones religione imbuit; Iouis arborem excidit. multa millia hominũ sacro fonte abluit. Hæreses, & superstitiones Ethnicorum proprias insectatus est acriter.*

ENCOMION

Dictus es, Bonifaci, merità inter astra Lucifer; *Auctor histor.*
tametsi nihil fuit tibi commune cum Venere,
præter sideris iubar.
lustrasti curriculo lucis
Turingiam, Frisiam, Hassiam,
impietatis nocte discussa.
mira vis tua: armasti securi manum,
vt superstitiosam excinderes Iouis arborem;
quamquam penè tu victima concidisti,
nam te barbarorum obiecisti securibus,
sed noluisti cadere, ne victima videreris Iouis:
excisa quercus à te viridi fronde
materiem quernæ tuæ suffecit coronæ.
qui pontificias recusabas infulas
factus es Dux religionis in castris.
superasti prærupta non semel Alpium iuga,
vbique impium scrutatus hostem.
te victore, martiali te duce,
centum millia mortalium ritè initiata
triumphanti subdidere se Romæ.
At perduelles insectatus es signis infestis;
Ermouelpum anathematis percussisti fulmine.
prisca quoque se tibi omnis subiecit Hetruria;
euanuit eius aruspicina, siluere oscines,
cessit auguralis lituus pontificio.

VIII.

VIII. Idus Iunii

S. NORBERTVS

6 Iunii. Episc. & auctor Ord. Præm.

Synop. *Præuisus est matri diuinitùs. Præmonstratensium ordinem instituit. agnina pelle tectus lupos fugabat. eorum vnum custodem adhibuit gregi. restitit Petro Leoni. non est læsus ferro. mortuus in florem abire visus.*

ENCOMION 182.

Habuit de hoc mater oraculum nondum nato,
præmonstrari videlicet vaticinio debuit
futurus Præmonstratensium parens,
vaticinaturus etiam ipse multa.
Inter aulæ purpuras est aliquando versatus,
sed muricis fastum auersatus erubuit.
Indutus est melote, pastor videlicet futurus populi,
multò sibi hac veste est visus ornatior,
quàm leonis spolio.
mira res; agnina pelle contectus
lupis in primis terrori fuit;
eius audito vel nomine reliquerunt prædam.
sed illud penè superauit fidem,
quòd lupum iussit vigilando tueri gregem;
Cic. in Ant. nactus est verè, quod simulatè dixit Arpinas orator,
præclarum custodem ouium, lupum.
quid mirum? quando Petrum ipsum Leonem
impiè Romana culta vastantem
percussit anathematis telo.
Stygij quoque leonis ex vnguibus
non semel eripuit prædam,
icto eius humero, vt ab adamante resilijt ferrum;
tam fortis humerus Cœlo aptior sustinendo fuit.
demum visus est ab obitu mirè in lilium verti,
ne febris æstu exaruisse videretur, effloruit.

VII.

VII. Idus Iunii

S. ROBERTVS
Abbas

VII. Iunii.

Synop. *Insignis pietate vir fuit. Ka Kodæmonem sibi insidiantem iussit more famuli subsequi se equitantem per coenosum locum. post mortem visus est ignei, ac lucidi globi specie pulcherrima in coelum tendere.*

ENCOMION 184.

Non tàm se diuitem est arbitrata Britannia
piscoso margaritis Oceano,
quàm tuis, Roberte, lacrymis.
mirata planè est, te tam mollem in fletus
vni tibi tam durum;
sed perfregisti tuæ vitæ duritie
præfractam communis hostis audaciam;
eius vafritiam detexisti, & fraudes,
immò repetijsti ab ipso etiam pœnas.
ex eo agmine vnum insidias tendentem saluti
fecisti tibi vile mancipium;
siquidem tuo ille coactus imperio
te equitantem subsecutus est pedes,
iussus post te currere per oblitam cœno viam.
assuetus alios fœdare consilijs,
se ipsum fœdauit inuitus.
nunquam antea satelles Ditis visus est turpior.
institit vestigijs mitis equi
indomitum, ac refractarium Erebi monstrum.
denique fraudis reum mulctasti exilio.
sed expalluerunt magis solito impij Manes,
cum ipsos excruciasti moriens igni altero.
quippè verti visus es in igneum globum.
mirum, quòd, qui fuisti in te ipsum tam rigidus viuens,
non obriguisti moriens.

VI Idus Iunii

8 Iunii.

S. MEDARDVS

Episc. Nouiom.

Synop. *In imbri ambulantem alis texit aquila. Pontificatum ægrè suscepit. Cæcos sanauit. Furem detexit, qui taurum sustulerat, abdito colli crepitaculo; quod tamen vel intactum resonare non destitit, arguens furem.*

ENCOMION. 185.

Mira sortitus est hic felicitatis auspicia.
puero inambulanti sub pluuio cœlo
aquila passis alias defendit caput;
Pierius. nisi quòd clariorem illum suo fecit vmbraculo.
desiijt Roma iactare auspicia Cæsarum;
Tarquinij, & Diadumeni siluit aquilas.
pileum illæ detraxere capiti,
hæc pro pileo integumentum fecit alas.
Non tamen aspirauit Medardus ad infulas regias,
qui conatus fuerat abdicare se pontificijs.
sed feretro mortui submisere capita Reges.
Acrem hic diuinitati fixit obtutum,
præstitit & ipse cæcis aciem visus.
hoc tantùm videri poterat congruum minùs,
quòd illi aquila auspicium dederit,
quià præda honoris abstinuit,
& qui prædones miris insecutus est pœnis.
quippe tauri raptorem prodidit, non eius mugitu,
sed eo, quod de collo sublatum fuerat, crepitaculo:
vbique hoc prodigiosè sonitum reddebat intactum;
furis aures antea ferire non destitit,
quàm et redditus est hero taurus,
& æs ipsi tauro sonorum.
meritò tam mirum instrumenti ærei sonum
Fama resonans ærea celebrauit tuba.

V.

V. Idus Iunii

SS. PRIMVS, ET FELICIANVS Martyres.

9. Iunii

Synop. *Iouis, & Herculis simulacra spreuerunt. Primus acutis clauis, & plumbo excruciatus est. Felicianus igni adustus, ambo autem virgis acerrimè cæsi, & bestiis obiecti sunt, sed irrito conatu.*

ENCOMION 186.

Nulli heroum sunt felicitate secundi
Felicianus, & Primus.
Iussi sunt duo totidem venerari Deos,
Iouem, & Herculem.
vicerunt hos ambos non arma ferendo, sed vulnera:
alter in ligno confixus clauis
nunquam generosior visus, quia sic firmior.
accepit liquatum ore plumbum,
sed nobilis fidei testis lingua
sermone manauit aureo,
Gallici famam superauit Alcidæ.
Alter admotis lateri frustra ignibus,
numen irrisit Oethæo combustum rogo.
dementis putauit illi thura incendere,
quem in ignem coniecerat furor insanum.
impius in vtrumque sęuijt verberibus lictor;
sed virgæ cesserunt in sceptra,
cum sceptrigerum spreuerunt Iouem.
Africana quoque monstra sunt domita,
nam in ipsos immissa blandè linxerunt pedes,
spectaculo fuit lenocinans leo
nulla domitus claua.
nihil est ab his illustrius factum,
quàm quòd Hercules monstrorum domitor vetus
inter monstra cœpit haberi recens.

IV. Idus Iunij

19 Iunii. S. MARGARITA

Regina Scotiæ.

Synop. *Studium præcipuum huius fuit, ornare aras, ac templa; regium cultum, & mundi muliebris decus ipse ipsa neglexit. solita erat, magna cum significatione pietatis, manu sua pauperum pedes abluere.*

ENCOMION 187.

Dignam hæc Margaritæ appellatione se fecit,
cum studuit aras ornare, non aulam.
nihil ipsa de regni præsetulit fastu,
alteri regia cessit insignia,
eius quippe vice incessit regina Religio;
exuit se purpura, vt hanc indueret.
illuminandæ augustali coronæ
vnus suffecit vnio, ipsamet, quæ eam gestabat:
Ara donarijs piorum Cæsarum fulgens
nihil ditius, aut pulchrius habuit,
quàm supplicem Margaritam;
Inter suas ipsas splenduit opes, & vicit:
stupuit Natura miraculo,
cum vnam fundi margaritam vidit in plures,
quotquot videlicet ex oculis manabant lacrymæ.
parum hoc; abiecit se ad humiliora regina:
manus illas nobiles sceptris
pedibus admouit pauperum,
famulis quoque manibus associauit oculos,
& concham se pariter, & Margaritam fecit,
plus lacrymarum in abluendo, quàm aquarum fudit.
Plutar. vidit Scotia maius spectaculum de sua,
Plinius. quàm olim Aegyptus de Canopi regina;
nempe vidit pretiosissimam colliquescere margaritam
in vilium pedum decus.

III.

III. Idus Iunii.

S. BARNABAS

Apoſtolus. 11 *Iunii.*

Synop. *Tanti fuit etiã apud Ethnicos, vt ipſum Iouem putarint, ſacrificiis etiam oblatis, ſed reclamauit vnà cum Paulo, quem Mercurium exiſtimabant. Demum pro vera religione conſtantiſſimè cecidit.*

ENCOMION 188.

O tuum admirandum, Barnaba, decus, *Acta*
qui haberi te Iouem putaſti dedecus. *Apoſt.*
quippe Pauli ſapientiam admirati, Mercurium;
oris maieſtatem tui, credidere te Iouem.
occurrerunt hierophantæ Lyſtris inſigni cum pompa
obtulerunt ritè tibi, vt principi numini,
maximam taurum victimam.
poteras manu rubente geſtare fulmen,
miniſtram præferre aquilam,
triumphales exceptare ſinu laureas,
Dialem habere flaminem,
denique ille haberi, ille,
qui ſumma Cœli templa ſonitu concutit, *Ex Ennio.*
ſed occurriſti clamore plaudentibus,
execranda tua ratus es ſacra:
Titanius maluiſti haberi, quàm Iuppiter,
Dijs infenſus, maximè Ioui.
nempe philoſophatus es ſapientius multò,
quàm Empedocles, qui ſe conjecit in Aetnam,
vt non inuentus, abiiſſe putaretur ad Deos;
tu contra, ne ſummus habereris Deorum,
palàm deflagraſti pudore;
arſiſti ira, ne arderent tibi aræ.
Immò ne ille videreris, qui turpiter pluit auro,
imbrem ſanguinis pulchrè fudiſti ferro:

Pri.

Pridie Idus Iunii

12 Iunij. SS. BASILIDES, ET SOCII Martyres.

Synop. *Ferreis scorpiis excarnificatus est. cum in carcerem coniectus esset vnà cum sociis, statim cęlesti luce carcer effulsit, custode ad religionem suscipiendam commoto. post necem obiectus est bestiis, sed minimè tactus.*

ENCOMION 189.

Verita est, ne mitis haberetur impietas,
nisi inter innumera monstra pœnarum
ferreos etiam acueret scorpios.
ipsa Natura barbaro exhorruit monstro,
obliquante ferro immanes ad necem chelas.
at non eblandita fuerunt per caudam vulnera;
quicquid hîc fuit, sęuities fuit.
sed supplicium cessit in decus.
leue visum est de Cæsare conceptum votum,
vt ardens scorpius brachia porrigeret sua,
vt iusta Cœli plus parte relinqueret.
nam hi potius, planetarum instar principis,
tanquam per signiferum excurrere per pœnas,
impunè transiere per scorpium
fundentem non venena, sed lucem.
quin etiam is, qui eos vinctos excepit, carcer
pulsis tenebris repente refulsit.
miratus est custos inter reorum vincula
Solem splendere captiuum;
concepit & ipse verum animo lumen,
inuida solùm calıgauit impietas,
quę inhumata reliquit à cæde corpora;
sed feræ abstinuerunt à præda.
egere mitiùs belluæ veræ,
quàm scorpij ficti.

Virg. Geor. de Cæsare.

Pri

Pridie Idus Iunii

S. ONVPHRIVS Eremita. 12 Iunij.

Synop. *Sexaginta annis ignotus delituit intra specum, aspero semper, & horrido cultu, sed ab Angelo nutritus. Tandem eius mortem Angeli ipsi symphoniaci prosecuti sunt suauissimo cantu, sollemnique pompa.*

ENCOMION 190.

Expiasti, Onuphri, admirabili tuæ pietate nemora,
fabulosis inquinata monstris,
Faunis, Silenis, Satyris, Panibus
semicapris, sed ex toto salacibus.
Induisti artus virentibus arborum folijs,
cupidus videlicet producendi virtutum fructus.
Fecisti, vt siluę pro feris, & semiferis,
incolas haberent Cœlites.
Cœlestem nactus es alitem non modò socium,
sed nutricium, & ministrum.
renouasti antiqua nemorum decora,
cum Vates pascebatur in specu diuinitùs, Elias.
nisi quòd ille semel à candido pastus est alite,
ceteris vicibus niger ministrauit coruus:
at tu perpetuo vsus es ministerio Cœlitum,
quia cum ipsis versabatur pura mens iugiter.
quin etiam morienti suauissimo adfuere cum cantu,
specus in odèum cessit,
nouum alitum genus canere cœpit in siluis;
desierunt ibi tunc (opinor) rugire leones,
dedidicerunt ceteræ quoque sęuire belluæ,
tam dulci, tam melico Cœlitum mitigatæ cantu.
conatus es semper in omnibus asperitatem sequi,
sed vnum assequi non potuisti ex votis,
vt etiam mors careret delitijs.

Idi-

Idus Iunij

13 Iunij.

S. ANTONIVS Paduanus.

Synop. *Ita dictus quia Patauij diù degit. Ad pietatem prodigia addidit; obiecta diuina dape famelico iumēto, & hoc illam venerante. quendā, qui reprehensus ab ipso ob calcem impactum patri, sibi pedes praeciderat, statim sanauit.*

ENCOMION 191.

Habet Italia suum, vt Aegyptus, Antonium,
nisi quòd ille inter virgulta nemorum tectus
hic in vrbium theatro versatus;
ille sub vmbra pugnauit, hic prodijt in Solem.
fregit hostem armatus prodigij claua.
Negantem Numen latere dape sub sacra,
iumenti magisterio mirè peruicit,
in escaria lance proposuit Deum,
vt haberet momentum non leue librata fides.
grande spectaculum. rursus agnitus à iumentis Deus;
renasci visus, vt pareret fidem.
dossuarium animal ceteris oneribus firmum
succubuit maiestatis insolito ponderi.
sed ita ille communis parentis imperauit obsequium,
vt quemque iuberet parenti obsequi suo.
filio, qui genitori impium impegerat calcem,
sententiam pronunciauit minis plenam;
dixit, pedem, quo impulerat patrem,
dignum, quem à ceteris repelleret membris;
nefas esse imprimi terrae matri
vestigia patri impia.
perculit statim verbo minaci filium;
factus est ille sui lictor, & carnifex.
habita est crudelis pietas, sed piè curata prodigio,
nam cruor ipse cessit in gluten.

XIII.

XVIII. Kal. Iulij 14 *Iunii.*

S. BASILIVS.

Episc. Cæsarien.

Synop. *Commendatur eius admirabilis sapientia; restitit in primis Valenti Imperatori Ariano; cui decretum exilij aduersus illum scribere conanti calamus non paruit; eidem filius conualuit hoc præsente, perijt Ariano.*

ENCOMION. 190.

Regium tuum, Basili, nomen, & Magnum
vilia, & minora fecit
vetera omnia ornamenta Græciæ. *Ren.*
opposuisti sapientiæ clypeum telis hostium,
exarmasti Arium audacia;
vacuum Martis nomen euanuit.
indixit ille inauspicatò diuinitati bellum;
extorsit filio paternum è manibus sceptrum,
abiecit eum infra solium;
sed cum sobolem fecit minorem,
non aduertit sibi luctam esse cum Magno;
qui faceret, vt ipse haberetur minimi.
cum Valente quoque Imperatore congressus,
fecisti, vt Valens se fateretur inualidum;
quippe impium de exilio scripturo sententiam,
insignis imperij clauo dextera
intremuit subito horrore contracta,
hebetatum sensit, & calami telum.
parère hic nulla vi voluit sceptrigeræ manui;
dedidicit calamus leuitatem,
hinc primùm didicit esse firmus, & cõstans;
nunquam tantum consecutus est decus
quàm cum de regia proiectus est manu;
non eum celebrassent ceteri calami literis,
nisi fuisset illiteratus;

Noluit ſtylus acui in vſum teli;
noluit reddere edicti notas,
ne notam incurreret paricidij.
inutilis videri voluit,
vt religionis vtilitati ſeruiret.
noluit atramento videri atrox;
nempe labi hoc è crena non poterat ſine labe;
exhorruit paricidales exarare literas,
ne ſulci pro fluuij riuo
exciperent innocentis ſanguinem.
quia non exarabat ad iaciendam vitæ ſementem,
ſed ad perdendam,
ideò abſtinuit à faciendis eiuſmodi ſulcis,
quibus iactura tam frugiferi fieret viri.
ſenſit hoſtem inuidere tibi gloriæ meſſem:
ſcilicet edicto tam immani, tam impio
debebatur litura, non literæ;
ita impedimento calamitati calamus fuit.
ſed nondum prodigiorum finis;
de ſpe vitæ deiectus Valentis filius
te præſente conualuit;
at quem robur animi tui fecit firmum,
eum Ariani hominis præſentia perdidit;
medicinam videlicet ab hoſte petierat,
elegerat medicum, qui hoc profitebatur vnum;
propinare venena;
ægrum ab eo voluit refici,
à quo non poterat niſi infici:
meritò Valens filium hæredem amiſit imper
qui Dei filio hæreditarium eripuerat decus
æqueuæ diuinitatis.
expertus eſt mortis ſecures in prole ſua,
qui paterni regni denegauerat faſces
proli diuinæ.

XVII.

XVII. Kal. Iunij

S. VITVS

15 Iunij

Martyr.

Synop. *In catasta excruciatus est constantissimus adolescent. frustra petitus ad leonem. liquato plumbo non læsus. cùm ante Iouis simulacrum ductus esset, tonitru, ac terræmotu euersum est fanum, & obrutum simulacrum.*

ENCOMION 199.

In aljenas, adolescens generose, migrasti terras
quæsiturus vbique laureas.
abierunt in blandimenta pœnæ.
stetisti coram Diocletiano, solio altior, ob constantiā,
purpurato Cæsare pulchrior, ob pudorem.
viluit frontis augustæ vittata maiestas,
viluit omnis imperij fastus.
Collocatus ad supplicium in sublimi catasta,
infra te positum despexisti tyrannum.
nempe celsiore te loco proposuit virtus,
admirandum tui datura spectaculum.
domuisti iubatum in amphitheatro leonem,
maior Alcide, onerasti humeros penè pueriles
ingenti belluæ Libycæ spolio.
at cùm liquatum es demersus in plumbum,
tunc maximè visus es puer aureus;
hebes tibi visus est ipse lictor, & plumbeus;
scilicet obtusa spreuisti tela carnificum;
nunquam tu in irridēdis Dijs acutior, quàm in plūbo.
quin etiam tibi flamma ipsa picea fuit illustris;
tibi quoque in strage, quam edidisti, Deorum
Natura sua præstitit arma.
quippe tonantem oppressit subito tonitru Iouem,
corruit horribili terræmotu fanum.
propter te vnum intrepidum trepidauere omnia.

16 Iunii.

XVI. Kalend. Iunij

S. LVTGARDIS

Virgo.

Synop. *Hausit hæc è crucifixi Christi latere cruorem: deinceps eius saliua & morbos sanabat, & KaKodæmonem absterrebat. timebat hic locum ipsum, vbi illa preces ad Deum piè fundere solebat.*

ENCOMION 192.

Lutgarde Virgine nihil suauius fuit piis,
nihil amarius impijs.
posteaquam ei datum est de magni Vindicis latere
cruorem haurire diuinum,
ex eius ore manare cœpit nō tàm saliua, quàm nectar;
cuius aspergine curabantur ægri;
sapor mellis, virtus panchresti fuit;
sed eadem venenum Stygiis erat hostibus.
Sed omnia utilia. ausa est puella in vnius ex ijs faciem,
qui secum fraude agebat, inspuere.
impudentissimum licèt monstrum erubuit primò,
mox expalluit animositatis prodigio;
nempe nullus Virgini locus visus est vilior,
præter faciem teterrimi hostis;
abstersit hic saliuam, sed factus est fœdior,
quia paricidalem turpibus genis admouit manum.
saliuamnè illa ore iecit, an fulmen?
siquidem visa non semel est multis,
cùm Deum alloqueretur sponsum, ore flammeo;
formidauit hostis locum ipsum, vbi fundebat preces,
non minus quàm ferrum candens, aut rogum.
veritus est ad eam quasi aram accedere,
Proteruia genus sacrificij. ne impius in piacularem cederet victimam,
ictus securi Virginis,
metuit, ne de proteruo hoste faceret hęc proteruiam.

XV.

XV. *Kalend. Iulij* 17. *Iunii*

S. AVITVS

Presb. Aurel.

Synop. *Cùm primùm natus est, luce perfusa domus exsplenduit. cæcis postea oculorum lumen dedit. intra specum se abdidit, sed cùm virtus latere non posset, magna hominum celebritate honestatus est.*

ENCOMION 193.

Visus est hic oriens certare cùm Sole,
natalem sortitus illustrem.
fert fama, dum infans ederetur ex vtero,
subitò irradiasse lumen insolitum;
obstetricem splendore perstrictam
retro vertisse vestigia.
nemo tam propriè prodire est dictus in lucem.
si prisco natus esset hic seculo,
dixisset Græcia, in tam lucido infantis ortu
non aliam obstetricem præsto fuisse,
quàm Lucinam;
sed veriùs eum Virtus vlnis excepit suis;
cinctus est radijs antequam fascijs,
nec fuit illud euanidum cometæ sidus,
breui fulgore conspicuum,
sed Sol videri potuit alter,
nisi quòd ille obtuenti adimit visum,
hic ademptum reddidit.
Naturæ quoque attulit decus informi;
scilicet ab ortu cæci, eius ope debuere curari,
qui suo in ortu effuderat lumen.
nequicquam se inter vmbras abdidit nemorum;
vt splendorem fugeret honoris, ac nominis.
mox inuentus, fecit specus frequentius foro.
nunquam clarius luxit, quàm cùm se condidit luco,

XIV.

XIV. Kalend. Iulij

18 *Iunii.*

SS. MARCVS, ET MARCELLINVS Martyres.

Synop. *Conati sunt parentes, & cognati eos à religione deducere, sed frustra. in vincula conіecti, & clauis acutis confixi, constantissimè & suorum lacrymis, & tyranni furori restiterunt. demum lancea confossi.*

ENCOMION 194

Carcer vobis amplissimum cessit in campum;
pugnastis pari robore, si minùs ætate.
cùm fuistis Nicostrato primiscrinio traditi,
Noua victoria
accepistis omen vel victoriæ, vel custodiæ,
quamquam digna fuerunt acta victorum,
quæ non gemmato Darij scrinio tempus,
sed sinu suo custodiret æternitas.
pugnatum est primò toto impetu belli
non ferro, sed lacrymis
parentum, coniugum, ac natorum.
Val. Max.
ipse olim dux Coriolanus cessit his telis:
scilicet inter æneas tubas ea vox insonuit mollis,
vicisti patria, vicisti.
sed exarmastis vos mirè naturam.
leuiora fuerunt postea, quæ barbarus furor,
quàm quæ amor pila mouit hostilis;
cùm alligati fuistis ad stipitem
irrisistis lictorios funes,
superatis videlicet iam adamantinis nodis.
confixi sunt clauis acutis pedes,
sed doloris caruere sensu,
quia impunè calcarant acriores amoris aculeos.
lancea carnificum, quæ transuerberauit latera,
obtusior vobis est visa,
post retusum telum, quod Amor intorserat cordi.

XIII

XIII. Kalend. Iulij 19 Iunii.

SS. GERVASIVS, ET PROTASIVS Martyres.

Synop. *Parentibus nati Martyribus, patrimonium largiti sunt egenis, & ad martyrium profecti. Geruasius plumbatis caesus; Protasius securi percussus. diu post integri inuenti, & ab Ambrosio honorificè reconditi.*

ENCOMION 195.

Nemini hęreditas obtigit tam opulēta, quàm vobis;
hoc est patrimonium sanguinis.
Vitali, & Valeria parentibus estis editi,
qui pro religione se ante deuouerant.
hoc maximum fuit nobilitatis decus,
nasci de purpuratis, & fieri purpureum.
prodigi fuistis opum antequam sanguinis,
vt & inopiæ consuleretis, & vobis.
accepto lætissimo nuncio necis,
asseruistis rem mancipi omnem;
libera fecistis seruitia:
iniecturi manus vestras in vincula.
fecistis vindictas alijs virga prætoria,
subituri ipsi lictoriam.
alter contusus immaniter plumbo
visus est sibi leuior multò,
quàm cùm incederet grauis auro.
alter ceruicibus fractis
ornauit lauro triumphali securim.
sed dilata est pompa, vt esset illustrior.
latuistis in tumulo diù;
inuenti tandem non modò vultu penè spiranti,
sed odorem quoque mirè spirantes.
meritò fragrantiæ tantæ suauitas
vni, qui vos recondidit, reseruata fuit Ambrosio.

XII

XII. *Kalend. Iulij*

20 *Iunii.*

S. SILVERIVS

Pont. Max. M.

Synop. *Theodora Augusta Ariana iussu in exilium, Belisario id agente, pulsus est, obijtque inter incommoda; post quod paricidium ille in multas calamitates meritò incidit, ac bellicæ gloriæ fructum amisit.*

ENCOMION 196.

Exhorrescit animus, & excandescit facto:
impiæ Theodoræ iussu
ter maximus heros spoliatus est vita.
desijt illa esse Augusta,
cùm augustissimum sacrorum perdidit Regem:
nihil Sol vidit indignius,
quàm exutum summi honoris insignibus,
inuolutum vili lacerna Siluerium
vi repelli Vaticanis ab aris,
exulare non ciuem Mundi, sed dominum.
scilicet ei est interdictum igni,
qui metuendum impijs gestat fulmen;
ei est interdictum aqua,
cui maria submittunt fluctus,
magno videlicet gubernatori nauis.
eiectus est in Pontiam Insulam Pontifex;
sed perculit maiestate vel barbaros;
immanes terruit ea fronte, qua Manes.
captiuus licèt, & ima temperauit, & summa.
defleisti, Roma, Geticas inter procellas
tuum, amisso gubernatore, naufragium;
sed is, qui hunc alta deiecit è puppi,
corruit è statu miserè Belisarius.
ita qui fuerat impius in cōmunē parentē terrarū orbis
versatilem rerum humanarum expertus est orbitam,

XI.

XI. Kal. Iulij 21 Iunii

S. ALBANVS

Martyr.

Synop. *Cùm duceretur ad mortem, & populus piè impediret iter, quod fiebat per pontem, ipse auidus martyrii sub illo per fluuium mirè sibi transitum fecit. alteri lictorum mens mutata, alteri pertinaci oculi exciderunt.*

ENCOMION 199.

Nihil tam fuit in votis Albano,
quàm vt fieret purpureus
non hostili cruore, sed suo.
cùm pro religione deuouisset caput,
pontem, quà transitus erat ad necem,
occupauerat populi pietas;
aut subductura eum neci, aut moras certè factura;
sed (mira virtus) communi omnium amori obstitit
vnius morientis atrox animus.
piè exarmata est miro prodigio vrbis pietas.
nam vbi ille pontis interclusum aditum vidit,
per subiectum sibi fluuium iter aperuit.
magno liberæ vocis imperio
aquas retrogredi iussit;
cucurrit ad mortē nō oculis modò, sed pedibus siccis,
vnum exoptans, vt citò madesceret sanguine.
obstupuit lictor, tela proiecit,
nec mora; idem, quod tulerat ferrum,
cruore constanter tinxit suo.
at qui successit impio muneri lictor,
horribiles luit pœnas;
quippe vnà cum sectis Albani ceruicibus
ambo eius oculi defluxerunt in terram.
ita qui vicarius paricidij tela sumpsit abiecta,
meruit, vt vnoculo Cyclope fieret turpior.

22 Iunii

X. Kal. Iulij

S. PAVLINVS

Episc. Nol.

Synop. *Ex Senatore factus antistes, venalem se Barbaris pro filio viduæ tradidit. hortum Regis excoluit, cui in somnis se obtulit minanti similis, ac iubēs captiuos dimittere, quos ipse liberos Nolam reduxit.*

ENCOMION 200.

Desijt Africana monstra mirari.
qui vidit in Africa senatorem purpuratum
non erubescere ad vilem lacernam.
pro captiuo factus est sponte venalis.
quia soluendo non erat, seruitute se obstrinxit.
quia redimere nequibat auro, statuit tractare ferrum.
relicto pontificio lituo, rusticum accepit ligonem.
didicit versare exterā terrā rastris, patrijs pcul à rostris,
gauisa dicitur olim tellus triumphali aratore,
at gauisa est magis pontificali colono.
nihil accidit telluri iucundius, aut præstantius,
quàm viridem fieri Senatoris opera purpurati.
mouit in eius morte tellus, nempe dolore mouit,
quę antea moueri eius ligone gaudebat.
sed nihil Paulino detraxit de dignitate seruitus;
immò rusticus eius ligo regium terruit sceptrum.
adumbratus tantùm per visum perculit oraculo Regē.
inter iudices ex colono iam prætor Paulinus
noctu dixit reo diem.
eripuit à manu flagrum, vapulaturo ni cederet,
dolituro funis ictum, ni solueret fune vinctos.
cùm victor liberos reuocauit in patriam ciues,
inuidit Roma Nolæ triumphalē nouo more pompam,
in qua captiui proiecerant vincula.
mira fides. soluerat ferro ligatos ferreus ligo.

IX. Kal. Iulii

S. EDILTRVDIS

Regina Anglorum.

Synop. *Regio fastu posthabito se parthenone clausit. obedientia maximè insignis fuit, & sui contemptu; post mortem diù integro corpore mansit, nullo vestigio vlceris, quo viuens vexata fuerat.* 23 *Iunij*

ENCOMION 201.

Dedidicit aula inaniter regijs seruire auribus;
cùm vidit Ediltrudis reginæ aures,
pridem vnionibus graues,
seruire antistitæ vel leuibus iussis:
mutauit hæc regiam cum gynecèo virginum;
maluit subditis parère, quàm Reges parere;
maluit religiosis vincire se nodis,
quàm vittatam habere frontem diadematis fascia;
nobilius putauit, alienis viuere legibus, quàm suis.
nunquam pudor visus est pulchrior,
quàm cum purpura contentus sua,
se exuit regia.
Non illa intumuit imperij fastu,
vno tantùm se tumore iactauit,
cum vlcere collum tumidum fecit morbus;
torquem hunc putauit insignem gemmarum bullis.
Diù postea inuiolata mansit in tumulo
mors illam penè reliquit intactam,
quia nec à viro voluerat tangi;
vix experta est ferream mortis falcem,
quæ piè proiecerat aureum regni sceptrum.
Sed illud inauditum planè prodigium;
vlcus, quod fuerat specillo apertum viuenti,
inuentum est clausum, atque curatum mortuæ.
stupuit Natura, manus Mortis medicas videns.

VIII. Kal. Iulii.

24 Iunij S. IO. BAPTISTA
recens natus.

Synop. *Prodigiosus eius conceptus, atque ortus commendatur. infoecunda mater, mutus pater, filius in vtero exiliens, iterum vocalis pater, ac cetera eius infantiæ decora, & inusitata prodigia exprimuntur.*

ENCOMION 202.

Vox oritur obstetrix vocis.
dum tacita latuit, tacitum fecit patrem;
suspiciendus hic antequam posset aspici.
dictus est in templo à Superis Magnus,
antequam inter suos domi reperet paruus.
dici parum de Magno non potest;
silere de Voce non licet.
cœpit ante numerare prodigia,
quàm prodigiosè membra moueret ad numeros.
non didicerat ambulare, cùm salijt;
pro orchestrà maternum habuit vterum;
saltatorium versauit orbem,
nondum in orbem editus terræ.
implicuit choreas, Naturæ implicitus vinclis.
intra viscera tripudium fecit matri
quasi de sterilitate victrici;
in altum assilijt, vt indicaret,
desilijsse de Superis Deum.
& hæc res digna tripudio,
quia vteri plagis irretitus, & maculis,
antiquum vulnus mox effugit, & labem.
penè digito tetigit Deum,
antequam pedibus terram.
penè ante diuinum, quàm humanum hausit spiritum;
ante cœpit viuere Deo, quàm sibi;
fer-

feruens certè,& alacer nuncius,
qui ante geſtijt nuciare, quàm viuere;
dux planè impatiens moræ,
qui ante arripuit arma, quàm membra,
ante vidit aciem campi,
quàm acie oculorum videret Solem;
vt vinceret Erebum, vicit ante Naturam;
vt Deum præiret officio,
ſe ipſum virtute præiuit.
Huius ſplendor, & in Deum gratia iam erat in aperto,
cùm ille ignotus adhuc erat in operto vteri.
inſultauit calcibus in clauſtra Naturæ,
cùm nondum pedibus premere cœpiſſet terram,
cercerem libenter tulit tyrannicum,
ſed ægrè maternum.
Naturæ tranſilijt terminos,
cum nondum inijſſet curſum.
ſub prima elementa virtutis,
modum eſt ſupergreſſus perfectionis humanæ.
ſub ipſa infantiæ rudimenta
ſapientiam ſuperauit anilem Græciæ.
ſub materni cortina vteri,
nondum editus edidit oracula.
nondum communem acceperat aerem,
cùm inflare aggreſſus eſt tubam.
cœpit magni Numinis præco eſſet præcox.
inſertas adhuc viſceribus penè iam conſeruit manus.
mirus ardor in frigido vetulę matris ſanguine.
conatus eſt nodos Naturæ ſoluere,
qui erat fibula legis, & gratiæ:
vt paternæ linguæ citò frangeret vincula,
frangere properauit ſua.
ſtatim vt ſtylus impreſſus eſt ceræ,
quaſi cerea eſt lingua laxata,
dulcis parentis, expreſſus eſt ſermo.

vt ſtylum ille fixit in pagina;
refixit linguam.
ſermone penè præuenit literas,ore calamum;
mira vis pueri,noua vis vocis,
quæ non ſono,ſed ſcripto
facere potuit vocalem.
cùm fœcunda facta eſſet ex ſterili mater;
facundum fecit ex muto patrem.
Germen hoc,quod ex radice euiruit arente,
vt incrementum acciperet gloriȩ, apud aquas degit,
vbi hominis manibus caput auguſtum ſubiecit Deus;
quàm purus hic fuit, qui munditiæ lauit auctorem?
quamquam boni fontem ſi abluit,non eluit.
Gibboſi cameli ipſe indutus eſt ſpolio,
etſi rectus eſſet,& ad ſupera ſemper erectus,
ſ idoneum ſe oſtendit prædæ vectandæ,quam faceret:
milites potiſſimùm ſolitus eſt verbis inſtruere;
nempe eo duce didicit bellicam pati vim Cœlum.
impulit maternum vterum, & exilijt,
vt Dux ocyus proſiliret ad pugnam,
vt impelleret Cœli mœnia;
non deiecturus Superos, more Titanum,
ſed aucturus mortalibus immortales.
Viperinam progeniem appellauit impios,
qui in vtero vicerat perniciofius viperino venenum,
vel hoc maior Hercule,qui iam genitus eliſit anguem.
Abijt deinde penè lactens in ſiluas;
ſed admouere illi mammas auſæ non ſunt lupæ,
inſectaturo videlicet poſtea Herodis lupam;
caſtarum apum melle eſt delectatus in nemore,
ſed amarus fuit,& acerbus inceſtis;
libenter verſatus eſt in ſilua cum apibus,
compuncturus enim ſermone improbos,
habuit vnde acciperet aculeos:
inſectatus eſt more apis impuros.

VII.

VII.Kalend. Iulij 25 *Iunij*

S. PROSPER

Episcop. Reginus.

Synop. *Laudatur eius in pontificatu gubernatio, & ardor animi aduersus Eutychetem, & Pelagium. Gratiam tutatus est & scriptis, & voce. In ingratos elegans carmen edidit. scripsit etiam de contemplatione.*

ENCOMION. 203.

Non potuit Rheginensis nauis,
gubernacula te tractante
cursum tenere non prosperum;
laureatam ad littus appulisti nauim,
strenuè confecto piratico bello.
sed hoc mirum, quòd ideò velificatus es prosperè;
quia Eutychetem substulisti impium,
nomine ornatum bonę Fortunæ, sed falsò.
non ante Zephyrus religioni secundus afflauit,
quàm illi victo nominis Fortuna reflauit.
Pelagio quoque liberiùs concitanti fluctus,
iniecisti frænos,
pro tridente cuspide vsus ingenij.
adoptauit te sibi facundum patronum Gratia;
restituisti regios huic Augustæ fasces,
debitum illi decreuisti triumphum
de animo spontè captiuo,
cecinisti pæana victrici.
Stylum, quo tutatus es Gratiam,
acuisti ętiam in ingratos,
Musis eos insecutus vltricibus.
in Helicone simul, & in Olympo versatus,
de cœlesti contemplatione scripsisti:
nimirum, vt prospero nauigares cursu,
oportuit contemplari sidera.

VI.

VI. Kal. Iulij

SS. IOANNES, ET PAVLVS Martyres.

Synop. *Ambo aulici fuerunt Constantiæ Constantini filiæ; deinde Iuliani Apostatę, à quo iussi Iouem colere, cùm repugnarent, clàm necati, sed eorum mortem in arreptitijs KaKodæmones propalarunt.*

ENCOMION 204.

Didicistis, præter morem, in aula constantiam,
vbi omnia fumus occupat leuis,
sed nimirum Constantini filiæ aulici,
cum Constantia virgine eratis religiosè versati.
opes ab ea relictas effudistis inopiæ,
prodigi alienarum opum, sed vestrarum magis:
maioris hæ pretij fuere, quàm regiæ,
quia sanguinis.
pugnastis cum summa Iuliani perfidia
supra fortitudinis fidem.
nihil vos hominis mouit purpura,
quibus rex Deorum dictus ludibrio fuit.
quippe iussi colere tonantem Iouem,
reclamastis sonantiore tonitruo vocis.
Augustales contempsistis Aquilas,
spreta etiam ea, quæ fulmen gestabat Iouis.
nobilis mors vobis vestro sanguine tinxit purpuram;
at contrà, indutus purpura Cæsar factus est liuidus,
quia triumphali vestræ inuidit laureæ,
clam enim domi vos necari iussit;
sed ipsi, qui corpora miserè obsidebant Genij,
palàm declarauere victores.
Mira res. hostes vsi sunt ad vestrum præconium tuba,
Vmbræ ipsæ Acherontis rem prodiderunt in lucem.

VI

VI. Kalend. Iulii

S. VIGILIVS

26 *Iunii*

Episcop. Triden.

Synop. *Eius in administrando munere solicitudo indicatur. insectatus est in primis Eutychetem; qui negabat, Christũ verum induisse corpus humanum. demum pro vera religione impiè lapidatus est.*

ENCOMION 205.

Nemini potuit aptius pontificius deferri honor,
quàm Vigilio;
scilicet nomen ipsum pro norma fuit:
etiam nocturno dato ad quietem tempore,
non potuit esse non vigil.
nullo sub pastore grex tutior fuit,
nullis sub excubijs religionis arx firmior.
insidiantes ouili feras absterruit,
religionis hostes vigilando compescuit,
immò etiam dimicando perdomuit;
testis in primis Eutyches fuit,
mentitus bonæ fortunæ nomen.
negauit ille, Deum induisse verum hominis corpus,
tunc maximè hebes, ac cæcus,
cùm illud fecit Soli simile,
subeunte scilicet matris vterum radios
ex argilla ipse, lutoque fictus
corpus cœleste confinxit.
sed benè potius fortunata religio fuit,
nacta Vigilium, quem hæc somnianti opponeret.
talem habere debuit Præsidem Tridentum,
vrbs olim in hostes sacrum habitura Senatum.
appetitus est tandem ibi lapidibus,
dum superstitioni resisteret;
iam tum ijs fundamentum est augustę curiæ iactum.

V. Kal. Iulii

27 Iunij.

S. SAMSON

pauperum exceptor.

Synop. *Cum veteri Samsone confertur. ægrum Imperatorem sanauit, à quo pecuniam pro ægrorum hospitio accepit. artem finxit medicam, ne curatio ægrorum tribueretur miraculo; sed hoc latere non potuit.*

ENCOMION 206.

Veterem hic aut æquauit, aut vicit heroem;
non capitis capillo alligauit robur,
sed firmius in corde defixit:
robur impendit piè destitutis robore.
vir nobilis Cæsarum stirpe prognatus
aulam commutauit hospitio.
Iustinianum Imperatorem primùm liberauit morbo,
vt ægræ consuleret inopiæ.
magno illius sumptu extruxit domum
non purpuratis, sed pallidis.
nunquam auri forma pulchrior fuit,
quàm cùm præstitit opem cognato sibi pallori.
quid hoc Samsone fortius,
qui morborum agmina fugauit aspectu?
sed vt vitaret victoriæ plausum victor etiam sui,
medicæ artis finxit industriam;
nisi quòd testata est apertè Natura,
tantum suis non arrogare se viribus,
vt tam valida funderet monstra morborum;
itaque vltrò huic victori detulit lauream.
certiorem postea tumulus fecit fidem,
cùm exsudarunt mirè eius aridi artus
saluberrimo quodam ægris oleo.
vel mortuus, metum, & morbis incussit, & morti.
cùm se quasi pugilem inunxit oleo.

IV.

IV. Kal. Iulij

S. LEO

Pont. Max.

28 *Iunij.*

Synop. *Musicos modos in odeo templi canendos instituit, insectatus est hæreticos, præsertim Sergium, Cyrum, & Pyrrhum, quorum nomina cum veteribus conferantur, vt clariùs Leonis virtus appareat.*

ENCOMION 207.

Nobilior fuit Roma Leone, quàm lupa,
quia præstat & leo lupæ.
mira res. nunquam illa tutiorem vidit gregem,
quàm sub Leone;
nunquam etiam lætiorem,
quia modos hic excogitauit musicos
ad odèa templorum.
concentu tenuit aures gregis;
sed idem in ceteras feras iubatus Leo
horribili rugitu infremuit;
exterruit in primis Sergium,
diuinitati aduersantem impiè;
Cyro quoque perduelli se præstitit sæuum;
non hic vltricem nactus est fœminam,
reginam Scytharum Tomyrim,
sed regem inter feras Leonem;
nequior hic Cyrus, quia non excitauit tēpla, sed diruit. *Esdras*
Idem Leo infensum verę religioni Pyrrhum
non ambiguo euertit oraculo, *Herodot.*
at vicit planè Romanus Aeaciden.
subiecit sibi hostem acriorem Roma,
quàm alterum Pyrrhum,
iactantem aut Achillis, aut Herculis genus. *Plutar.*
victus est hic maiori certamine,
quia ille Romanam in lupam, hic incidit in Leonem.

29 Iunii.

III. Kal. Iulij

S. PETRVS

Apost. Princeps.

Synop. *Commendatur à munere, ac Principatu, à vinculis, à lacrymis, à calcatis vndis, à statere in pisce inuento, ab vmbra corporis salutari, à Simone Mago in terram afflicto, ac ceteris rebus gestis.*

ENCOMION 208.

Oratorio maior est calamo,
qui piscatorio excepit regna.
cùm hæc colligeret reti, nihil Fortunæ debuit vigil,
ex Plut. si quid Timotheus olim debuit dormiens.
vidit Roma vili arundini
subiectos Cæsarum fasces.
vidit ferreis Petri catenis
orbem terrarum sponte captiuum.
largis hic semper inundans lacrymis
meruit dominatum etiam vndarum.
piscis ei argentum ore detulit,
postea substernendum pedibus;
vterque coniux, qui partem subtraxit, interijt,
Sueton. Nero piscatus dicitur reti aureo,
sed seculum fecit ferreum,
piscem necauit auro, piscatorem ferro,
at hic, qui hamo vsus est ferreo,
piscatus argentum, mores induxit aureos.
quantus fuit huius animi fulgor,
si corporis vmbra tam clara?
quippe vmbra prorogauit ægris lucem.
qui solida dictus est petra,
leuis supernatauit undis.
meritò pedes, quibus mare calcauit,
moriens obuersos ostentauit Cœlo.

Im-

Imperium habuit in aquas,
præter quàm in lacrymas.
vt pastor, imperare potuit oculis, vt vigilarent;
vt reus, non potuit imperare, ne flerent.
ignem, apud quem eiurauerat Deum,
statim vltus est lacrymarum fonte.
nocturnus ales illi cantu euocauit Solem,
sed non sine rore.
apertis semper ad fletum oculis,
aperuit clauibus ad voluptatem Cœlum.
vt extingueret Romæ perpetuum ignem Vestæ,
perpetuas attulit lacrymas.
mirum dictu: aliquando ancillam timuit apud ignem,
qui erat imperaturus vndis.
nouum prodigium: refrixit apud ignem amor.
sed nimirum quia piscatoriæ assuetus erat arundini,
mobilem, eius instar, leuemque se præstitit.
stupet animus: ianitrici cessit ancillæ
ianitor Cœli.
cùm exterritus est galli cantu, Plinius
naturam in se leonis expressit.
cùm restitit Cæsari, iterum visus est leo,
sed cùm angues per speciem vorare iussus est, ceruus,
nisi quòd potius dedidicit fugere.
oblatam in lineo epixenio serpentium prædam
vbi exarmauit veneno, retulit Cælo.
melioribus ornauit Signiferum monstris.
sed cùm, antequam ea faceret sidera, occidit,
quasi fato subiecit,
ne voluere dicerentur hominum fata.
conanti Simoni præstigijs inferre se Cœlo,
audaciæ succidit alas.
nouum Icarum non afflixit mari, sed terræ,
vt duriùs frangeret.

III

III.Kal.Iulii

29 *Iunii.*

S. PAVLVS

Apost.Princeps.

Synop. *Resipiscentis pietas ostenditur; item amor in Christum. bonorum fuga, ars scenofactoria, catena, vulnera, lac inde manans; aqua secti capitis tactu elicita commemorantur. Neronis impietas carpitur.*

ENCOMION 209.

Mira res: non herus equum, sed equus edomuit herum.
primum gloriæ gradum Paulus posuit, vbi cecidit;
casus eum adhuc mortalem prouexit ad Superos.
ceciderunt ex oculis, cùm resipuit, squamæ;
primos renouauit, & exacuit oculos,
quia proximè rapiendus ad orbitam Solis.
In tertium euectus est Cœlum,
vt ibi calcaret pedibus Venerem.
nisi potius tunc subijt augustale ær maximi Numinis,
dedignatus cum Natura versari.
At ille non minus tertio fuit admirandus Cœlo,
quàm ter facto naufragio.
spectandus æquè supra sidera,
atque intra gurgitem,
inter instabiles procellas firmus;
Affixus Deo quasi stabili clauo pietatis,
nulla vi vel Cœlestium refigi posse se dixit,
tametsi excepit vnam vim amoris in suos.
Cùm impunè viperam apprehendit manu,
caduceator est visus;
Act.Ap. sed oblatum sibi Lystris caduceatoris Mercurij cultũ
execratus respuit.
at illi fecerant parum,
cùm enim ad tertium raptus est Cœlum,
Mercurium infra se habuit.

Insi-

Insignior Paulus catena fuit ferrea,
quàm Hermes aurea;
maior hoc fuit, cùm hic haberi noluit.
profundiora fuerunt sermonis arcana,
quàm quos subijt gurgites maris.
Ne dicendi gratia videretur esse venalis,
scęnofactoriam exercere voluit artem,
nempe ipse primatum partium histrio;
sed quia veritatis erat præco, simulauit nihil,
tantùm dissimulauit se probum,
qui salutis vindicem vita expressit haud fictè.
sibi ipse theatrum extruxit, & scęnam,
spectatorem nactus est Mundum;
nec tamen numerauit resonantes caueæ plausus,
sed crepitantes humeri plagas.
Cùm cecidit, assultu ceruicum elicuit fontem,
obiecit videlicet aquas impio Neronis incendio,
cauit, ne sæpius Roma flagraret.
præstitit & lictori beneficium,
qui prodigio piè commotus,
aquis & labem eluit primam,
& expiauit vltimam.
at ipse pro cruore mirè lac fudit,
nempe religionis nascentis & mater, & nutrix.
à Nerone interemptus est, qui interemerat matrem,
à qua lac hauserat.
fecit ille se duplicis paricidij reum;
sed hoc maius, quia communem perdidit matrem,
porrò ne doleret Roma patrijs relictis Dijs,
quòd lupino careret lacte, obtulit suum. Gens.
quippe rectè ille lupus dictus est rapax;
paruum discrimen nominis, at magnum rei:
res enim est, prodigij plenior,
Romam ali non lupæ lacte, sed lupi.

III.

III.Kal. Iulij

29 *Iunii.*

S. POTAMIOENA

Virgo, & Martyr.

Synop. *A Iudice, cui nomen erat Aquila, exagitata & cruciata est pro vera religione. pudicitia frustra tentata. flagris cæsa, & tandem vnà cum matre in ignem coniecta, toto corpore pice oblito.*

ENCOMION 210.

Hostis ipse Potamiœnæ omen victoriæ dedit,
siquidem nacta hæc iudicem est Aquilam nomine:
non tamen extimuit columba, ne fieret Aquilę prędą;
sed eius & vnguium spreuit aciem, & fulminis minas.
Tunc maximè vel pudore, vel fide fuit integra,
cùm acerrimè flagris est secta.
candori virginei corporis addidit decus
purpura sui sanguinis.
Tunc quoque est visa formosior,
cùm deformi tradita est Vulcano;
spreuit, & vicit hunc non modò forma, sed cursu,
cùm alacris cucurrit ad claudum,
ne claudicaret, ac vacillaret in Deum fides.
nihil ipsi fuit aut iucundius, aut illustrius,
quàm in ignem conijci vnà cum matre,
gauisa est, eam habere consortem lucidæ flammæ,
per quam hauserat lucem.
nunquam huius vbera manarunt largiùs lacte pietatis,
quàm cùm igni sunt tradita, vt exarescerent.
At illud in Potamiœna & impiè hostis egit, & stultè,
quòd, vt eam à fide distraheret,
totam obleuit pice.
sic enim illa tenaciùs adhæsit sponso.
& quia nulla par erat tantis nuptijs tæda,
se ipsam præbuit splendidissimam.

Pri-

Pridie Kal. Iulii

S. BASILIDES,

30 *Iunii.*

Martyr,

Synop. *Cùm S. Potamioenam virginem iussu Aquilæ Iudicis ad supplicium duceret, diuinitùs commotus eam ab impudicis hominibus tutatus est. quamobrem ab eadem donatus est corona, martyrÿ pignore.*

ENCOMION 109

Nullum habuit maius præsidium obsessus pudor,
quàm eum, quem primò metuit vt hostem,
Basilidem.
quippe Potamięnã virginē, vt vitã amitteret, & pudorē,
huic tradiderat Iudex incestus simul, & impius,
Aquila nomine.
acciuerat videlicet tanquam in partem prædæ
Aquila accipitrem.
nisi quòd hic diuinitùs impietate deposita;
non modò abstinuit à præda,
sed trepidam columbam tutatus est acriter.
Rependit certè Virgo tanti gratiam facti,
etiam à morte,
beneficio non vulgari;
obtulit enim se noctu læta Basilidi,
imposuit eius capiti
clarissimis gemmis illuminatam coronam:
ita quòd ille ferebat inaniter nomen, *βασιλεὺς*
tunc primùm cœptum est verè dici Regium: *Rex*
nimirum debebatur defenso pudori corona;
vincula, quibus est constrictus, cesserunt in tænias.
immò cetera quoque regni accesserunt insignia,
fasces videlicet, & secures.
nunquã Basilides tanto fuit vel in honore, vel gaudio,
quàm cũ lictores apud se ijs insignibus vidit ornatos.

Pridie Kal. Iulij

30 *Iunii.*

S. MARTIALIS.

Episcop. Lemouien.

Synop. *Hunc tradunt esse illum puerum, qui multiplicandos panes obtulit Christo. deinde in Galliam profectus est, vbi eam gentem religione imbuit. Iouis flamines fulmine icit, idola destruxit.* Ka*Kodæmones exegit.*

ENCOMION. 210.

Præclara de te cõmemorat fama vel puero;
sufficisse diceris paucos panes, dapifer Dei,
expleturos in monte tot millium hominũ famem.
nullum lautius vidit epulum Roma;
viluerunt Luculli Apollines dapsiles,
Plut. Saliorum,ac veterum pontificum cœnæ.
haberi cœpit ipsa Natura iam parca,
quæ cessit conditori tam prodigo.
creuit ætas,factus es eius panis,qui creuerat,præco.
mens iniecta diuinitùs est, vt adires Galliam:
fecisti, vt ipsa audito incremento panis,
religione suscepta acciperet incrementum gloriæ.
statim siluerunt notati stultitia Druidæ;
dicendi fulmine.Dodonæã radicitùs euertisti quercũ.
trepidarunt eius columbæ fatidicę,
insequente te instar accipitris.
didicerunt populi te magis timere, quàm Iouem,
cùm euocasti è cœlo fulmina
in falsę religionis antistites.
suspicari potuerunt primò te gentium Marte;
Martialis audito nomine;
sed cum profligare cœpisti Erebi castra,
quæ humana obsederant corpora,
cùm signa fregisti Deorum, etiam Martis,
Martialis ipso Marte dictus es fortior.

FA-

FASTI

veterum Romanorum, atque Græcorum collati cum nostris.



IVLIVS.



Quintilis antea dictus mensis nomen accepit à Iulio Cæsare, quòd hoc editus esset in lucem; sed non tantum attulit decus huic mensi Iulius Cęsar, quantum *Iulius*, qui Cęsares vicit. hic statim Kal. ipsis occurrit, clarior victoriis, & suo potius, quàm hostili sanguine pulcher. Fuit autem Iulius mensis in tutela Iouis Deorum regis, nunc regia verorũ Cœlitum purpura splendet; nam Kal. quidẽ *Romuldus* Scotorum regis filius, deinde *Edilburga* Regis Anglorum filia, tum *Hẽricus* ipse Imperator, *Brigida* quoq; è stirpe Sueuiæ Regum, denique *Olauus* Noruegiæ Rex, deiecto Ioue de regno, tutelares esse cœperunt, sibique hunc mensem consecrarunt. *Rosinus.*

Kal. Iulijs. Insignis fuit hic dies triumpho C. Sulpitii Longi Cos. de Sãnitibus. at nobis quãplurimos laureatos Britannia sufficit, quorum triumphalibus ornamentis regiam suam adiungit purpuram, & pontificias infulas *Romuldus*. tam nobili verò pompæ pulchrè interest *Castus*. Quin etiam † *Simon* ipse *Sale* dictus, qui se stultum simulauit, decus affert maximum insigni victoria sui. quamobrem nullus relictus est locus illis Martialis poetæ verbis de sordido quodam prædij conductore. I *Iulii.* 439. *Golzius.*

O iuliarum dedecus Kalendarum. *Martial.*

Cum nunc hæ Kalendæ, & regio cultu cohonestentur, & victricibns laureis triumphãtium. Hoc item die Romæ Carnæ Deæ sacra fiebant, quæ vitalibus humanis præesse crede-

batur, ab ea petebãt, vt iecinora, & corda, quęq; sũt intrinsecùs viscera, cõseruaret; cui templum Brutus pulso Tarquinio in Cælio monte construxit. At Bruto, qui se stultum finxit, opponitur *Simon Sale*, qui idem gessit, sed maiore cum laude, toto corde, ac visceribus in Deum inhians.

Kal. vii.

2 *Iulii.* *Macrob.* *A. Gill.*

VI Nonas Iunij Ater Romanis dies, nobis omnino candidus, quia sacer virginum principi, *Deique matri*, inuisenti cognatam, cui vt illa felicitatem tantæ sortis gratulatur, ita libenter idem videntur agere, qui in hunc ipsum incidũt diem fausti nominis, *Eutychianus, & Felix, & Felicissimus*; satis enim hi ad gratulationem opportunè conueniunt, Est item hic dies ex parte purpureus horum ipsorum sanguine, nihil autem, aut stultius, aut improbius potuit host is moliri, quàm quòd conatus est felicitatem facere miseram. Cũ his libenter se consociant † *Processus, & Martinianus*, quibus etiam omen facit beatæ, sempiternæque vitæ *Vitalis* ipse coniunctus.

3 *Iulii.* *Alex. ab Al.*

V. Nonas Iulij. Tertium quemque m ensis diem Græci Mineruæ dicarunt sapientiæ Deæ. apud nos sacer est non modò religione, sed sapientia præclarissimo, cui philosophia plurimum debet, † *Anatolio* accedit splendore etiam nominis illustris *Heliodorus*; nam sicuti alteri Oriens, ita huic Sol indidit nomen. Efflorescit hic item dies *Hyacintho* Traiani Cæsaris cubiculario; nec caret oratore, à quo benè virtus laudari possit, *Eulogio*, indicto antiquitati silentio.

4 *Iulii.* 725. *Golzius*:

IV. Nonas Iulii. M. Licinius Crassus Proconf ex Thracia, & Getis triumphauit. Verùm triumphalem hanc lauream non modò facti, sed nominis ipsius iure, sibi vendicat *Laurianus* præsul Hispalensis, victor etiam ipse de Getis, immò de rege quoq; Getarũ sæuissimo Totila at † *Vldaricus* vltus est tumorem, & fastum in Vindice fluuio, quẽ impune calcando vicit. pulcherrimo autẽ vtriusq; triumphi spectaculo congruenter adest *Iucundianus*, qui inter acerbissimas pœnas, nominis nõ oblitus est sui. Sufficit, & non paruam iucunditatis materiem ob conscientiam rei benè gestæ *Innocentius*.

5 *Iulii.* *Gyral.*

III. Nonas Iulij. Inter Aegyptiacos hic numeratus est dies, hoc est inter ominosos, ac tristes; à Romanis quoque Poplifugium dictus à populi fuga; cum olim repentino tumultu Ficulneates, & Fidenates aduersus Romanos insurrexissent. Apud nos potius fuga hostium memorandus est dies, quo videlicet die sanctissimus æquè & inuictissimus Imperator

Hen-

Henricus ingenti prælio Hungaros fudit. Ac tantū abest, vt nostri territi pugna inierint fugam, vt se potius spōtè deuouerint; quod agere non dubitarunt etiam fœminæ, vt † *Zoe Nicostratum* cōiugem imitata. quanquam quid mirum; quòd *Zoe* non fugerit mortem, cui nomen inerat à vita? At *Cyrilla* cum dexteram igni, ac thure flagrantem tenuit immota, fecit illam aram constantiæ. Quamobrem, si veterum more loqui licet, hunc diem hostifugium potius, quam poplifugium dicas; idque satis apertè indicare videtur is, qui cum tam fortibus heroinis, & cum *Theodoro*, ceterisq; inuictis heroibus se adiungit *Domitius* nomine. mirus hic fuit in domāda spuriorum Deorum audacia; mirus in beneficentia, ac singulari pietate erga suos. *Liuius.*

Pridie Nonas Iulij. Hic dies lud s Apollinaribus faciebat initium, qui per d.es octo dabantur, spectante laureato populo. sacra Græco ritu faciebant decemuiri boue aurato, & capris duabus albis auratis, quòd oraculo moniti essent, ita rēpublicam incolumem fore. Apud nos pro auratis victimis Martyres sunt, quorū .f. pretiosa mors dicitur. Hoc item die ob incensum Capitoliū, Vrbē ipsā olim incēdit luctus: arsit Iuppiter tonans vnà cum fulmine: omnia illa veterum ducū, atq; imperatorum ornamenta, spolia opima, trophæa in fumum abire; laureæ in sinum Iouis à triumphantibus ingestæ, exaruerunt igni. Atqui apud nos dies hic faustissimus est, quia complet, absoluitque religionis principum cultum octauus à primo: quo item die fertur *Paulus*, cum Puteolos ductus fuisset vinctus, ingressus Romam: alterum videlicet huius auspiciis excitandum erat Capitolium, & nostrorum laureis, ac triumphis ornandum. Opportunè item incidit in hunc diem *Romulus* Fesulanus Præsul, & Martyr, qui fu t auditor *Petri*, vt ex tanti magistri disciplina alter existeret Romulus, qui vrbem alterius scelere, ac fraterno sanguine inquinatam expiaret suo. consequuntur hunc item laureati, *Seuerinus*, *Diodorus*, ac *Dion*, & is, qui inter procellas qualis extiterit, indicat nomine, *Tranquillinus* Martyr, & Martyrum parens. Hoc ipso die Romanos à Thuscis oppressos in fugam se coniecisse narrant; cum contra nostri strenuè dimicarint. Opposita verò est Capitolinæ flammæ *Lucia* natione Cāpana, virtute clarissima, cui ad splēdorem accedit † *Goar*, qui ministerio Solis ipsius est vsus, cum sui capitis tegmen suspendit in radio. No-

6. Iulii. kal. vet. Rocinus.

7 Iulii. Plutar. Sueton. δυσημία Infamia malus nuncius.

Nonis Iulij. Vitabat Nonas omnes Cæsar, nec putabat, eo die se quicquam agere posse pręclarum, & illustre, ob quandam, vt ipse vocabat δυσημίαν. at egerunt multa nostri immortalibus monumẽtis, & famæ præconio digna. Fuit hic itẽ dies emortualis Romuli, qui cum à Senatoribus. (vt constās est fama) discerptus esset, dictus est euanuisse, ne qua labes ex parentis cæde adhæresceret Romæ. At nos hesterno die alterius *Romuli* præclarissimi Martyris egimus memoriam, vt eius egregia mors, ac natalis potius opponeretur huius probrosæ: ferunt concitatam subitò tẽpestatem in illius Romuli morte, ac deterritũ populum ad Capræ paludem fugisse, apud quam sub caprificò faciebant sacra, imitantes fugam illam, ac tumultum vlulatu, atque clamore. Quo item die Athenienses ad Chæroneum à Philippo Macedone penè ad internecionẽ deleti. Alcidamus quoquè Lacedęmoniorũ Rex pro Tarentinis pugnans est cæsus. At nobis insignis est dies non modò fuga, sed strage Deorum, quam edidit, & † *Panthanus* apud barbaros, & *Pompeius* cum socijs in Macedonia, & Romæ *Nicostratus*, & *Victorinus*, ambo auspicato nomine ornati, Denique Ancillarum festum Romæ fuit; comptis incedere licuit cum muliebri mundo, ob operam, cùm in ceteris obsequijs, tùm etiam in bellis præclarè nauatam. At noua Roma, vt nobilitate præstat veteri, ita non ancillarum, sed *Edilburga* Regis Anglorum filiæ virtutum ornamenta proponit.

Macrob.

8 Iulii.

VIII. Idus Iulii. Gratulationem habuit olim hic dies ob victoriam Romanorum de Thuscis tandem parta; quamobrem solemne fiebat sacrum, ac pæana canebatur: sacrificium hoc vitulatio dicebatur, quòd veteres victoriā vitulæ nomine appellare sint soliti, Grę̨ci παιανίζειν dicũt. at illustrior apud nos victoria de profligatis Diis fuit: nam in Palęstina † *Procopius*, Romæ verò quinquaginta laureati milites memorantur. nihil autem accomodatius, aut opportunius accidere potuit, quàm vt in hunc victorialem diem inciderẽt, & *Aquila*, & *Auspicius*: quod enim tam præclarum omen victoriæ haberi potest, aut quod tam auspicatum esse bellum, quàm quod initur non sine *Aquila*, & *Auspicio* ipso?

Thaa. v.b.

9 Iulii.

VII. Idus Iulii. Ludi Apollinares hoc item die celebrati; sed iucundiora sunt apud nos spectacula, Apollo ipse in primis illusus cùm ceteris Diis. hoc dedit Zeno cum sociis decem millibus ducentis, ac tribus. At verò † *Anatolia*, quantâ

ſpiritus eſſet fœmina, oſtendit, cum afflatu ſolo euertere po; tuit ſimulacra Deorum lapidea. habita eſt audax ab impiis, ſed ſua conſtantia peperit religioni quendam *Audacem* nomine, qui ipſam auſus erat veneficiis captare, ſed fruſtra. mutata eſt in hoc vetus illa γνώμη: nam *Audacem* non iuuit Fortuna, ſed Gratia. *Virg.*

VI. Idus Iulii. Illuſtratus hic dies eſt nobili triumpho, quē L. Aemilius Barbula Proconſ. de Tarētinis, de Samnitibus, ac de Salentinis egit; at illuſtratus eſt magis eo, quem ſeptem egere † *Fratres* de impudētia Deorū, ac de Cæſaris ſæuitia victa. quid ni? cum victoriæ, & fuerit adiuncta † *Felicitas* mater, & prætcrea ex ijs vnus *Martialis* appelaretur, verèque eſſet, ac ne timerent mortem, adeſſet *Vitalis*. Adepti quoque ſunt triumphalem lauream ii, qui in Africa ſtrenuè decertarunt; ex quibus *Leontius* robur, *Felix* præſeferebat auſpicium. quamquam aſpirarunt ad hanc laudem etiam fœminæ, *Ruffina*, & *Secunda* ſorores. Præterea Meſſis feſtum Romæ celebratū: at huiuſmodi celebritas ad verā religionem potius pertinet, quæ tam vberes collegit fruges, cum barbarorum ferrum meſſoriam ceſſit in falcem. 10 *Iulij.* 473 *Golzius.*

V. Idus Iulij. Hoc item die ludi Apollinares dati. confer nunc noſtra ſpectacula. *Cyndeus* vir religioſiſſimus impunè eſt iniectus in ignē. Iuſſit circumuolitando flamma, non arſit. *Ianuarius* verò, & *Pelagia* equuleum, vngulas, fragmenta teſtacea, integra ſemper virtute, quadriduo ipſo luſerunt. Denique † *Pius* Pont. Max. pietatis ſpectaculum pulcherrimum Vrbi dedit, cum eſſet impiè necatus, vt expiaret illā ſāguine. 11 *Iunij.*

IV. Idus Iulii. Fauſtus habitus eſt hic dies, natalis videlicet Iulii Cæſaris fuit, vnde, & menſi nomen inditum. ſed multò fauſtior factus eſt *Felicis* ipſius, ac *Fortunati* nece, quę fuit illis verè natalis, & nominibus congrua. fecit item illuſtrem *Epiphania* matrona nō minus factis præclara, quàm nomine: quin etiam dies hic lumen accendit à † *Ioanne Gualberto*, qui in Valle vmbroſa cum degeret, luce pietatis clariſſima fulſit. *Martiana* verò nobiliſſimę fœminę vbera contorta ſunt ferro, vt lac exprimeretur, quo religionem aleret; hæc videlicet opponenda erat lactenti Cęſari. 12 *Iunij.* *Macrob.* *Feſtus.*

III. Idus Iulii. Ludi Circenſes Romę dati, aurigarum factiones, & equorum curſus tenuerunt oculos. atqui nullus incitatior fuit curſus ad gloriam, quàm is, quo excurrit *Serapion* 13 *Iunii.* *Reſinus.*

Martyr

Martyr, etiam per ignes medios. Aquila præfuit eiusmodi ludo; nec tamen præses hic tam celer fuit, & volucer ad pœnas inferendas, quàm ille ad perferendas. *Eugenius* verò sui generis memor, cum quingentis sacrorum ministris, eundẽ cursum tenuit, Hunerico rege Ariano frustra se opponente; quibus quasi dux religionis clarissimus præiit † *Anacletus*.

14 Iunii. *Kal. vet.* Pridie Idus Iulii. Fortunæ muliebri dedicatus fuit hic dies. apud nos nec Fortuna locũ habet, nec muliebris infirmitas. Fortunæ opponimus *Felicem*; fœmineæ imbecillitati Herculeum nomen *Heracla* præsulis. Verùm nihil|tam aptè opponi potuit Fortunæ, quàm (etsi nomine conuenire videtur) † *Bonauentura*; quamquam fuit, (si licet ita loqui,) quædam religionis prospera, æquabilisq; fortuna, vt hunc nancisceretur eximium, & sapientiæ, & pietatis magistrum. euexit porrò *Bonauenturam* ad honorum gradus, etiam eum, in quo eminere dicitur Roma, non Fortuna, sed virtus. *Henricũ* verò Imperatorem, vel iccirco fortunatũ dixeris, quòd *Chunegundem* nactus sit coniugẽ pari virtute præditã, nec minus religionem ipsam fortunatam, quæ vtriusq; augustali purpura sit ornata. *Rosinus.* Quidã celebrari cœpta putant Mercurialia, quæ *Golz.* durabant vsque ad xiv. Kal. Sextil. sed Mercurio sapientiæ *kal. ve.* præsidi *Bonauentura* ipse veræ sapientiæ magister opponitur.

15 Iunii. *Liu.* *Plutar.* Idibus Iulii. Pulcherrimam habuit hic dies speciem. Romani enim equites oleagina coronati fronde, ac trabeis, siue togis palmatis amicti, ex æde Honoris ascendebant in Capitolium. instituta celebritas est ob insignem victoriam in Latinos partam, cuius duo equites cataphracti, qui Castor, & Pollux habiti sunt, statim nũcium Romam attulerunt. Sed multò spectabilior est pompa nostrorum ex Honoris æde ad Capitolium cœleste tendẽtium: quid enim in ea cerni potest, vel pulchrius, quàm *Florentius*, vel beatius, quàm *Felix*? sed illud admirationem planè habuit, quòd *Cyriacus* olim carnifex, & in laniena versatus, eodem sit honore affectus. Ad tantam porrò celsitudinem gloriæ etiam infantibus decem gradus fuit; nescias vtrùm plus fuderint cruoris, an lactis. His se *Th. v. b.* commodè adiungit † *Antiochus* medicus, vel quasi obligaturus eorũ vulnera, vel quia de ceruicibus mirè lac fudit. Hoc item die Athenis Adonia celebrabantur festa, non sine ululatu, ac luctu ad Veneris planctum repræsentandum ob Adonidis necem. atqui nobis in nece nostrorum læta sũt omnia,

quia

quia cedit interitus in natalem. ac propterea *Florentius* cæsus cruentum corpus suum inferri voluit in basilica n Fausti.

XVII Kal. August. Omnium dierum maximè infaustus, atq; funestus hic dies à Romanis est habitus ob miseram cladem, quam apud Alliam fluuium accepere à Gallis. quo item die trecenti Fabij ad Cremeram in Hetruria cæsi; quamobrem factum est, vt dies omnes postridie, siue Iduum, siue Nonarum, siue Kalendarum cuiusque mensis atri dicerentur, & haberentur. Nobis certè nullo modò esse potest infaustus hic dies, quo *Faustum* ipsum. fausto etiam genere supplicij, hoc est cruce affectum memoramus; nec funestus, ac tristis, quo *Hilarinum*. ostendit hic, cum necaretur, ipso vultu, quod significabat nomine. Adde † *Athenogenem* cum auditoribus decem insigni doctrina, & religione præsulem. Adde eadem laude præstantem *Eustochium*, qui Constantium Cæsarem magnitudine virtutis fecit infirmũ; quapropter ipsum *Valentinus* quoque præsul & Martyr pari robore comitatur. 16 *Iulij.* *Macrob.* *A. Gell.*

X V I. Kal. August. Insignem fecit hunc diem C. Domitij Caluini Proconf. triumphus ex Hispania; cui tamen facilè quisque prçferendum putabit illum, quem tulit † *Alexius* non de barbaris, sed de suis: neminem tam onustum spolijs ducem Roma vidit, quàm hunc, etsi sponte lato clauo, & purpura, ceterisq; patriciorum insignibus spoliatum: fecit autem domum ipsam Capitolium. ambitiosus potuisset videri, nisi ambire maluisset orbem terræ peregrinando penulatus, quàm domi sedere purpuratus. posthabuit hic curiam ipsam angulo domus tantæ porrò, quæ in *Alexio* fuit, magnitudini animi, ac tam generosæ indoli adhæret *Leo* Pont. Max. immò, & *Generosus* Martyr, & *Generosa*. Aptè quoq; illius nunquam deflorescenti pudori *Hyacinthus* adiungitur. 17 *Iulij.* 717 *Golz.*

XV. Kal. August. Tertius hic dies est ab Alliensi clade omnium luctuosissima; quo die Valerius Pont. Romæ parentauit trecentis Fabijs in prælio cæsis. Apud nos sacer est † *Symphorosa* matronæ, ac filijs, quorum mors non nisi gaudium attulit Romæ; audita, & incredibili horum constantia, & materna pietate; quamobrem & *Maternus* præsul se *Symphorosæ* libenter adiungit, qui religionem complexus pietate verè materna, lictorijs virgis subiecit humeros, ac penè securibus insulatum caput. *Aemilianus* verò conditione seruus, virtute ingenuus tanta vsus est libertate, vt indicto Dijs bello minimè seruili, 18 *Iulij.*

nactus opportunum tempus, ingressus sit in fanum, ac maiorem de illis ediderit stragem, quam olim de Romanis apud Alliam erat edita: simulacra deiecit, fregit, comminuit, sacra dispersit, aras euertit; tum præsidem Capitolinum adijt; se ipsum quasi triumpho dignum denunciauit; flammas libenter accepit, vt victoria fieret illustrior.

19 *Iulii.* *Kal. vet.* *Rosinus.* XIV. Kal. August. Lucaria Romæ agebantur. scilicet præteritæ calamitatis refricabatur vulnus, cum a Gallis victi Romani se occuluerunt in luco; quanquam alij Lucaria dicta putant à luce, quòd amittere libertatem, sit quasi luce priuari; sed Lucarijs opponitur è nostris *Arsenius*, qui, non vt hostem lateret, sed vt prouocaret ad pugnam, in lucum se abdidit, ac scæna se arborum texit, daturus videlicet de hoste stygio fabulam, quam & fœminæ ipsæ dederunt de irrisis Dijs † *Iusta*, & *Ruffina*. Ceterùm ater fuit hic dies aliquando Romanis, cum *Sueton.* Nero, fax illa terrarum orbis, excitato incendio ingenti fumo vrbem obruit. At contra Romanus hierarcha *Symmachus* verè parens vrbis maximus, hoc omni studio egit, vt schisma quasi religionis flammam ab impijs excitatam extingueret. Ater verò nequit esse dies, qui *Aureæ* virgini sacer est. fuit autem hoc admirabile, ac singulare in *Aurea*, quòd semel aspectu ferri victa, ipso deinde ferro durior, ac fortior fuerit, nonmodò viso, sed perlato. hoc etiam ab auro differens fuit, quòd tunc visa est verè Aurea, cum non expalluit. tunc pretium apparuit, cum apertæ sunt ferro sanguinis nè, non auri venę? nunquam tantum decus accessit ferro, quàm cum tam auidè expetitum est ab auro, vt *Aurea* putaret se vilem, nisi caderet ferro.

20 *Iulii.* XIII. Kal. August. Victoriales ludi à Iulio Cæsare instituti, ac celebrati, postea quam Pōpeium in Pharsalicis perculit campis; sed maior illa dicenda est victoria, quam *Maximus* de Dijs etiam maiorum gentium, quàm quę à Cęsare de Pompeio Magno parta. eandem assecutus adoream est *Paulus* hierodulus de Mahometica impietate, ac sęuitia victor: quamquam non caruerunt adorea etiam fœminæ; in primis illa insignis in perferenda cruce, fortitudinis, Vilgefortis virgo. cōmodùm autem accidit, vt hoc ipso die Commodus Imperator religioni incommodare desierit strangulatus verùm † *Margarita* maximè se visendam offert, atque ipsa specie sui nos ad se trahit. hæc communem ipsum omnium hostē laruatum, atq; monstrosum

loro

oro deuinctum per carcerem distraxit, ac visa est quodammodo suffocasse. Denique victorijs Iulij Cæsaris, qui margaritarum conquirendarum studiosus fuit, opponitur *Margarita* victrix: atque ille quidem de Britannicis margaritis thoracem contexuit, eoque Venerem genitricem armauit, at contra *Margarita* hæc thoracem se ipsa fecit, vt expugnaret Venerem virgo. illud autem maximè accommodatè accidit, vt cum hesternus dies sacer fuerit *Aureæ*, hic sit *Margaritæ*, ne quid ad pulcherrimum, pretiosissimumque monile religioni contexendum desiderari videretur. *Plinius.*

XII Kal. August. Aegyptij Sacerdotes hunc diem natalem Mundi putarunt; qui dies apud nos auspicatò sacer est *Feliciano*. at *Praxedes* ornamentum affert virginitate, vel maximum; præsertim cum ei soror *Pudentiana* fuerit, non modò virgo, sed martyr hoc est dibapha purpura, cùm pudoris ornata, tùm sanguinis. ac ne quid, vel ad voluptatem desit, vel ad gloriam, *Iucundinus*. & † *Victor* accedunt, neque enim quicquam coniunctius est pudicitiæ quàm gaudium, & victoria. *21 Iulij. Gyral.*

XI Kal. August. Neptunalia quidam ad hunc diem referunt, hoc est ludos Neptuno dicatos. atqui apud nos hic dies † *Mariæ Magdalenæ* sacer est, quæ è naufragio pudoris tandem enatauit ad portum; ac postea cum exarmato nauigio, Neptuno ad ludibrium tradita, ipso inuito, atque deluso, ad Gallias incolumis appulit. Præterea (quod animaduertas licet) hoc item die postea Iudęi omnes in Gallia captiui, proscriptis bonis omnibus, in luctu iacuerunt. sumpsit videlicet pœnas Gallia de impietate eius gentis, quæ Magdalenā a se aliquando reiecerat. Porrò huic aptè adiungitur † *Plato*, non ille, qui sub platani ramis, sed qui sub lictorijs virgis philosophatus est sapientius; cum hoc, inquam, *Platone Magdalena* se associat, quæ in symposio magis sobriè quàm alij in Academia, philosophari cœpit, effecta religionis magistra. *22 Iulij. Kal. vet. Th. v. b. Th. v. b.*

X. Kal. August. Romanæ mulieres prægnantes Opigenæ (sic Iunonem appellarunt) cereas offerebant icunculas, quod ad facilitatem partus maximè conducere arbitrabantur: apud nos non tam prægnantium mulierum, quàm pudicissimarum virginum memoria est, *Primitiuæ* videlicet, *Romulæ*, atque *Redemptæ*; nisi quòd eædem fœcundę fuerunt gloria: nihil verò fœcundius, quàm religio ipsa. & heroibus, & heroinis; gaudet certè hoc ipso die numerosa prole martyrum at *Brigitta* si mi- *23 Iulij. Kal. vet.*

nus sanguinem, certè regij generis purpuram attextam pietati affert. Hoc item die ludi votiui dati Romæ; at nos † *Apollinarem* colimus, cui Dij ipsi ludo fuere.

24 *Iulii.* *Kal. vet.* IX. Kal. August. Phœbo sacer fuit hic dies, quo die illi mel nouum è fauis expressum offerebant in sacris; sed multò plus mellis, hoc est sanguinis, & planè dulcius expressum è nostris est; apud Amiternum certè octoginta tres eum abundè fuderunt. vna † *Christina* non semel fudit, nec vno modo; aut per verberum lanienam, aut per abscissionem linguæ, aut per sagittarum ictus, ceteraque supplicia, vt propterea illi se libenter adiungant, & *Vincentius*, & *Victor*. ac ne ipsa mulierum desiderarentur auspicia, adsunt *Niceta*, & *Aquilina* victrices, non nomine modo, sed factis. congruenter certè in diem hunc Phæbo, seu Soli dedicatum incidit *Aquilina*, nisi quòd generosam ostendit indolem, non aquilæ modo in Phœbum intuens, sed auertens, potius ab eius cultu oculos.

25 *Iulii.* *Varro.* VIII Kal August. Furinalia Romæ celebrata, hoc est feriæ Furinæ deæ, quæ inter Eumenides, hoc est speculatrices deas, & facinorum vindices numerabatur; cui flamen Furinalis attributus: atqui ista nobis è cælo petenda sunt. † *Iacobo* sacer est dies, qui filius tonitrui dictus est, & tãquam impiorum fulminator, & vindex, quamobrem potestatem sibi traditam fulminum euocandorum exercere aliquando voluit cum Ioanne, sed clementia magni liberatoris vterque inhibitus. Immolabantur hoc item die rutilę canes ad ardens Caniculæ sidus placandum, ne æstus violentia noceret; at *Christophorus* sub eadem Canicula iniectus in flammam in ea est impunè versa-
Plutar. tus. Denique apud Syracusas auspicatus habitus est hic dies ob insignem victoriam de Atheniensibus partam; sed auspicatior est Hispanis ob illustres victorias de hostibus *Iacobi* præsidio reportatas. Quamquam, & *Valentinæ* virginis virtus par nomini fuit obstupefecit hęc hostem animi robore, cùm ad Deorum aras adducta, non dubitauit calcibus eas euertere. quamobrem præter ceteros, cùm huic, tùm nobilissimo Hispaniarum patrono aptè se, & *Florentius* adiungit, & *Felix*; quippe cum sæpe contingat Hispanis, & felices euentus habere bellorum, & victrice manu decerpere florem gloriæ.

26 *Iulii.* *Kal. vet.* VII. Kal. August. Ludi votiui rursus Romæ dati: atqui nos inter spectacula, & religiosiora, & iucundiora versamur, quæ dantur a nostris eximiæ virtutis, atque constantiæ. dant in-

pri-

primis † *Symphronius, Olympius*, ac *Theodulus*; ex fœminis autem *Exuperia* inter flammas illustris. at *Hyacinthus* in profluentem demersus euiruit magis. atque illud maiori fuit admirationi, quòd in ignem deinde coniectus non modò non exaruit, sed effloruit pulchriùs. Deniq; in hunc diem congruenter conuenisse videntur ij maximè, qui cũ *Anna* magnæ Virginis matri sacrum, vel illustrarent flamma, vel ornarent flore. opposita hæc fuit Annæ Perênæ, cui Romani plurimum se debere fatebantur: at hæc potius perênat cũ ob beneficium vtero præstitum ipsa se dedicat, & sacrat æternitas: quanquam *Exuperia* præstantiam, & exuperantiam gloriæ, quæ in *Anna* re ipsa fuit, videtur ei gratulari; itemque *Olympius*, vel celsitudine nominis, vel splendore inclytus.

VI. Kal. August. vnus ex Aegyptiacis diebus hic fuit, hoc est ex infaustis, ac tristibus, ob certum quendam astrorum positum, & aspectum; at faustus religioni, quòd videlicet Cõstantinus magnus in Britannia Imperator sit designatus aptissimè autem hic dies incidit in *Constantinum* alterum: fuit is vnus è † *Dormientibus* (vt vocant) *Septem*, quos somnus nobiliores fecit, quàm cæteros vigiliæ. quanquam qui olim sub dura dormierunt specu, nunc molliter inter flores accubant: conueniunt enim in hunc ipsum diem *Anthusa*, & *Liliosa*, atque huic quidem ob candorem lactei floris opportunè accedit † *Pantaleon*, è cuius abscissis ceruicibus lac manauit: fuit quippe non modò medicus, sed quidam religionis altor. Ob decretos igitur Constantino magno augustales honores, & ob suauem alterius *Constantini* soporem cum socijs inter huiusmodi flores opportunè quoque conueniunt *Felices* duo, & *Iucunda* virgo. 27 *Iulii.* *Gyral.*

V. Kal. August. Etiam hunc diem habuit lætum, ac iucundum vetus Roma; itaque Cereri lacte, vino, ac melle potissimùm sacrificabat. nihil autem accommodatius fieri potuit, quàm vt ei superstitioni religio vnum opponeret ex plurimis, qui apud Aegyptum in Thebaide regione ceciderunt; eum videlicet, quem melle delibutum, Solique aduersum acerrimis fucorum aculeis excruciandum obiecerunt. dulcius certè huius, quàm Cereris melle litatum. At lactis, quod item offerebant, candori *Eustachius* Martyr opponitur, cuius vertici, cum esset inter supplicia, eximio candore superuolans columba insedit. Accedit, & ille miræ con- 28 *Iulii.* *Kal. vet.*

constantiæ adolescens, qui inter candida lilia, cetero'que flores molliter collocatus ad illecebram corruptelæ, præcisam morsu linguam in scortum inspuit. Denique libato Cereri vino opponitur expressus multorum sanguis è venis: *Nazarij* in primis, ac *Celsi*, quorum sanguis inuentus quasi recens effusus, instar generosissimi vini, coacescere vetustate non potuit.

29 **Iulii.** *Macrob.* IV. Kal. August. Ater Romanis dies est habitus, qui nobis candidus; quippe *Marthæ* sacer est, & virgini, & parenti virginum, & Galliæ amantissimæ; quasi præuidisset ornandam insignibus liliorum: quamobrem ei se, & opportunè, & libenter adiungit in hunc ipsum diem incidens *Flora*, incestæ alteri opposita. quanquam ex parte purpureus dies est, cùm *Eugenij*, *Callinici*, & aliorum pulchri sanguinis purpura, tùm *Olaui* Noruegiæ regis dibapha. denique nullo modo apud nos ater, & infaustus esse potest hic dies, qui etiam *Felici* ipsi sacer est, immò & *Beatrici*, & & *Prospero*, & *Faustinis* duobus; qui omnes ad *Martham* ornandam, felicissimo Dei hospitio dignam, conuenisse videntur.

30 **Iulii.** *Golzius.* *Orosius.* III. Kal. August. Illustrem hunc diem fecit cùm C. Marij victoria ad Alpium radices parta de Cimbris, tùm C. Iulij Bubulci Dictatoris triumphus de Aequis actus: at multò illustriorem fecerunt nobilissimi præsertim Persarum reguli duo † *Abdon*, & *Sennen*. deducti sunt Romam, vt aspiceret illa etiam exteros triumphatores in suum decus. quanquam neque fœminæ caruerunt triumphalibus ornamentis, & laude victoriæ, *Maxima* in primis, & *Iulitta*. clarissima fuit hęc flammis impunè calcatis, & *Basilij* magni pręsulis digno illustrata præconio.

31 **Iulii.** *Alex. ab Alex.* Pridie Kal August. Athenienses, vti diximus, vltimum cuiusque mensis diem Demetrio dedicarunt, optimè de ipsis merito, & Macedonicis maximè victorijs claro, cui etiam tot statuerunt statuas, quot apud ipsos anni dies fuerunt. At apud nos † *Ignatio* Societatis *Iesu* parenti sacer est dies, non vnius regionis, sed omnium, quotquot etiam vltimus aluit Oceanus, victoriis pręclarissimo, & manubiis per suos ex toto terrarum orbe collectis ornatissimo. quanquam hic vna tantum contentus statua fuit, se ipso videlicet; cum enim sibi tibias exsecari, atque exsculpi,

ri, tam constanter est passus, se ipse statuam fecit. probata est eius statuæ firmitas terræmotu, qui statim accidit; sed inuenta est in constantię basi firmissimè posita; ac longè pulchrior est habita, quàm illa veterum Hermathena ex Mercurio, & Pallade conflata, quia hęc ex doctrina, atque pietate; vt propterea tanquam in Academia quadam religionis, instar τοῦ ὅλου ἀναθήματος ornamento maxime sit: & certè hoc mense fuerunt Mercurialia, comitialisque Romę mercatus; quam celebritatem, vt potè magnam, per dies aliquot solitam excurrere, diximus. & *Ignatius* quidem quasi Mercurialia quædam, sed perpetuò celebrari voluit, institutis tot vbique gymnasiis, & sapientię palæstris, quod verè quasi emporium omnium gentium dici potest, & celeberrimo illo etiam Gręciæ mercatu nobilius; sibi verò, ac suis non aliud depoposcit, quàm animorum lucrum. Porrò *Ignatio*, licèt victrices aliquando Cæsarum aquilas secuto, *Ioannes Columbinus* libenter adhęret, quadam cognatione non modò virtutis, sed nominis, quod vterque familię indidit suę. Adhęrent etiam aptè *Ignatio*, & *Secundus*, & *Firmus*; nempe ille, & in secundis rebus moderationem animi, & in aduersis adhibuit firmitatem. Accedit & *Fabius* miles, immò Dux maior eo, qui dictus est Maximus; huic verius, quàm alteri laus illa tribuenda est, vt quidam fortissimus nouę Romę clypeus dici possit. cum pariter, & hanc Fabii, & illam Marcelli laudem *Ignatius* sibi vendicet, vt gladius appellandus sit, ob strages videlicet editas de aduersariis verę religionis. quanquam tum maximè visus est acer, cum gladio exarmauit latus; suspendit enim illum è tholo delubri Dei matris, ne vnquam eius acies hebesceret, sed apud virginem explendesceret purius. Associat item se libenter *Ignatio* fortissimum olim agmen martyrum. trecenti omnino ij fuerunt, & quinquaginta, omnes religioso obstricti sacramento; qui ob Romanę libertatis defensionem ab hęreticis impiè necati sunt. atqui *Ignatii* sociis non modò res est cum hoc vno genere hostium, sed cum vltima quoque barbaria. Denique vnà cum *Ignatio* conuenit *Democritus* martyr: & sanè ambo sapientius philosophati sunt, quàm alter Democritus Abderites. multos ille Mundos somniauit, sed plures *Ignatius* vigil optauit; atq;

Rosinus.
Golzius.
Val. Max.

ille quidem penthatlos, siue quinquertio dictus est victor, quòd in cognitione Naturæ, morum matheseos, liberalium, ceterarumque artium præclarus extitisset. sed huiusmodi certaminum spectaculum pulchrius in suis dedit *Ignatius*, quorum doctrina cum pietate coniuncta tantum religioni attulit lumen. Denique adhæret *Ignatio Germanus* Antisiodorensis præsul, genere, fide, prudentia, & prodigiorum gloria præclarissimus, qui Britanniam a Pelagianorum hæresibus penitùs liberauit, effecitque, ne in Britannico pelago, vnde preciosissimi excipiuntur vniones, ea natio naufragium faceret salutis; latentes indicauit scopulos; lacerauit, ac diffidit retia, quibus miserè implicabatur: at *Ignatio* non modò propositum fuit, Pelagij syrtes vitare, sed infames omnes scopulos, ac Ceraunia illa diuinæ iræ fulminibus obnoxia; nec Britanniam tantùm, sed Germaniam, aliasque regiones periculis cinctas, magnitudine animi, & celeritate consilij explicare.



Kal.

Kal. Iulii

1 *Iulij.*

S. SIMEON

Sale dictus.

Synop. *Insignis contemptor sui, stultum se finxit. inter cetera, ad curandos ægrorum oculos adhibuit acetum; ad arreptitios tibiarum cantum. saccum salis plenum baiulabat. Vlyssi, & Bruto præfertur, qui se stultos finxerũt.*

ENCOMION 211.

Superasti simulatæ stultitiæ vmbra
doctarum Athenarum lucem.
vicisti vnus ignorantiæ pallio tectus
palliatos septem Græciæ Sophos.
voluisti videri acie mentis obtusa,
vt acueres in arrogantiam gladium.
conatus es pia fallacia inobscurare virtutem;
sed hæc te piè fefellit, cùm extulit in lucem.
non eras insanus, cùm oculos sanabas aceto;
opposuisti, scilicet, acetum, ne fierent amore ebrij
refrigerasti sapienter solitos flagrare dementer.
sapiens eras, cùm fugasti Stygios hostes tibiarum sono;
quippe certus victoriæ præcinuisti pæana.
fecisti, vt Brutum Roma sileret suum;
tecum ille collatus verè cœpit haberi brutus. *Homerus,*
siluit & Græcia fictam Vlysis insaniam,
qui, vt laborem subterfugeret pugnæ,
fatui more vectauit humeris salem;
sed post te dici cœpit insulsus,
cùm tu cognomento dictus es Sale,
mirè vsus est, pro sapientiæ condimento, stultitia.
ideò finxisti te fatuum,
vt inires prudenter, non vt fugeres turpiter pugnam.
nihil fuit inscitia consultius tua,
qui calluisti tam scitè sapientiã, vel cõdire, vel cõdere.

2 Iulii. *VI. Nonas Iulij*

SS. PROCESSVS, ET MARTINIANVS
Martyres.

Synop. *In eorum custodiam traditi sunt Petrus, & Paulus Apostoli. ab his expiati sunt aqua mirè de saxo prosiliente. Ioui diuinum cultum exhibere iussi, in eius potius simulacri faciem per summum dedecus inspuerunt.*

ENCOMION 212.

Nihil Roma gentium victrix
vestræ custodiæ committere potuit maius;
quàm religionis Principes duos.
minus fecisset, si tradidisset seruandos
captiuos in bello Reges.
eum tenuistis ferreis obligatum vinculis,
cui ius est vbique soluendi,
quidquid adamante necessitas firmat.
eum habuistis in tenebris clausum,
qui clarissimi Regni magnus est clauiger;
sed repensa est custodia beneficio;
vos ille vincientes soluit duriùs vinctos.
veram libertatem estis auspicati prodigio;
quippe vt primigenia posset elui labes,
aqua è Tarpeio saxo mirè prosiluit.
nullis mons Tarpeius exuuijs
magnificentiùs ditatus est, quàm vestris;
suspendistis ambo è Capitolij tholo
deuictas constantia lictorum secures, & fasces.
quin etiam iussi colere regem Deorum Iouem
feliciter audaces eius inspuistis in faciem.
ille, qui fulmen dictus est iaculari
rubente dextera, *Horatius.*
per vos pudore perfusus
rubuit etiam genis.

V.

V. Nonas Iulij

3 Iulii

S. ANATOLIVS

Episcop. Laod.

Synop. *Alluditur ad nomẽ eius græcum. encyclopedian, hoc est circulum omniu n disciplinarum tenuit. arithmeticen in primis professus est, de qua etiam libros edidit. Antistitis munus pręclarè, ac piè administrauit.*

ENCOMION 213.

Non vacuum indidit nomen Oriens Anatolio, ἀνατολή Oriens.
vnde tanta vis luminis fulsit
vel pietatis, vel ingenij.
per disciplinarum orbem circumtulit mentem,
sed in vno orbis conditore defixus.
In primis Arithmeticen decem complexus est libris:
docuit videlicet rationes facere,
& simul nunquam à ratione deficere.
digessit numeros tam scitè per digitos,
vt ijsdem indixerit veterum famę silentium.
nihil habuit ea disciplina præstantius,
quàm obsignari digito annulati Pontificis.
licèt soleret accuratè in numerando versari,
menti tamen curis solutæ obuersabatur æternitas,
quæ nullis alligatur numeris.
mensus est idem telluris magnitudinem,
sed quam faciebat parui.
firmus certè esse à tellure didicit in excidio patriæ,
frugifer etiam esse suis, ac prouidus.
Planetarum erraticos contemplatus est cursus,
at ipse nunquam aberrauit à recto.
dignior hic, quàm Archimedes, fuisset,
qui artificiosam haberet in tumulo sphæram;
nisi summa præditus constantia præsul
odisset quicquid est vitreum.

4 Iulii

IV. Nonas Iulij

S. VLDARICVS

Episcop. Augustod.

Synop. *Cùm infans macie conficeretur, à matre miro modo curatus est inedia, & fame. insigni in suos pietate præditus, barbarorum furori se opposuit. fluuium, exundante alueo, tumentem sine nauigio traiecit impunè.*

ENCOMION 214.

Spectandus hic adhuc paruus inter magna prodigia;
non enim, creuit cibo, sed fame.
cùm macies tenuasset infantem,
vnum inuentum est remedium, quo pinguesceret;
alimonia illi subtracta.
hoc scilicet oraculum accepit de filio mater;
vt, si vitam prorogare vellet filio,
vitale lac negaret.
quantum hic Sirenum odit illecebras,
qui vel materna respuit vbera?
nutrix non nisi Virtus fuit, martiali videlicet puero;
versaturo inter enses, ac tela.
nā obsidentibus vrbē Augustam, cui præerat, barbaris
opposuit se, ipsa fronte, & ore augustior;
volitauit impunè per cuspides ferri.
plures hostes vnus ipse perculit vultu,
quàm Otho Imperator armato agmine.
sed quid mirum, eum fuisse impiorum vltorem;
qui vltus est etiam Vindicem fluuium?
eius alueum pede calcauit vndantem,
sicco vestigio;
nempe cùm esset infensus superbo tumori;
noluit vel tangere tumentem;
vereri visus est, ne ipsum inquinaret
etiam vmbra superbi fastus.

III.

III. Nonas Iulij. 5 Iulij

S. ZOE

Martyr.

Synop. *Nicostrati martyris coniux fuit, pari pietate. apud Martyrum sepulcra preces fundere solita, martyrium & ipsa promeruit. sub arboris ramo suspensa, igni subiecto, propositi tenax. suffocata est fumo.*

ENCOMION 215.

Indidere parentes tibi nomen à vita; *Ζωή Vita.*
sed eam non ante verè te habere putasti,
quàm spontè subires mortem.
apud Martyrum tumulos supplicare solita,
vt disceres viuere;
è Pêtri maximè, Paulique cineribus
exarsisti ad immortalitatem.
nunquam animo altiore fuisti,
quàm cùm capillo es suspensa sublimis;
despexisti enim subiectos lictores, & pœnas.
nunquam euiruit, aut effloruit magis virtus,
quàm cùm te ramis arbor implicuit.
accepit coma decus, cùm est igne crispata;
quod simplici cultui ante non dederat
ars cinerarij calamistro.
minus est visa splendescere,
in astris Berenices coma, cùm splenduit in igne tua;
fumo tandem suffocata es, scilicet vt haberet religio
nobilitatis insigne, fumosam imaginem tui.
hoc solùm videri potuit mirum,
quòd tantus, qui in te inerat spiritus,
interclusus arctari potuerit
angustijs parui pectoris,
tametsi amplum hoc fecerat, & capax Amor;
collectus in sese spiritus restitit fortiùs.

Pri:

Pridie Nonas Iulij

6 Iulii

S. GOAR

Episcop. Treuirens.

Synop. *Cùm deesset paxillus, tegmen sui capitis prodigiosè suspendit in Sole. impetrauit diuinitùs morbum, ne Pontifex fieret. lampas ad eius aram sponte accensa. arreptitium sanauit, oblato ab illius patre sibi fauo mellis.*

ENCOMION 216.

Nihil ea ætas Goare vidit illustrius;
cui contigit clarissimum ipsum siderum regem
habere famulantem Solem.
fuste roboreo cùm careret,
capitis sui tegmen suspendit in Solis radio.
mira res. emollijt hic duros animos lucis expertes,
at ipsam obdurauit lucem.
habitus est falsò præstigiator,
sed ab ijs, quorum præstricti erant oculi
tantę splendore virtutis.
Hic, qui ministerio Solis est vsus,
imperium habere in cetera quoque visus est lumina.
etiam post huius lucis vsuram:
extinctæ enim ante aram suam lampadi
extinctus ipse prodigiosè lumen accendit;
nihil tamen illi fuit infensum magis,
quàm in luce versari plaudentium vrbium.
ne pontificiam acciperet tiaram, & infulas,
diuinitùs impetrauit morbum,
febri sponte cœpit ardere
is, qui vel coactus à Rege, ambitione non arserat.
sed fugauit tenebrarum præsides, qui fugit lucem.
quippe rustici hominis filiam obsidenti eripuit hosti,
oblato sibi ad aram examine votiuo apum.
nil aptiùs. opposuit enim apes, vt pelleret fucos.

No-

Nonas Iulii 7 *Iulij*

S. PANTÆNVS

Philoſophus.

Syuop. *E Stoica diſciplina fuit. deinde ad propagandam Chriſti religionem Orientem adijt, caligantem errorum tenebris. eius facta preferuntur Marathoniæ pugnæ, quæ in Stoicorum porticu olim depicta fuit.*

ENCOMION 217.

E Zenonis porticu egreſſe Pantæne,
excurriſti ad latos Indiæ campos.
ſcilicet nec ſapientia, nec virtus tegi potuit tua
ſub vmbra porticus:
vocabat ad ſe iam pridem te Oriens,
non vt daret, ſed vt acciperet lucem.
tetricum Stoicę diſciplinæ ſupercilium
extimuerunt ſolùm gentium Dij,
ceteris leni, ac demiſſo fuiſti.
philoſophico indutus pallio
ſpoliaſti Erebum.
nobiliſſimum omnium egiſti triumphum
onuſtus opimis Orientis exuuijs.
excepit tandem reducem Alexandria victorem.
Pœcile Stoicorum nouis ornare potuiſti picturis;
viſa eſt Marathonia pugna ludus prę tua;
libentiùs ſuam hic artem exercuiſſet, & pulchriùs
Polygnotus Thaſius gratuitus pictor:
nec partem eius Mycon, vt olim, mercede pinxiſſet,
quia tu ei ſuffeciſſes abundè pigmenta virtutum.
Pyrrhopœcilos dicta eſt illa Zenonis porticus,
à macularum videlicet varietate rubentium, πυῤῥὸς Rufus
ſed multò gratiùs potuiſſet picta rubeſcere ποίκιλος
vel nobili ſtrage, quam tu feciſti Deorum, Varius.
vel multo pudore, quo ſuffuſi ſunt victi.

VIII.

8 Iulii

VIII. Idus Iulii

S. PROCOPIVS

Martyr.

Synop.*Vt videretur Diis sacrificare, per vim eius manibus thus est impositum. adusti sunt igni humeri. collum quoque oneratum plumbo, pedes autem grauati saxo.* KaK*odæmoni terrori fuit.constantissimè cecidit.*

ENCOMION 218.

Tua, Procopi, supplicia cesserunt in decora.
implerunt manum thure, subiecerunt ignem,
vt videreris illud adolere ijs, quos spreueras, Dijs.
flagrauit igni dextera, fragauit thure;
sed fecerunt, vt esset vola manus ara constantiæ.
Ardentibus item prunis onerarunt dorsum;
sed fecerunt, vt explendesceret
pulchriùs, quàm Atlantis humerus.
maluisti ignem perferre constanter,
quàm astra ignea ferre iactanter.
non succubuisti labore defessus, vt Atlas:
solùm concepisti ex igni ardorem animi.
Frustra ceruices ipsas onerarunt plumbo,
vt eas simulacris inflecteres.
scilicet grauis non tibi fuisti, sed Dijs,
quia corporum obsessores exigebas imperio;
ne à te pœnis tuis torquerentur, orabant;
metuebant videlicet, ne tuo grauati plumbo,
profundiùs demergerentur in Stygem.
circumdati sempiternis Erebi flammis
reformidabant tuas futuras breues.
pedibus quoque tuis subiecti sunt lapides,
sed nunquam exilijsti maiore gaudio,
quia tibi videbaris habere sub pedibus, & calcare
fictos ipsos ex lapidibus Deos.

VII

VII. Idus Iulii

9. Iulii.

S. ANATOLIA

Martyr.

Synop. *Arreptitios solo afflatu curabat. à malefico, cui nomẽ Audax erat, immissos serpentes contẽpsit illæsa. quo viso commotus Audax veram religionem suscepit, & martyrium magna cum constantia subiit.*

ENCOMION 219.

Nihil tam extimescere visæ sunt Stygiæ vmbræ,
quàm Anatoliam.
nec mirum, quia lucis hoc Orientis est nomen.
Inhærentem humano corpori hostem
solo exegit spiritu.
nisi esset ille natura immortalis,
perterrefactum sua exanimasset anima.
quanti spiritus hęc heroina fuit,
quæ tàm vastum Titanem afflatu perculit?
cecidit ad eius pedes catenatus hostis,
perfregit hic vi, quo constringebatur, ferrum:
sed tunc maximè se captiuum fassus, ac seruum,
cùm solutus videbatur, ac liber.
Victrix iam illa de sæuitia serpentis primi,
non extimuit ceteros angues.
conatus est ipsam veneficus Audax nomine,
Marsorum superare præstigijs;
euocauit, immisit horribilem anguem;
sed opposuit hæc sibilis preces,
vibranti, ac trifidæ linguæ vnicam suam:
obstupuit auctor veneficij Audax,
factus est ex Audaci cautus.
quamquam tunc maximè nomen obtinuit suum.
quia ausus est pro religione deuouere etiam caput.
quid hac matrona fidentius, cui ipsa cessit audacia?

VI. Idus Iulii

10 Iulii. SS. SEPTEM FRATRES

Martyres.

Synop. *Filii fuerunt S. Felicitatis, item Martyris; cuius aspectu, & hortatu animati sunt ad ferenda supplicia. plumbatis immaniter cæsi sunt. necem constanter tulerunt. conferuntur cum coeli planetis septem.*

ENCOMION. 220.

Nullus victorijs auspicatior fuit campus,
quàm in quo ducem egit Felicitas,
in quo milites Felicitatis filij,
inter hos autem Martialis, & Felix,
ne aut fortitudini deesset omen,
aut victoriæ.
quos illa edidit in lucem, eduxit etiam in Solem;
nouum incitamenti genus fuit ad pugnam.
nam ne pueriliter languescerent, vt viriliter agerent,
materna respexerunt vbera,
memoria lactis elicuit sanguinem.
vsi sunt voce materna pro tuba,
crepundia cesserunt in arma.
non alijs militauere stipendijs,
quàm natalis pietatis.
trepidauit tantæ pugnæ Natura spectaculo,
sola non trepidauit mater,
immò gratulata est filijs necem,
habita tamen est pia,
quia felicitas excipiebat, quos Felicitas ediderat,
cœpit tunc religio non inuidere Cœlo,
quippe planetis illustrata septem.
nisi quòd hi fuerunt constantia fixi.
gauisi sunt globis se cædi plumbeis,
quia fecerunt virtutis stabilitati pondus.

V. Idus Iulii 11 Iulii.

S. PIVS

Pont. Max.

Synop. *Sub Antonino Pio constanter religionē tutatus est. Sacerdoti Christi sanguinem incautè tractanti poenam constituit. vetuit prædia templorum in profanum vsum cedere. anastaseos Christi diem statuit.*

ENCOMION 221.

Certasti cum ipso Cæsare titulis gloriæ,
nisi quòd tu nomine, ille cognomento Pius.
Antoninum assentatio dixit Pium,
veritas Impium,
vel superstitione in Deos, vel immanitate in bonos;
at in tuo sinu verè acquieuit Pietas;
hanc exercuisti primùm in ipsum pietatis parentem,
pius in eius sanguinem, qui ritè libatur,
sed amarus, & acerbus in eius flaminem,
qui nimis incautè suauissimum Cœli nectar
de inuerso effunderet cyatho.
meritò in testimonium pietatis datum à Deo munus
piè tractandum putasti.
domuisti fame obnoxiam culpę sitim.
Quin etiam magni Liberatoris anastasi
principem hebdomadæ statuisti diem,
princeps ipse sacrorum.
nempè cui cura fuit sanguinis in morte profusi,
& vitæ redonatæ fuit.
Idem vetuisti, prędia sacris dicata delubris
in profanum exteri domini vsum cedere;
liberam voluisti eam esse tellurem, & triumphalem
quæ suo tantùm seruiret auctori;
maius hæc decus à tuo accepit edicto,
quàm olim à vomere laureato.

12 Iulij.

IV. Idus Iulii

S. IOANNES GVALBERTVS

Abbas Vallis Vmbr.

Synop. *Cum supplici aduersario pepercisset, Christus è cruce pendens illi annuit. Instituit religiosorum hominum ordinem. cuidam penè demerso opem tulit. perniciosam maturę messi pluuiam inbibuit precibus.*

ENCOMION 222.

Vicisti, Gualberte, omniũ Ducum gloriã nouo titulo;
quia non vulnerasti hostem;
quia non imbuisti cruore mucronem.
pro nobilissimo tibi trophæo fuit
gladius, qui non fuit vsui.
Annuit prodigiosè de ligno salutis vindex
renuenti facere vindictam.
caput, quod inclinauit sibi perferenti mortem,
inclinauit tibi donanti vitam.
stabilitate propositi flexisti Deum.
Ad remittendum æstum efferuescentis iræ,
palæstram statim instituisti virtutis,
insignem nomine Vallis Vmbrosæ;
nisi quòd inter vmbras euasisti Sole clarior.
Didicit à te parens ipsa Natura parcere;
fecisti, ne Arnus fluuius inundans alueo
viatorem tibi supplicem vndis obrueret;
meruisti hoc, qui animum quondam tuum
ira tumentem frænaueras.
tuo quoque nutu coercitæ nubes
non perdidere pluuia maturam messem;
& hoc meruisti, qui alijs fueras frugifer;
non fuderunt illæ imbrem nocuum,
quia tu non fuderas sanguinem,
etiam nocentis.

III.

III. Idus Iulii.

13 Iulii.

S. ANACLETVS Pont. Max.

Synop. *Græcus hic natione fuit. Apostolorum Principis Petri tumulum munificè, ac piè ornauit. Statuit religionis Christianæ caput, & veritatis magistram Romam apud nationes omnes habendam esse.*

ENCOMION 223.

Nihil accepisti, Roma, maius à Græcia,
quàm Anacletum sapientiæ veræ magistrum.
nunquam illustriores visæ sunt Athenæ,
quàm cùm eum ediderunt in lucem.
obmutuit lycêum, cetera siluere gymnasia,
cùm ipsum audierunt docentem.
dedidicit Græcia quicquid tumentes Sophi
inani strepitu effutiere verborum;
quæ hic de religione dictauit, arripuit.
Viluerunt quoque veterum ornamenta fanorum,
etiam Apollinis Delphici anathemata,
cùm hic cœpit ornare Petri tumulum;
æquum esse putauit, ei dedicare marmora,
qui religionis esset fundamentum stabile,
prælatum est nouum piscatoris sepulcrum
antiquis mausoleis Cæsarum;
minores, immò humiles videri cœperunt
Memphiticorum Pyramides Regum;
vicit hic impensas seculorum immensas
non mole, sed pietate.
excipi voluit triumphales cineres nobili feretro.
Idem religionis reginam inaugurauit Romam;
præsidia salutis peti iussit à sacrorum præside.
constituit in Vrbe pro Palladio Fidem.

Pri-

Pridie Idus Iulii

14 *Iulii.*

S. BONAVENTVRA
Ecclesiæ Doctor.

Synop. *Animi pietatem cum doctrina præclarè coniunxit: hæreticos insectatus est acriter. editos libros incripsit titulis variis insignes. Seraphicus est appellatus ob pietatis ardorem. pars diuina dapis spontè ex ara se in os eius ingessit.*

ENCOMION 224.

Pulchrius in æde animi dedicasti simulacrum,
quàm quod Græci Hermathenam dixere,
ex Mercurio videlicet fictum, & Pallade.
iunxere illi sapientiam fortitudini,
tu pietati.
quamquam in te nihil tam forte, quàm pietas.
exterruisti religiosæ aduersarios vitæ
acie non ferri, sed calami.
quin etiam aggressus es expugnare mortales
nouo armorum genere.
nempè vnũ ex monumẽtis tuis instituisti Pharetram;
implesti eam à religione conflatis telis igneis;
alter verè pharetratus visus es Amor.
nisi quòd dici non potuisti cæcus,
cùm esses ingenio lynceus;
volitasti tamen, sed Cœlestium more alitum,
eorum, qui deflagrant proximè hærentes Deo;
horum tu meruisti, vt appellareris nomine,
hoc quodãmodo maior, ꝙ illi accepere de ara forcipe,
quem Vatis ori admouerunt pyropum:
ad te verò accedere verentem piè
vltrò Deus ipse accurrit ex ara.
sideritem lapidem referres, nisi tu, non vt ille ferrum,
sed emollitum pietate
conditorem ad te traxisses siderum.

Idi-

Idibus Iulii 15 *Iulij.*

S. ANTIOCHVS

Martyr.

Synop. *Medicinam exercuit. praefertur Antiocho, Soteri dicto. auidus martyrii fuit. exiliit è vulnere mirè lac pro cruore; quo prodigio commotus carnifex religionem verã amplexus est, & martyriũ constãter subire voluit.*

ENCOMION 225.

Non tam celebre fuit Antiochi nomen
eius, qui dictus est Soter,
quàm huius, qui medica arte saluti consulens
celebrauit verè Soteria. *σωτήρια Salutaria Festa.*
insignis in morbis sanandis fuit,
quia & Apollinem spreuit, & Aesculapium,
Panchrestum fecit sibi salubre per vulnera.
cùm secari iubebat alterius venam,
suas omnes exhauriri optabat;
non è brachio, sed largiùs è ceruicibus sanguinẽ mitti,
non tenui, ac summa ferri cuspide,
sed tota & profunda securis acie.
nisi quòd pro cruore lac misit;
abiere mirum in modum ceruices in mammas,
vt adolesceret lacte religio.
hæsit lictor, cum cruentas aliorum cæde manus
liquore lacteo vidit albescere.
concepit ex animo repentè candorem.
excanduit in auctorem cædis tyrannum,
abiecit protinùs & secures, & fasces,
perferre paratus, quæ afferebat arma.
nec mora: fractæ sunt statim lictori ceruices,
sed infractus stetit animus.
quanta vis eius fuit Antiochi lactis,
quo nutrita creuit pietas tàm citò, tam fortiter?

XVII.

16 Iulii.

XVII. Kal. Augusti

S. ATHENOGENES

Martyr.

Synop. *Discipulos, quos instituit, habuit Martyres. cũ ipse ad stipitẽ ligatus esset, vt acriter cæderetur, obtorpuit primò lictoris manus, ceruam habuit, quę postea quotannis ad eius aram, quem pepererat hinnulum, deferebat.*

ENCOMION 226.

Meritò dederunt Athenogeni nomen
sapientia illustres Athenæ.
quos hic habuit auditores,
vidit philosophantes in pœnis omnes,
philosophatus est ipse magisterio virtutis.
à Philomacho judice argumenta religioni obiecta
catenatus soluit.
propositas ante aras coronas Dijs
sibi vendicauit victor, ac suis.
lignum, in quo est colligatus ad verbera,
suggestum sapientiæ fecit;
iudex potius visus est stipes;
diuinitùs quoque statim lictor obtorpuit,
arma delapsa de manibus iacuerunt humi.
sed ne victoria careret laude martialis pugnæ,
ipse vim, ac robur reddidit hosti.
Excepturus iam ceruicibus ferrum,
ceruam, quam alebat, dimisit liberam;
scilicet non fuit locus fugaci, ac meticulosæ ceruæ;
vbi daturus erat ipse exempla virtutis interritæ.
verùm illa miro modo quotannis soluebat votum:
quippe hinnulum recens in siluis enixa
tanquam victimam ducebat ad eius aram.
malebat cerua, suam sobolem præsuli adoleri,
quàm sibi adolescere.

XVI.

XVI. Kal. Augusti

S. ALEXIVS

Romanus. 17 *Iulij.*

Synop. *Posthabitis clarissimis nuptiis, peregrinationem occultè instituit. deinde reuersus, in paterna domo apud scalarũ gradus habitauit ignotus, & ludibrijs seruorum expositus. tandem in morte agnitus ex scripto, quod manu tenebat.*

ENCOMION 217.

Nullum dedit maius Virtus Romæ spectaculum,
quàm cùm Alexium opibus, & forma florentem
intrusit in angulum paternæ domus;
vt efferret illum ad fastigium gloriæ,
abiecit apud scalarum gradus.
proh pietas: Romani Senatoris filius
tugurij angustias præposuit lato clauo,
pallorem purpuræ.
peregrinatus est Mundi ciuis;
circumtulit latè per orbem terræ oculos,
sed nihil se ipso admirabilius vidit.
Philosophatus est sub porticu
sapientiùs tacendo, quàm ambulando.
Vbi superbum seculi vicit fastum,
in patriam vrbem rediit
onustus opimis spolijs,
tunc maximè, cum penè spoliatus, ac nudus.
Capitolium paternam fecit domum.
trophęa suspendit vel tolerantiæ, vel pudoris,
nuptialem respuit thalamum,
vt se obnuberet;
quamquam calamo se nobilem fecit in morte;
agnouit ex scripto filium Conscriptus pater;
tunc agnitum est, quod latebat, auri pretium,
cum auri modo expalluit morte.

XV. Kalend. Augusti

18 Iulii.

S. SYMPHOROSA Martyr.

Synop. *Magni hac animi mulier septem filiorum martyrum mater fuit; quos generosè cohortata est ad supplicia constanter, ac strenuè subeunda: ipsa nobili exemplo præcurrens, saxo de collo suspenso, in mare demersa est.*

ENCOMION 228.

Visa est conqueri primò Natura cum matre,
quòd haberet in votis filiorum necem;
nisi quòd postea sensit,
eam in votis potius habuisse vitam.
præcucurrit in aciem prior,
signa contulit, pila commouit,
animauit ore melius, quàm olim vtero natos,
quia maiores ore hauserunt spiritus.
collum, vnde generosa vox prodijt hortantis,
grandi onerarunt saxo;
sed omen id fuit firmitatis, atque constantiæ.
libenter se in profluentem mergi siuit,
vt haberent filij quasi sacram anchoram,
ne procella turbaret instabiles.
quasi iactus est lapis vnà cum gemma
in fundamenti decus.
excitando pietatis in sublime fastigio
Vnus natorum Crescentius omen dedit.
quò ipsa profundius est demersa,
hòc soboles erectiore fuit animo.
effecit hostis, cùm lapidem admouit gutturi,
vt materna verba apud filios maius haberent pondus:
effecit idẽ, ne hi matris aspectu emolliti languescerẽt;
nam cùm eam viderunt constantia penè lapideam,
obduruerunt & ipsi morti.

XIV.

XIV. Kal. Augusti

SS. IVSTA, ET RVFFINA

19 *Iulii*

Virgines, & Martyres.

Synop. *Iussæ ambæ hæ Virgines Hispalenses Veneris simulacrum colere, illud potius comminuerunt. confertur hoc cum Diomedis Homerici facto, à quo Venus vulnerata dicitur. tandem simul expetitam oppetierunt mortem.*

ENCOMION 229.

Proferat nunc suas Hispalis heroinas;
nempè virtus Hispanica & in fœminis viget,
Iusta, & Ruffina duo dedere spectacula,
alterum religionis, alterum constantiæ,
Alij alijs de Dijs fecerunt stragem,
his, vt virginibus, fuit hostile in Venerem odium,
nihil putarunt à se fieri posse venustius,
quàm vt simulacrum frangerent Veneris;
comminutum redegerunt in puluerem,
vt ipsa sese tumularet Venus;
fecerunt verè Libitinam.
vnum illa acceperat olim à Diomede vulnus,
sed Homerica fuit fabula.
ab his certè tot accepit vulnera,
quot est in frustra concisa.
Hesperus dicta Venus, aptè apud Hesperiam occidit,
nunquam iustior fuit Iusta,
quàm cùm idoneas de Venere sumpsit pœnas:
nempè frangi debuit,
quæ studet frangere corda mortalium.
comminuta Venus non modò formosa non fuit,
sed omni caruit forma.
venustas omnis abijt in hostes Veneris,
cum pro religione fuso rubuerunt sanguine.
vt infractā se vi hominis virtus ostēderet, fregit Deos.

XIII. Kal. Augst.

S. MARGARITA

Virgo, & Martyr.

22 Iulij

Synop. *Cùm in ignem pro religione fuisset iniecta, nihil accepit detrimenti. KaKodæmonem sibi draconis specie oblatum spreuit: draconis dirumpi visa sunt viscera. huius margaritæ pretiū commendatur, ac ceteris præfertur unionibus.*

ENCOMION 230.

Viluerunt Indicæ omnes, ac Britannicæ Margaritæ
cum hac vna collatæ.
clarior hæc, quia in rubro inuenta mari
sanguinis sui.
verius de hac poterit illud dici,
Sueton. Margaritæ societatem cœli maiorem esse, quàm maris,
quanquam mirata est Natura contra morem factum,
vt inter procellas, & fulmina suppliciorum
palloris hæc contraheret nihil.
in ignem coniecta, affecta est luce, non fumo;
ferro est expolita, non fracta.
Accepit in aureo monili religio
Vnionem nulli pretio parem;
Frustra, ne liquesceret in poculum imperatori Deo,
veneno illam inficere conatus est draco;
ex Plut. nempè veterarius hostis speciem resumpsit veterem,
sed noua virtute fœminæ est oppressus;
nam statim ac illa vafritiem, & fraudem increpuit,
crepuit ipse, inuido rupta sunt ilia.
iactet Roma diuitum matronarum luxum,
quòd non modò gestarint, sed calcarint margaritas;
hoc magnificentiùs religio prædicat,
quòd Margarita calcarit eius luxus auctorem.
dux hæc profectò dicenda est ceterarum concharum,
quæ tanta præstitit ad cauendum solertia.

XII.

XII. Kal. August.

S. VICTOR 21 Iulij

Martyr.

Synop. *Iussus diuinos honores exhibere Ioui, tantum absuit vt eum coleret, vt potiùs eius simulacrum pedibus conculcaret. quare obrǔ pes ei detruncatus est. mola quoq. versatili est impositus, quæ illum lædere non potuit, damnis immunem.*

ENCOMION 231.

Nunquam laurea tantum aut accepit decus, aut dedit,
quàm cum redimiuit Victorem ipsum.
abstulit hic triumphales laureas è sinu Iouis,
accommodauit capiti suo digniùs.
quòd frustra conati sunt coniurati Titanes cuncti,
aggestis tot, ac tantis montium molibus,
hoc vnus perfecit Victor, & sine labore.
nam Iouem in simulacro venerari iussus,
statim deturbauit ex ara præcipitem.
parum hoc: subiecit pedibus, conculcauit.
victricem eius aquilam Victor edomuit.
desierunt flamines minitari illi Iouis fulmen,
cùm viderunt ab ipso fractum.
erubuisset Iuppiter, nisi versus esset in lapidem.
non extimuit ille malorum procellas,
qui habuit sub se Tonantem.
amputauit hostis generosum pedem;
scilicet debuit deinceps sidera calcare, non terram,
qui & sidereum calcasset Iouem.
immò non egebat pedibus Victor,
quia Victoria fertur alis.
versatili postea circumactus est mola,
sed frustra, quia vel stelliferis reseruatus est orbibus,
vel æternitatis orbitæ.
frangi saxo non debuit, qui fregerat in saxo Iouem.

XI.

XI Kal. Augusti.

22 Iulii

S. MARIA MAGDALENA
Resipiscens.

Synop. *Eius admirabilis pietas, lacrymæ in conuiuio ad Christi pedes fusæ, crinium solutio, vnguenti effusio commemorantur, & commendantur. Galliam Narbonensem suo aduentu, & postea reliquijs corporis cohonestauit.*

ENCOMION 232.

Didicit ab hac vberiùs eloquentia fluere,
orauit, perorauit, non lingua, sed oculis.
vt sobria fieret, inter epulas se immisit, & vina,
immò vt fieret cum laude ebria.
Ouid. huic vni inter Cererem, & Bacchum refrixit Venus.
capillum admouit, quem calamistro inusserat,
vt & is, quem amabat, arderet amore.
stratagemate vsa est, antiquitati non nouo,
vibrauit scilicet tela vibratis ferro crinibus;
Plutar. hoc nouum, quòd irretiendò se ipsa fecit prædam.
fudit vnguenta de concha, de oculis lacrymas;
nec tamen harum illa æquarunt pretium.
dum flagrat, & fragrat,
conuiuium illi cedit in conuicium;
sed inter obtrectatorum tela,
præfertur ipsa cunctis iaculandi peritia.
quia præuenit obsequium morituro,
prima vidit redditum vitæ,
vrnam lacrymarum est nacta, non cinerum.
vidit quasi terræ cultorem
eum, à quo didicerat aspernari cultum;
& quia rusticum putauit, minùs vrbanum audijt;
tangendum se dixit ille inter astra, non rastra;
tandem ipsa Narbonẽsi Galliæ nobilem obtulit comã,
potuit & hęc Galliæ pars dici Comata, sed pulchriùs.

XI.

XI. Kal. Augusti

S. PLATO

22 Iulii

Martyr.

Synop. *Veteri Platoni præponitur. in ignem coniectus miram quandam odoris fragrantiam emisit. sphæra ignea pectori ad supplicium est apposita. cæsus boum neruis, & excarnificatus dirum in modum vngulis ferreis.*

ENCOMION 233.

Sapientiùs est hic philosophatus in carcere,
quàm alter Plato in Academia.
cesserunt huic supplicia in flores, lictores in apes,
tametsi inter aculeos est impunè versatus;
cruenta nex melle dulcior fuit.
non tam alteri iucunda fuit vmbra platani,
quàm huic flamma, quam subijt;
lusit circa corpus flamma non læsit,
immò cùm putaretur ipse in rogo combustus,
pro nidore, mirè suauem reddidit odorem,
fragrans exijt ab igne, non flagrans.
potuisset videri ex odorato rogo phœnix,
si priùs abijsset in cinerem,
renatus est igne, licèt non ante denatus.
imposuerunt, & mãmillis igneã ad cruciatum sphęram;
sed fecerunt ad decus in spæra galaxiam.
Cæsus est boum neruis,
scilicet exararunt boues membra vulnerum sulcis,
vt fruges existerent cum gloriæ messe.
Vncis etiam laceratus est ferreis,
vt paterent penè præcordia.
at aperto pectore, nescias, vtrùm fuderit
plus sanguinis, an plus sapientiæ.
cùm noster philosophiam edidit Plato,
desijt alter dici diuinus, hic cœpit.

X.

X. Kal. Augusti

23 Iulii

S. APOLLINARIS

Episcop. Rauen. M.

Synop. *Serapidem præcipuum Aegyptiorum Deum è medio sustulit, eius simulacro destructo. usum linguæ Bonifacio muto dedit, eiusque filiam arreptitiam curauit. ignem calcauit illæsus. lapidum ictus pertulit.*

ENCOMION 234.

Nihil infensius habuit Osiris, idemque Serapis,
quàm Apollinarem. *Mich. l.*
nactus est hunc acerbiorem Typhone fratre;
linguam illi eripuit, silentium indixit.
plangere tristiùs cœperũt Hierophãtę Mẽphitẽ bouẽ, *Tibul*
ne mugitum quidem edere valentem.
ingressi Serapium inconsulti abierunt,
accepturi non nisi ab Apollinari consilium.
At hic, qui mutos reddidit Deos,
facundos fecit ex mutis homines:
tale præstitit nobili viro Bonifacio beneficium,
addidit alterum filię,
pulso Stygio hospite corporis.
Iussus est super ardentes prunas incedere;
scilicet dedidicerunt impunè calcare ignes
pedes calcaturi sidera,
per flammas illustre nactus est iter ad gloriam.
contusum est os lapide,
quia iubendo clauserat os Serapidis;
sed lapis omen constantiæ fecit,
quia solidiora aduersus ipsum ex ore protulit verba;
lapideis Dijs quasi lapidea opposuit probra.
minus iucundi visi sunt Apollinares ludi,
cùm multò iucundiore spectaculo
Apollinaris lusit Deos.

IX.

IX. Kal. Augusti 24. *Iulij.*

S. CHRISTINA

Virgo, & Martyr.

Synop. *A parente impio intra turrim clausa est, ibi Deorum simulacra aurea contriuit, & aurum ipsum pauperibus elargita est. in fluctus deiecta cum saxo. in cunis ferreis locata. mamma quoque ei abscissa.*

ENCOMION. 235.

Superasti, Christina, omnem Amazonum gloriam,
victrix non in campi, sed in Deorum puluere.
ab opulento parente, sed impio
intra turrim clausa inter aureos Deos
fregisti signa, comminuisti; *Mitbol.*
auri frusta partita es inter egenos;
cesserunt in spolia nudorum pauperum Dij.
opposita fuisti Danae;
illa intra turrim facta est aurei Iouis præda;
tu prædam ipsum fecisti Iouem.
demersa es in profluentem, etsi frustra, cum lapide,
quia dilapidaueras bona Deorum,
sed ibi initiata es, & lustrata diuinitùs:
vnda nitorem, lapis firmitatem dedit.
cùm primùm ex aqua illa ritè renata es;
nouum genus pœnæ tulisti, sed aptum:
quippe ferreas Præses iussit extrui cunas,
ijs te imponi igne candentibus.
at nunquam maiore fuisti animo,
quàm cùm iacuisti in cunis, vt paruula:
immò cùm oleum superinijci iussit,
pugilem fecit ex pupula;
cùm mammas præcidi, fecit Amazonem.
denique quia è cunis fueras recens egressa,
congruenter lac pro cruore manauit.

VIII. Kal. Augusti

25 Iulii

S. CHRISTOPHORVS Martyr.

Synop. *Pellici bonam mentē indidit, quæ postea ob religionis studium, collo simulacri Iouis iniecta zona, deturbauit illud in præcepi. ipsius baculus humi fixus euiruit. pueri specie Christum baiulauit gigas. sagittis frustra ictus.*

ENCOMION 236.

Aequasti animo, vel potius vicisti corporis molem;
gigantem te esse, ideo lætatus,
vt bellum verè indiceres Dijs,
nisi quòd Terrigenis visus es maior;
siquidem dedignatus ipse cum Ioue contendere,
muliebri opera vsus es feliciter;
pellicem enim ad te missam remisisti alia mente,
nouo more egit; soluit zonam, vbi facta est pudens,
vsa est pro lictorio loro, sua zona,
quippe hac ceruicibus Iouis iniecta,
deturbauit eum ex ara præcipitem.
putabat hostis, te Herculi statura parem
posse etiam insanire amore pellicis pari;
sed apparuit virtus tua maior;
quamquam leonem vicit ille, tu lupam,
sed id genus lupæ, cui leonum domitor cessit.
meritò sagittis confici non potuisti,
qui sagittas confregeras venanti Cupidini.
nobiliorem Herculis claua gestasti manu virgam,
quæ humi fixa prodigiosè euiruit statim.
illa Naturæ monstra deuicerit, hæc Naturam.
Insedit tuis humeris paruulus, sed maior Cœlo,
mirū. tunc fuisti nō modò prçstātior Alcide, sed fortior,
cùm tibi fuit necesse succumbere
diuino vel oneri, vel honori.

VIII.

VIII. Kal. Augusti 25 *Iulii.*

S. IACOBVS

Apostolus.

Synop. *Vnà cum Ioanne dictus est à Christo tonitrui filius. sæpè visus in bello præsto esse pugnantibus Hispanis. superauit, cùm viueret, Hermogenem magum præstigijs insignem. cùm duceretur ad mortem paralyticum obuium sanauit.*

ENCOMION 237.

Tam eximiæ virtutis heroem
iure sibi deposcebat Hispania:
nempe grauidam hanc fulminibus belli
is sibi propriam debuit facere,
qui dictus est tonitrui filius.
coruscauit vbique prodigijs,
in Mauros tonuit ingenti fragore,
telis palantes oppressit igneis;
cataphractum etiam egit equitem; *Val. M.*
admisso, & incitato excurrere visus est equo;
desijt Castores suos Roma iactare,
cùm hic Hispanis equitauit in castris;
At quid mirum, quòd ei cesserunt arma Maurorum,
cui olim arma Magorum? *vid. adag.*
Hermogenis præstigias damnauit Styge.
exarmauit venenò angues, armauit se anguiũ prudẽtia.
ideò ipsi decus Regni ambitiosè petenti
promissus est cyathus mortis, an vitæ?
vt verè mortiferas Circes eluderet pocula.
Deniq; cùm inuicto animi robore duceretur ad mortẽ,
paralysin obuio sanauit ægroto.
quàm hic neruosè, ac validè subijt necem,
qui necandus alios solutis esse vetuit neruis?
felix natio, cui pro munere immortalis obtigit cinis;
hinc tm̃ roboris, ac neruorũ prętefers, victor Hispane.

Tt 2 *VII.*

VII. Kal. August.

26 *Iulii.*

S. SYMPHRONIVS

Martyr.

Synop. *Cùm adductus esset ad simulacrum Martis, vt illud coleret, eius aspectu mirè liquefactum est, immò in cœnum turpiter versum. Solis etiam simulacrum spreuit, quàmobrem vnà cum Olympio in ignem coniectus est.*

ENCOMION 238.

Nemini admirabiliùs obtigit laurea, quã Symphronio.
nam ceteri decernunt, vt vincant Marte propitio,
at hic vicit aduerso.
parùm hoc, Martem ipsum strauit in acie;
iussus ei honores exhibere diuinos,
lapideum simulacrum prodigiosè emollijt primò,
tum deforme vertit in cœnum;
nempe hoc ineunte pugnam,
defluxit omne Martis robur, elanguit vigor,
remissus est æreus arcus,
adamantinus liquatus est thorax;
Mitbol. totus campi puluis cessit in lutum;
hoc certè Veneris debebatur amasio.
Ductus ille deinde est ad simulacrum Solis,
iterum probata bellatoris virtus,
hoc clariùs, quia prodijt in Solem.
sed qui reuerterat à tam illustri de Marte victoria,
spreuit & Solem.
ante huius aram accensa grandis est pyra,
iniectus est, arsit.
nimirum certare voluit de luce cum Sole,
resplenduit in igne & pulchriùs, & ardentiùs.
ὁλολαμπὴς totus lucens. adsciuit sibi sociũ, vel victoriæ, vel splendoris auspicio,
cum in primis, cui vel à certamine, vel à Cœli fulgore
nomen erat, Olympio.

VI.

VI. Kal. Augusti

SS. SEPTEM DORMIENTES Martyres.

27 *Iulii*

Synop. *Sæuiente in Christianos Decio, cùm intra specum se abdidissent, annos multos prodigiosè obdormierunt; postea egressis, ex numo signato in pretium dato agnitus est longæuus sopor. tandem pro religione necati.*

ENCOMION 239.

Dulciùs obdormistis in dura specus silice,
quàm ceteri in molli thalami purpura.
nulla vis somnum vobis abrupit, aut soluit,
quos vna colligauerat pietas.
altus vos occupauit sopor,
sed mens longè fuit altior,
iacuistis, sed erecto animo.
in tam tenaci sopore languor non fuit.
illæ, quas leniter submisistis ad quietem,
promptę erant ad ictum, & expeditæ ceruices.
non membra laxauit, sed intendit quies.
non grauauit, sed extulit.
condidistis natantia, sed sine naufragio, lumina?
inter sæuas religionis procellas
vobis tantùm quiescere licuit;
verè tunc dictus est somnus, portus vitæ.
in hoc tantùm Mors non agnouit fratrem,
quia similior hic fuit vitæ, quàm ipsi. *Senec.*
nihil potuit accommodatiùs fieri,
quàm vt latentem diù in specu thesaurum
proderet numus.
tam profundũ, occultumq; silentium cõpensauit Fama
facundo, claroque præconio.
iam non licet vobis iterum obdormiscere.
in tam arguto eius tubæ sono.

IV.

VI.Kal.Augusti

S. PANTALEON

Martyr.

27 *Iulii.*

Synop. *Medicinę arte præstitit. paralysin maximè curare solitus ante Deorum simulacra ductus, ea terræmotu diuinitùs impetrato confregit. frustra petitus ad bestias. frustra primo vulnere ictus. demum lac pro cruore fudit.*

ENCOMION 240.

Minus sibi habere visa est Natura præsidij,
cùm tuam in morbis præstabilem sensit opem.
more eorum, qui se dedebant victi,
tibi illa, quam protulit, salubrem porrexit herbam;
vnus in vniuersam febrium inuasisti cohortem.
Vid. adag. dissoluta in primis solidasti membra,
scilicet qui totus in ea versabaris cura,
vt in pugna pro religione inita
firmus esses, & constans;
nisi quòd nutu commouisti terram,
vt simulacra Deorum ruerent.
curasti homines, vulnerasti Deos.
sed nimirum soliti erant Dij
Homer. inferre ipsi sibi inuicem vulnera:
qui mitigasti morbos, mites in te fecisti feras;
sed maius hoc, quòd ferinum animum lictor exuit;
flexus est, quia & ferrum vidit mirè, dũ stringitur, flecti,
immò instar ceræ penè liquescere:
atqui tunc maximè tu obduratus es in ferrum;
impetrasti à lictore alterius aciem gladij,
qui nesciret tibi parcere prodigo sanguinis;
quamquam lac pro cruore fluxit è vulnere.
quantus te incesserat moriendi ardor!
quo cum penitùs incanduisses,
etiam cruor efferuescens in spumam, lacteus canduit.

V.

V. Kal. Augusti.

SS. NAZARIVS, ET CELSVS Martyres.

28 Iulii

Synop. *Aspectum Nazarii reueritus est tyrãnus & in Celso puero magnitudinem admiratus animi. simulacra Deorum deiecerũt ex aris. frustra ipsi deiecti in mare. tandẽ necati sunt. corpora multò post inuenta ab Ambrosio, & recondita.*

ENCOMION 241.

Mirata tuum est, Roma, Nazari, consilium,
quòd pugnaturus cum Nerone Cęsare,
commilitonem adsciueris puerum,
nisi quòd is & nomine fuit Celsus, & factis.
ferunt, te maiestate oris, & vibrata luce frontis
hebetasse tyranni oculos, quos acuerat furor.
at Celsus puer stetit ipso celsior Cęsare,
augustali sublimior solio;
non exhorruit tetricum minantis supercilium;
non ferrum cruentum cæde materna;
visa sunt crepundia secures, & fasces.
Vidistis vestros ante pedes comminutos Deos
nulla vi, sed ipso nutu.
iacuerunt illi, vobis erectis.
deiecit vos in mare Nero, sed stultè,
quia non potuit obrui profundo Celsus.
enatastis ambo superiores fluctibus;
scilicet facile fuit superare vndas,
superata iam orbis terræ face, Nerone.
sed expiare tamen voluistis cruore pio
paricidale ferrum.
latuistis postea diù; distulistis triumphum,
vt esset apparatior.
triumphalia refodit arma dux Ambrosius;
recẽtẽ obtulit laureã, quia & cruor inuentus est recẽs,

IV.

IV. Kal. *Augusti*

29 Iulii.

S. MARTHA

Virgo.

Synod, *Commendatur eius obsequium erga Christum, & cum eodem familiaritas. demum in Galliam est profecta, vbi virgines Deo consecrauit prima. Gallos ipsos vera religione imbuit, & aqua lustrauit, abolita veteri superstitione.*

ENCOMION. 241.

Regia cuncta vicerunt obsequia,
quæ præstitisti maximo regum, Virgo;
fecerunt, vt breui moriturus Deus
imperaret longæ fratris morti.
Laconico ad illum more, cum sorore, scripsisti,
sed nihil vberius scripsit Græcia;
quia manarunt vbertim lacrymæ.
Vidi. adag. dignas scripsistis literas cedro,
at quæ funebrem remouerunt cupressum.
miscuit Deus lacrymis vestris suas,
deuinctus precibus soluit à morte germanum;
sed vt solueret citiùs, obtulit obligatum.
In fratris morte laudanda es immortaliter;
nempe cui sermo fuit de perpetuitate viuendi
cum familiari auctore vitæ.
traiecisti postea in Galliam cum exarmato nauigio,
sine velo, sed velatura virgines;
siquidem sacrum parthenonem instituisti prima.
auolarunt statim victæ Dodonæ columbæ,
cùm tuarum eximius candor enituit.
tibi, vt parenti virginum, Gallia maximè placuit;
quia candidis decoranda lilijs.
Ad Aquensem regionem appulisti.
accepisti videlicet omen loci,
aggressi sunt statim Aquenses lustrari aqua.

III

III. Kal. Augusti

SS. ABDON, ET SENNEN

Martyres. 30 *Iulii.*

Synop. *Fuerunt hi è Perside Reguli. Solem patrio more diuinis honoribus prosequi noluerunt; immò in eius simulacri faciem inspuerunt. famelicis leonibus sunt obiecti, qui nihil omnino eis detrimenti attulerunt.*

ENCOMION 243.

Regali Persarum prosapia editi
viciſtis opibus animi
Perſicos ipſos apparatus. *Horat.*
tunc veſtra virtus effulſit clarior,
cùm ſpreuit, quem colere iuſſi fuiſtis, Solem.
Anaxagoras pœnas olim dedit, vt impius,
quòd Solem dixiſſet lapidem, *Plut.*
vos pœnas pertuliſtis, vt pij,
quòd negaſſetis Solem lapideum Deum.
noluiſtis aut errare cum erratico ſidere,
aut deficere à fide, vt ille deficit luce;
occidere maluiſtis, quàm illum aut orientem,
aut occidentem colere.
quinimmò non dubitaſtis in faciem Solis inſpuere,
cœpit maculoſior Sol haberi, quàm Luna,
ſi dicenda labes eſſet,
quæ ore ſaliua defluxit aureo.
vel hoc præſtantior apparuit virtus,
quòd tunc temporis ſuperaſtis, ac ſpreuiſtis Solem,
cùm ille erat in Leone,
cùm exardeſcebat in lucis ſpicula.
quinetiam in amphitheatrum producti,
leones, quibus eſtis obiecti, generosè viciſtis.
mirum ſpectaculum. leonum animoſa vis omnis
ſuam ſe transfudit in prædam.

Pridie Kal. Augusti

31 *Iulii*

S. IGNATIVS LOIOLA

Societatis IESV parens.

Synop. *In bello cùm ictum esset crus tormenti pila, resipuit. inter multa eius pietatis argumenta procacem iuuenē intra gelidum lacum increpitās à flagitio reuocauit. multa edidit prodigia. intra eius tumulum stellæ scintillare sunt visæ.*

ENCOMION 244.

Quid in te fuit, parens magne, non mirum?
à belli flamma, mentis auspicatus es lumen;
ab arcis ruina, celsum fastigium gloriæ;
à terræmotu, constantiam;
ab ictu bellici fulminis, vitam.
murale tormentum aperuit virtuti aditum;
globus igneus stabilem te, & quadratum fecit.
tunc abstinere cœpisti à vitę ludo,
cùm excepisti pilam;
tunc certior euasit tua salus,
cum dubia fuit Martis alea.
quæ vulnus inferius obligauit fascia,
ea sanctitatis altius prætulit diadema:
mira res. ambo heroes, Franciscus, & Ignatius,
auspicati pietatem estis à crure saucio,
ille loro, tu telo.
excursuri licèt orbem terrarum ambo,
ille itinere, tu consilio.
ostēdistis, ad culmen gloriæ gradum fieri per vulnera:
iam tum prætulistis ambo diadema sanctitatis,
cùm incessistis crure vittato.
Plut. nam dictū de Pōpeio est, obligante crus sauciū fascia,
parum referre, quo in loco diadema gestetur;
Refrixisti ab æstu futilis gloriæ telo igneo;
accendisti pudore iuuenem glacie tua.

quan.

quantus fuisti heros,qui vincere valuisti
etiam manu torpente?
paludatus imperator redijsti è castrensi palude;
nouum spectaculum Herculeo maius,
intra lacum non hydra,sed eius domitor fuit,
vt cederet in fontem gloriæ lacus.
passus es,constringi,& cogi te frigore,
vt iuuentus liberior esse desineret.
inter duras glaciei crustas
peruicacem emollijsti animum.
pietas intra eã crystallũ & pulcrior,& maior apparuit.
inter Aquilonis gelida flabra
ardentiora emisisti suspiria.
potuerunt cetera membra gelu vinciri, non oculi,
quos tunc maximè soluisti effusus in lacrymas.
Meruisti,Ignati,idẽ,quod magnus olim Moses,elogiũ,
vt diceréré Dei digitus;
scilicet & tu Naturam obstupefecisti prodigijs.
vnus hic digitus tot Tyberi subdidit Barbaros,
quot alluit circumfusus Oceanus.
subiecere captiuas innumeri populi manus
vnius Ducis constrictas digito;
hoc tamen in te Dei digitus operatus est nouum,
quòd non sparsit,vt olim, cinerem ad perniciem,
sed mortuos excitauit ad vitam, ne abirent in cinerẽ.
nõ tenebras fudit,sed illud,quo radiare visus es,lumẽ.
Quin etiam tui digiti scribentis edicto
multati sunt exilio infesti nostris ædibus Lemures.
parùm fuit,ijs eripere obsessa mortalium corpora,
nisi explicares obsidione domus Lauretanæ viciniam.
absens licèt Imperator egisti triumphum,
victor de laruatis Laureti hostibus laureatus,
si fas est dicere;penè plus potuisti vnus edicto absens,
quam cohors prætoria Cœlitum cicumsistens.
factum benè: atramento hostes abegisti atros.

quanquam debet vel hoc notis inſcribi aureis;
quòd Vmbras ſcribendo depuleris nigras.
meritò conſignatum eſt memoriæ literarum,
quòd reſignatis viceris literis.
acriùs,& feliciùs pugnaſti acie calami,
quàm antea ferri.
quàm inaudita fuit tui vis fulminis;
quo percuſſiſti hoſtem,vel Laureto tectum?
quantùm impios terruiſti Manes imperio,
qui fugaſti nutu?
At initium tam illuſtris virtutis dedit obſcura ſpecus;
clariùs philoſophatus es ſub eius vmbra,
quàm olim Gymnoſophiſtæ ſub Sole:
quanquam & Mithram Perſarum Solem
in antro latere dixerunt.
meruiſti,vt Margarita Hiſpaniarum Regina
acceptum lapillum vnum è tua ſpecu
præponeret innumeris è Tago collectis;
ipſum deinceps Margaritæ nomen
ſibi vilius fuit.
nunquam metuendus magis fuiſti Erebi caſtris,
quã cũ exarmatus ſuſpendiſti gladiũ de tholo templi.
Magnæ Virgini ea vouiſti arma,
quibus deuoueras virginitatis hoſtem.
excanduiſti in virginalis tutela candoris;
penè gladiũ infeciſti sãguine,ne hic infeceretur ꝓbro.
Denique clarior fuiſti puluere ſepulchri,quàm cãpi-
tuus ille, quaſi Solis,fuit occubitus:
quia non aliæ arſere tædæ,quàm ſidera;
mirè deſcriptas habuiſti Cœli rationes in cinere,
cui matheſeos eruditus cederet puluis;
in magiſterio virtutis,pro radio radiata frons fuit.
feciſti,vt aſtra,quę dominari falſò putabãtur in viuos,
tibi verè famularentur emortuo.

F A-

FASTI
veterum Romanorum, atque Græcorum collati cum nostris.



AVGVSTVS.

EX Sextili dictus est hic mēsis Augustus,quia Cęsari Augusto auspicatus fuerat; hoc .n. mense, & primùm consul est creatus; & victorias reportauit multas;& *Sueton.* ex Ianiculo legiones deductas in suã recepit fidē, & Aegyptũ in potestatē redegit;& ciuilis belli ꝓcella detonuit. quamobrē, & Senatusconsulto, & plebiscito decretũ est, vt Sextilis mēsis diceretur Augustus.Sed is honor *Augustino* potius,qui in hunc mensem incidit immò in eum ipsum diem, qui olim Victoriæ dedicatus erat, tribuendus esset, inuicto *Gyral.* videlicet religionis duci. Græci appellarunt hunc mensem Boedromionem à Boedromijs, quę celebritas erat cuidam velut excursioni similis,quæ cum acclamatione fiebat, vnde & vocabulum deductum videtur, à voce scilicet, & à cursu, quod Philochorus, & Harpocration in Iouem referunt, qui opem Atheniensibus tulisset aduersus Eumolpum pugnantibus; & βοηδρομεῖν aiunt significare, opem præstare, atq; ad pugnam currere. Sed hanc diuinam opem verius, ac certius experti sunt bellatores nostri, certè Kalendis ipsis testatur hoc *Petrus*, solutus ab vno Cœlitum ferro, ac liber abire iussus. At verò ab Aegyptijs dictus est hic mensis Mesori; fuitq; Harpocrati Deo sacer,quem admoto digito ori fecere silentij Deum. nobis tamen in tanta nostrorum gloria silere non licet. Fuit autem Sextilis mensis apud Romanos in tutela frugiferæ Cereris;apud nos est in tutela eorum Cœlitũ, quorum opera tanta vbique terrarum religionis seges excreuit,tanta collecta gloriæ messis:ad quem vsum adhibitum est id,quo cęsi sunt,ferrum.

Kal.

1 *Augusti.* 16 462 *Liuius.* *Goltzius.* Kal. August. Fuit hic dies insignis Romæ triumphis duobus:alterum Romulus de Camerinis egit in vrbe nascente; alterum Q.Fabius Max.de Samnitibus in adulta. Sed vtriusq; triumpho,præsertim Romuleo opponitur,ille, qui nouo more dux,& imperator religionis catenatus egit *Petrus*. maior gloria captiuo fuit,quàm captiuos trahentibus ante currum. veteris Romæ parentem, nouæ parens sua inobscurauit vmbra;i'la inquam vmbra,quæ alijs dedit vsuram lucis. Præterea

Kal.vet. accommodatissimè accidit, vt cum hic dies facer esset apud veteres Spei Deæ, eiq;in olitorio foro sacra facerent, nunc item † *Spei* sit facer, sed illi Spei, quæ *Sophiæ*, hoc est sapientiæ,nõ vt altera illa, quæ stultitię,filia sit.hęc *Spes*,atq; vnà virgines sorores † *Charitas*, ac † *Fides*.laureatæ incedunt in

Liuius. pompa. Fuit hoc item die consecratio templi Martis, equestri certamine celebrata; apud nos martij vigoris heroes decertant, ac ferè omnes etiam nominibus auspicatis, ij sunt *Leontius* & *Alexander*, & quidam quasi in relig onis castris signifer, *Aquila* nomine;cum quibus ad omen pugnæ se associat aptissimè; & *Faustus*,& *Bonus*, & *Felix*.

2 *Augusti.* *Macrob.* IV. Nonis August. Ater Romanis hic dies, & infaustus fuit,quo die Romani ab Annibale ad Cãnas, miserè t ucidati sunt. Quinctilius quoque Varus cum tribus legionibus in saltu Theutoburgensi ab Ariminio Cheruscorum principe interemptus est; quamobrem factum, vt quartus quisq; dies ante Kal. vel Nonas,vel Idus cuiusque mensis ater diceretur, & inominatus haberetur. At verò nobis hic dies nullo modo esse potest ater, cum Illustris sit *Rutily* martyris flamma; in quam non nisi ad decu : videtur iniectus, vt videlicet rutilaret clarius. accedit ad splendorem altera *Theodotæ* fortissimæ matronæ, ac filiorum flamma. Quamquam ex parte Ro-

Sueton. manis ipsis candidus hic fuit dies,ac lętus, victoria Cæsaris, quam de citeriore Hisp nia retulit vltimam. sed Cæsaris laureæ opponitur † *Stephanus* Pont. Max qui ante aras eam, quam præseferebat nomine adeptus est reipsa coronam.

3 *Augusti.* *Plutar.* *Herodot.* III. Nonas August. Mardonius à Græcis ad Platæas victus; quapropter Platęenses quotannis sacra faciebant. Persica itẽ classis ad Mycalem Promontorium Asię in Caria victa. contra à nostris non nisi strenuè,feliciterq; pugnatum, in primis *Indi martyres*, Persidi finitimi cadendo vicerunt; quibus ad contexendam trabeam triumphalem commodè accedit *Lydia*,

dia, purpuraria, quæ initiò religioni tunc primùm tanquam inauguratæ reginæ adhæsit, vt ei appararet ornatum. At verò *Aspren* candido notat hunc diem calculo: principem enim religionis *Petrum*, à quo primas Neapolitana vrbs accepit infulas, *Candida* matronę indicio conuēnit. Denique illa quasi triumphalis quædam fuit pompa victoris, qua *Stephani* laureati primip. li corpus cum fuisset inuentum, elatum est, quod vt honorificentissimè fieret, Honorio ipso imperante accidit.

Pridie Nonas August. Victoriæ festū Romæ fuit, quam numinis loco habuerunt. Incidit in hunc diem aptè † *Dominicus* victoriis innumeris clarus & spoliis opimis onustus, cum laureato agmine suorum. Ex eius certè quasi militari disciplina tot extitere inuicti duces, qui sapientiæ armis, atque pietatis instructi, religionis hostes acerrimè semper insecuti sūt. Porrò hunc ipsum diem olim Victoriæ sacrum occupauit ingens alterum laureatorum agmen, hoc est nouem millium fortissimorum militum, qui in Perside pro religione pugnantes occūbuerunt: atque his ad imortalitatis, ac sempiternæ recordationis omen, accedit meritò ac iure *Perpetua*. 4 *Augusti.* *Kal. vet.*

Nonis August. Fuit hic dies Saluti sacer, quæ in colle Quirinali colebatur; sacer etiam fuit Spei: apud nos autem candidissimæ *Dei Matri* Virgini, niuis prodigio insigni. ex illa vera salus orta, illius etiam pietatis spe nitimur. Accedit ad niuis candorem decus purpuræ, quam † *Osualdus* Anglorum Rex dedicat. Porrò hunc ipsum diem ornauerat olim C. Iunij Bruti Cōs. triumphus de Samnitibus partus, sed ornatus est postea maioribus nostrorum, in primis *Emygdij* præsulis triūpho, in quo Picenos nouæ Romæ subiectos tulit. nec minus insignis fuit is, quem egit *Eusignius* de Iuliano Cęsare, quem constanter redarguit impietatis atque perfidiæ. Denique accedit ad huius diei ornamentum *Paris* antistes, alteri oppositus Paridi quippe contrariam, quàm ille, Veneri sententiam tulit, nihil enim inuenustius iudicauit Venere. 5 *Augusti.* *Kal. vet.* 442 *Goltz.*

VIII. Idus August. Hunc diem celeberimum habuit Roma ob Octauij Imperatoris triumphum de Pannonijs, Dalmatis, Iapidibus, & Gallis reportatum. C. item Albius Carrinus de Gallis & Sueuis opima retulit spolia, eodem anno, ac die. sed omne illud triumphalis pompæ decus obrutum est splendore eius gloriæ quam prætetulit *Liberator noster*, cum in mōte Solis speciem induit. Candidissimus vterq; dies est, & hodiernus, & hesternus, niuibus videlicet aspersis, quà delu- 6 *Augusti.* 724 *Goltz.*

bro

bro matris, quà indumento filij. nihil accommodatius oppo-
Plut. ni poterat Albij triumpho, quàm albescens Deus. Porrò in
Iustin. hunc ipsum diem nonnulli putant incidisse Miltiadis, & Callimachi Atheniensium ducum victoriam apud Marathonem de Hippia partam. Sed eam victoriam, & magnitudine superauit è nostris *Magnus* ipse, & gloria *Stephanus*, & auspicio *Felicissimus*. † *Xystus* autem dux religionis, & sibi lauream comparauit.& *Laurentio* nobiliorem prędixit.

7 Augusti. 724 Goltz. VII.Idus Augusti. In hunc diē incidit alter Augusti triumphus, quem de victa Macedonia reportauit. Atqui hāc triumphalem ex victoria gloriā maiore sibi vendicat iure *Victricius* ipse, qui Iuliani Cæsaris perfidia superata, & lictoris cæcitate percussi sæuitia expeditionem nobilem in alias regiones fecit, atque indomitas Morinorum, Neruiorumque gentes ad Romana signa traduxit. Neq, verò, aut triumphali curru caret *Albertus*, ex Heliæ scilicet vatis disciplina; aut bellicis spolijs,& victorum muneribus *Donatus*, ac † *Donatianus* antistites; quibus accedunt,& ad omen pugnæ *Faustus*, & ad vo-
Eutropius. luptatem quasi Capitolinæ cuiusdā pompę, *Hilarius*. quamquam aptè vterque incidit in Constantij magni natalem, quem nonnulli hunc diem faciūt; eius nimirum, quem educasse videtur ipsa faustitas, & qui squalentē religionis faciē pietate,& munifi- ētia exhilarauit. Pręterea satis accomodatè in hūc triumphalē Augusti Cęsaris diē, incidit B.Caietanus Thianeus opimis spoliis onustus, quamquam paupertatis amātissimus. Dux hic pclari ordinis, nō Macedoniā, sed Erebū subegit; religioni vel ornamēto, vel emolumēto natus. hierodulis in primis, hoc est sacrorū ministris ad honestatē sāctè, pièq; imbutis

8 Augusti. VI.Idus Augusti. Tertiùs actus est ab Augusto triumphus. Aegypto subiecta,& superatis Antonio, atque Cleopatra. Illustris quoq; habitus hic dies est vel ex eo, quòd Soli Indigeti sacer esset, cui in colle Quirinali sacrificabāt. Celebratus quoque præclara Q. Fabij Max. victoria fusis ingentibus Allobrogū copijs, quamobrē Allobrogicus est dictus. At fecit huic diei non modò splendorē, sed pretium † *Smaragdus* martyr, cum † *Cyriaco* in primis,& *Largo*. Nec minus hunc illustrauit diem illa *Leonidis*, & *Eleutherij* flamma, quàm ipsa lux Solis Indigetis, quæ potius superstitione mentis aciem obcæcauit. At verò Fabij Max. virtus cum *Seueri* virtute collata apparet minima; hic enim ex India profectus in Galliam, domitos religione populos liberè parere coegit Romæ.

V. Idus

V. Idus Auguſt. Cæſar Hiſpalim vicit. Atqui apud nos † *Romanus* potius miles ab Hiſpano duce *Laurentio* victus manus dedit; immò manus vinculis, humeros virgis, collum ſecuri dedit: quamobrem ob admirabilem animi conſtantiam libenter illi cohæret, & ipſe conſtantiſſimus Martyr *Firmus*. hos conſecuntur *Iulianus* in primis, & *Martianus*, qui, vt firmitatem, ac ſoliditatem propoſiti oſtenderent, imaginē magni Liberatoris in ęnea porta, hoc eſt omnium firmiſſima collocarunt, ſpreta etiam Leonis Cæſaris iubata purpura; Reſpirauit hoc religio die, quia Valens Imperator eius hoſtis acerbiſſimus à Gothis dicitur interfectus. 9 *Auguſti.* *Roſinus.*

IV. Idus Auguſt. Bellonæ ſacer hic dies fuit, omnia in ſacris perſtrepebant fragore armorū. Sacerdotes humeros, & brachia cultris cruentabant. At nemo certè poterat opponi Bellonæ robore animi fortior, quàm † *Laurentius.* nihil vidit Roma par tantæ virtuti. obſtupefecit quoque Naturam, quia & fulmen in ſe belli coniunxit, & laurum hunc conſequuntur ſexaginta quinque etiam laureati Romę, qui non dementer ſe ſui fecere carnifices, ſed ſapiēter tulere. His, & ijs, quos Alexādria dedit pia conſtantia, offert ſe quaſi clariſſimum aſtrum *Aſterius* Martyr, præſertim *Laurentio*, cuius probata virtus eſt noctu. Hoc item die Romæ aræ extructę Opi, ac Cereri frugum parenti. atqui *Laurentius* verè diuinam expertus eſt in flammis opem, cum vnus Cœlitum linteo ſudorem abſterſit; quàm vberem autem collegerit meſſem gloriæ, præter ceteras regiones, patria nouit Hiſpania. 10 *Auguſti.* *Kal. vet.* *Aſtrum.* *d'ſng*

III. Idus Auguſt. Illuſtrem fecit huic diem non veterum faſtus, ac fumus, præſertim ex Imperatoris Traiani, cuius emortualem quidam putant, rogo, ſed potius flamma, quam † *Tiburtius*, & *Alexander* antiſtes ſubiere conſtāter. At *Ruffinus* Marſorum præſul Maximinum expertus eſt multò acriore ſęuitiæ veneno tumentem, quàm Marſos angues, niſi quòd ipſi non obſuit, ſed profuit potius ad vitam. Deniq; ſi nihil laude dignum huic diei vetuſtas attulit, at certè nunc dignitatis affert plurimum *Digna* ipſa virgo. 11 *Auguſti.* *Tu. v. b.*

Pridie Idus Auguſt. Dicatus fuit hic dies Herculi, magno Cuſtodi dicto, in Circo Flaminio. Atqui nihil accommodatius fieri potuit, quàm vt nunc idem dies ſacer ſit † *Herculano* Brixienſium præſuli, & religionis cuſtodi verè magno. maiora profectò, ac pluria confecit monſtra *Herculanus* lituo, quàm 12 *Auguſti.* *Gyral.*

Hercules claua. Accedit *Anice'us* Comes non modò nomine, sed factis inuictus, qui monstrosæ Diocletiani sæuitiæ constanter restitit. Consequuntur, præter ceteros, *Crescentianus*, & *Largio*, quos vetustas Hrculea de stirpe prognatos dixisset. Illud verò diligenter attendendum discrimen est, quòd Hercules, qui dictus est Custos præterquam sui pudoris, muliebri more molliter lanam tractauit, & colum; contra mulieres, quæ in hūc ipsū incidunt diē ol m ipsi sacrū, viril potiùs fortitudine fuerūnt ac superiores ferro, nec sine auspicio nominis, *Felicissima* videlicet virgo, atq. *Hilaria*, quam in ignē coniecit studium pietatis; vt opponeretur Herculi, quem immisit in rogum furor; atque illa quidem non tàm cum flamma pugnauit acriter, quàm lusit hilariter; quamobrem aptè se illi adiungit, vt illustriorem faciat flammam splendore ipso

Plutar. nominis rerumque gestarum, † *Clara* virgo. Hoc item die Athenis Charistia celebrata pro libertate parta; quæ multò lætiora celebrata sunt à nostris; presertim à quingentis viris sacramēto religionis obstrictis, ac pro eius libertate deuotis.

13 Augusti. Gig. 68. l. 12. Turnebus. Idibus August. Dianæ sacer fuit hic dies, quo die mulieres voti dānatæ, & cōpotes factę ab vrbe ardentes faces in Arminium nemus, vbi superstitiosè colebatur Dea, ferebant. venatores item cum spicatis facibus eò se conferebant; canes morbo affectos infulis velatos Deę sistebant, omneque instrumentum venatoriū coràm proponebant. putabatur autē interim Diana feriata emeritos canes à venatione, & immunes habere. Apud nos † *Hippolyto* sacer est dies, non ei, qui Dianæ alumnus insectatus est feras, sed qui Dianam ipsam, ac ceteros Deos. Hoc ipso die feriæ fuerunt seruorum, & ancillarum; quòd videlicet eo die Seru. Tullius Rex è captiua natus esset ancilla. at vide quantum noua Roma nobilitate præstet veteri; non enim ancillarum, sed † *Radegundis* Reginæ festum celebrat diem, cuius purpuræ decus *Concordia* *Hippolyti* nutrix auxit sanguine; vt autem illum lacte, ita religionem cruore aluit, vt acciperet incrementum.

14 Augusti. Plutar. kal. vet. IX Kal. Septemb. Græci Persas Artabanum secutos profligarunt. Athenienses quoque Chabria duce nauali prælio victores extiterunt. At Romani Ioui liberatori faciebant. Confer nunc Atheniensium, ceterorumque Gręcorum robur cum vnius *Marcelli* virtute, obruetur planè eorum fama: hic non dubitauit celeberrimum illud Iouis delubrum, quod

Apa-

Apameę fuit, sua manu demoliri, spreto, vel Iouis fulmine, vel vulgi furore. *Eusebius* quoque Constantio ipso Cęsare firmior cum Arianis infestissimis hostibus dimicauit, & vicit. At verò † *Athanasia*, quę à mortis victoria nomen fert, per vrgilio assumptę in cœlum Dei matris opportunè se offert, ac mortis victrici pręcurrit ad decus.

XVIII Kal. August. Non est ausa vetustas in contentionem venire de gloria cùm magnitudine, atq, pręstantia eius prodigij, quo *magna Dei mater* delusa morte euecta in cœlum est. Quanquam nobilitatus postea fuit hic dies insigni nostrorum victoria, cum Rhodum insulam eripuerunt hosti, hoc est Solis vrbem, & Solis quondam colosso nobilem Turcicę Lunæ, nempe huius oppositu ille defecerat. actum est hoc à fortissimis Equitibus Hospitalarijs, vt vocant, S. Ioannis, quo die in Mysterijs sacrorum de Marthę virginis hospitio mentio est. Dicitur quidē ipsa *Dei parens* inclytę Ciuitati similis, quā etiam cum vrbe Rhodo ex parte conferre possis, in qua olim aurum pluerit, & in cuius fundamentis fragrantes repertę sint rosę; nisi quòd hęc vrbs aliquando dicta est Ophlusa à serpentium copia cum ad alterā ne vnus quidem ille vetus, ac vafritia insignis accesserit, vt venenum euomeret. Nobilitauit hunc ipsum diem non modò genere, sed pietate † *Arnulphus* Lotharingię Dux, qui Pipini pater fuisse dicitur, & Caroli magni Imperatoris auus. is posthabito sęculi fastu, atq; vrbiū luce, in vmbras se abdidit nemorum, sed vel tunc, cum flammam, quę patriam depascebatur, extinxit, factus est illustris. Denique *magnæ Matri* cœlum ineunti associat se ex *Ignatij* Loiolę disciplina nobilissimus adolescens *Stanislaus*, cùm multis nominibus gratus, tùm maximè studio pudoris, & fragrantię diù integri ab obitu corporis, virginum vexilliferę coniunctissimus; ac propterea licet nondum recensitus in fastis, tamen quia decretę sunt illi arę pręteriri non debuit.

15 *Augusti.*

Chron. Fran. 1309

XVII. Kal. August. Neptuno certamen equestre à Romulo institutum. atqui nemo tanto cum plausu cèrtauit, quàm qui in hunc ipsum diem incidit *Ambrosius* centurio, qui Diocletiani Cęsaris iussu demersus, enatauit ad portum verę salutis. nihil hic Neptuno debuit, qui in certamine Neptunum ipsum vicit. ceteri quoque, inter quos *Diomedes*, & *Titus*, excitata per impios tēpestate, quasi decumanos superarunt fluctus; ac propterea tanquam tranquillitatis omen opportunè affert

16 *Augusti.* *Kal. vet.*

insigni pietate *Serena*, vxor quondam Diocletiani Cęsaris, qui frustra concitauerat fluctus. nempe hac temperatione vtitur prouidentia, vt ferè coniuncta sit procellæ serenitas. cum *Serena* congruit *Rocchus*, qui corruptum, & inquinatum tabifica ui cœlum correxit, ac purum esse iussit: Sed nemo opponi aptiùs Neptuno potuit, quàm † *Hyacinthus*, qui Vindicem fluuium sine cymba transmisit, idem facturus, si oportuisset, in mari.

17 *Augusti.* *Varro.* XVI. Kal. August. Portumnalia ad pontem Aemilium celebrata, vbi Portumno ædes erat erecta. Iano item ad theatrũ Marcelli sacrificatum, vterque clauiger Deus est habitus. Sed aperuerunt potiùs sibi aditum ad gloriam suis pœnis *Rogatus*, & *Bonifacius*, ambo ministri sacrorum. hi quidem inauditis excruciati supplicijs, semper liberi euaserunt; nec mirum, habuerunt enim vnum è socijs, qui salutis daret auspiciũ, *Liberatum* nomine. Cum his autem inuictis heroibus virtute se iungit † *Mamas* fortissimus Martyr, qui magnitudine virtutis affinem nomine Mimantẽ, vnum ex gigantibus, pygmęum fecit. Terminalia hoc item die Romæ celebrata ob terminos à Numa rege positos, qui certè verę religioni nunquã cõstitui potuerunt. adeo horum, ceterorumq; præstanti virtute propagata, regiones omnes, etiam vltimo discretas Oceano victrix occupauit.

18 *Augusti.* *Plutar.* *Gyrard.* XV. Kal August. Consualia Romæ celebrata Conso Deo, cui ludi dati, ob consilium ab ipso inditum de Sabinis virginibus rapiendis, illuso pudore, ac flore decusso. Contrà apud nos sacer dies est *Floro*, qui vt pulchrius efflorescceret, hostis beneficio apud aquas demersus est. Illi verò meliora, quàm Romani, iniere consilia, qui pro religione se deuouerunt, inprimis adolescens *Agapitus* in ipso ætatis flore: adde *Serapionem*, *Hermam*, & *Leonem*, aliosque complures; quibus ob constantiam singularem adhæret *Firminus* antistes. Accedit commodè & *Laurus* Martyr nihil autem accommodatius fieri potuit, quàm vt ad fortissimorum militum ornandum caput, & *Florus* conueniret, & *Laurus*. Denique honestat hũc diem † *Helena*, Cõstantini Magni mater, quę, vt verè dici posset Augusta, consilium inijt pietatis plenum de recuperando Liberatoris nostri trophæo.

19 *Augusti.* *Dion.* XIV. Kal. August. Emortualis hic dies Iulij Cæsaris Augusti fuit; quo item ipse consulatum inierat. adeò sæpe contexitur

syrma

ſyrma cum trabea, & veſtis pulla cum purpura. Sed commodè accidit, vt Iulij funere pollutum diem expiet, lætumque reddat alterius *Iuly* natalis. fuit & hic purpuratus, quippe Senator, ſed pulchriùs. & ſplendidiùs, quam primus, quia hic fuſo pro religione ſanguine induit dibapham. facit itē hūc diē ex atro purpureum † *Ludouicus*, qua regis filius. Hortos hoc itē die in Veneris tutela poſitos tradunt. atqui præſul hic florē pudoris intactum ſēper à Veneris vngue ſeruauit; quod maximè *Thecla* præſtitit, quę leonis vnguibus obijci, quàm lenocinari maluit. Vinalia quoque Ruſtica ad hunc diem nonnulli referunt, quo videlicet die flamen Dialis vindemiam auſpicabatur. ſed nullum conferri poteſt merum cum eius ſuauitate cruoris, qui & ex *Andreæ* tribuni, ſociorumque militum, & ex *Timothei* expreſſus eſt venis. *Paulus ex Feſto.*

20 *Auguſti.* *Plutar.*
XIII. Kal. Auguſt. Athenæ ab Antipatro captæ, & præſidiū Macedonicum impoſitum. Thebæ quoquē ab Alexandro deletæ. Atqui non tantū accepit vulnus ſapientia ex Athenarū excidio, quantum gaudium ex virtute † *Bernardi*, quæ nulla vi potuit expugnari eminebat. ſ illa ſublimiùs, quàm in Athenarum arce Minerua Phidiæ armata ægide, & vibrante haſta. eius præſidio, & Petro Leoni, & Guilelmo Comiti reſtitit: omnibus hic animi ornamētis illuſtris habitauit in Claraualle quamobrem ei accommodatè ſe iungit *Lucius* martyr; ac præterea illi qui clari facti ſunt flamma; quo genere cruciatus affecti multi, vt *Leouigildus*, & *Chriſtophorus* Cordubæ. accedunt triginta ſeptem in Thracia, & *Memnon* centurio longè clarior, quàm alter, qui Aurorę d ctus eſt filius. adde † *Philibertum* Erebo formidandum. quibus omnibns, ob inſignē de impietate victoriā, *Stephanus* Pannonię Rex triūphalem ſui nominis coronam, & purpuream trabeam porrigere quodammodo videtur. Hoc item die Athenis celebrata myſteria, quę appellabantur Magna, quo die Iacchus, ſiue Liber pater in Eleuſinē ex Vrbe trāſmittebatur Sed Magna myſteria ebrioſę Gręcię antiquauit ſobrius, & par nomini *Maximus*.

21 *Auguſti:* 595 *Goltzius.*
XII. Kal. Septemb. Nobilitauit hunc diem M. Fuluij, qui Nobilior eſt dictus, Coſ. magna cū pompa ductus de Liguribus, & Eleatibus triumphus. At multò nobili rem triumphum † *Priuatus* antiſtes, & martyr inuictus de duobus Imperatoribus Valeriano, & Gallieno egit. comitantur illum laureati multi, *Anaſtaſius* in primis, & *Paternus*. *Baſſa* verò matro-

matrona Ducis munere functa, cū *Theogenium*, *Agapium*, & *Fidelem* filios ad seruandam sacramenti fidem cohortata esset, & cum laurea p æmisisset, consecuta deinde est ipsa victrix, fœcunda mater non minus laude, quàm prole.

22 *Augusti.* *Kal. vet.* XI. Kal. Septemb. Venatricia celebrata, hoc est Dianæ venatricis festa; sed nostri venatores ea sibi maiore iure deposcunt, onusti Deorum præda, quos quasi feras insecuti sunt. † *Symphorianus* præsertim adolescens, *Philibertus*, & *Agathonicus*; & illi, qui omen secum tulere; vel roboris, vel successus, *Martialis*, & *Felix*. *Epictetus* autē lōgè sapientiùs philosophatus est, quàm alter ille Hieropolitanus è Stoica disciplina. in cāpo hic iaculari maluit, quàm sub porticu, pietate, quam verbis. Accedit porrò venationi nostrorum etiam quasi quædam voluptas hortensis; quippe *Anthusa* quoque sacer est dies, quæ florem sui nominis fecit cruore purpureum.

23 *Augusti.* *Gyral.* X Kal. Septemb. Vulcanalia in Circo celebrata. in ignem animalia bruta conijciebant, quo se expiari putabant, quasi humanæ commutatione victimæ: At verò apud nos *Apollinaris* ignem ipse constanter pertulit, quasi hodiernæ superstitioni oppositus. cœpit flamma puriùs explendescere, atq; pulchriùs, cum à deformi Vulcano ad *Apollinarem* transijt. Insignis hic item dies fuit L. Papyrij Cursoris Cos. triumpho, 434 *Golzius*; quem de Samnitibus egit; verùm triumphalem lauream æquiùs sibi vendicat Africanus antistes *Victor*, qui incredibili sapiētia, & robore animi prçditus de Genserico, & Hunnerico religionis hostibus infestissimis victoriam, quam præseferebat nomine, re gesta retulit ornatissimam. Accedunt alij laureati tres in primis germani fratres, *Claudius*, & *Neon*, & qui inter ipsos astris splendore intermicat clarus, *Asterius*. horum quasi bellatorum laureis adiungit † *Sidonius* poeta suam. dignus certè laude, qui laurum ex incesta, verè fecit innubam. adhçret item ei libenter quodam cognato sapientiæ nomine *Mineruius* Martyr egregius.

24 *Augusti.* *Rocinus.* IX Kal. Septemb. Feriæ Lunæ fuerunt in Græcostasi, sed apud nos victa est pulchritudine Luna. nempe ipsi argenteç succedit *Aurea*. hæc in mare demersa est, ne Luna iactaret apud Physicos imperium maris: desiit hoc aurifluis fluuijs inuidere; cœpit & mare deuoluere in littus, pro arena, au-*Beda.* rum. porrò qui hūc diem *Aureæ* sacrum † *Bartholomæo* etiam *Vsuard.* sacrant, de eius cuti videntur aureum vellus facere. sed

crescit

crescit decus, quia cum auri fulgore iungitur candor: est enim hic dies sacer etiam fortissimis illis militibus, qui pro religione in candentem iniecti calcem, Candidæ massæ nomine cohonestati sunt. Ceterùm inauspicatus fuit Carthaginensibus dies ob calamitates acceptas. quo item die primùm Roma à Getis est capta, à nostris tamen sinistri ominis metum omnem aufert *Eutychius*, qui nomen sortitus ab optima sorte, cum alias pœnas, tùm ignem ipsum elusit impunè. Numeratus est idē dies inter Ægyptiacos à quibusdam, hoc est inter infaustos, & minimè fortunatos: quamobrem rectè ei superstitioni oppositus est *Eutychius*. *Gyrard.*

VIII. Kal. Septemb Opi Consiuæ Deę dicatus dies fuit, cuius in regia sacrariū erectū eò, præter Vestales virgines, & hierophantam, nemini aditus patuit. At opponitur Opi Consiuæ *Patricia* regiæ stirpis virgo, patrona Neapolitanæ Vrbis, quæ ideò tantum habet incrementum gloriæ, quòd eius alta sit olim lacte pietatis; nēpe parthenonem instituit, qui cū collata Vestalium castitas videri possit incesta. Hoc item die Romæ Ambaruale sacrum factum, in quo præcidanea victima circa segetes, & arua ducebatur; interim quernis ornati frondibus carmen canebant Cereri, lacte, mero, ac melle adhibito ad libamina. atqui religiosiùs litatum *Bartholomęi* sanguine, qui Armeniam, Indiamque lustrauit, vnde vberrimam religionis collegit messem; quod idem *Geruntius* egit in Hispania. At † *Ludouicum* Galliæ regem pietas toto ferè terrarum orbe circumtulit, vt vnam vrbem eriperet hosti, quasi spolium triumphale, paratum etiam fundere sanguinem; quamobrē cōmodè se illi quasi cùm itineris, tùm bellicę virtutis socios adiungunt *Peregrinus* martyr, atque *Vincentius*. 25 *Augusti.* *Varro.* *Gyrard.*

VII. Kal. Septemb. Alexander Magnus Darium vltimo prælio ad Arbela superauit, quo factum est, vt Persarum Imperium transiret ad Græcos. atqui aptissimè accidit, vt hic ipse dies apud nos sacer sit † *Alexandro* alteri è Thebæorum legione, vni ex fortissimis. habet religio, quem opponat nempe Macedonico Gallicum; obruit omnem illius gloriam, vel vnū huius factū, cum disturbauit aras Deorum pede, quibus Macedo thura porrexerat manu. Porrò lætissimus fuit hic dies Romæ spectaculo triumphi, quem M. Horatius Barbatus Cos. de Sabinis egit; nec tamen conferendus est cum eo, quem longè nobiliorem *Hadrianus*, Probi Cæsaris filius de Licinij impietate, 26 *Augusti.* *Iustin.* *Diodor.* 304 *Golz.*

pietate, ac sæuitia egit. trimphalem hic lauream gemmato diademati nexuit, & purpuram augustalem fecit generoso sanguine augustiorem. Nec triumphi gloria caruisse dicendus est *Victor* ipse, edomita contumaci mente Maurorum. *Victori* verò quasi cognatus adiungitur *Felix*. Denique non videtur omitendum, hoc item die Romæ Phallogogia celebrata incestis sacris; conferebant se ad Veneris ædem Romanæ mulieres non sine matronalis stolæ probro: sed marinæ Veneri, natali concha velificanti reflauit *Zephyrinus* Pont.Max.castis institutis,ac legibus.

27 *Augusti.* *Varro.* VI.Kal. Septemb. Volturnalia celebrata, festa Volturnæ Hetruscorum Deę dicata, ad eius celeberrimum fanum tot penè confluebat Hetruria: nunc *Anthusæ* iuniori, vt vocant, sacer est dies, quæ omnes ad se trahit fragrantia floris, quem præfert nomine. demersa in aquas est, quod ei cessit in decus, quia non exaruit morte, sed effloruit pulchriùs. *Anthusa* adhæret *Euthalia* virginitatis flore cognato, quem purpureum fecit sãguine. At verò † *Cæsarius* Arelatensis præsul cum inaudita virtute in sepulcro latuisset, ne ad pontificium eucheretur thronum, *Anthusæ* aptè se iunxit, vt viuentis tumulus immortali fragraret flore; eiusdem autem intertextam auro tiaram ornat vnionis instar *Margarita* Septempedana

304 28 *Augusti.* *Dion.* *Rosinus.* V.Kal. Septemb. Victoriæ Deæ consecrarunt hunc diem, quo videlicet die eius ędes in Curia Iulia dedicata esset; quippe Augustus Cæsar Aegypto iam triumphata, ac ceteris victorijs clarus, victoriæ simulacrum Tarento deuectum, & in Curia collocatum in honorem patris dedicauit. at opportunè in hunc diem incidit † *Augustinus*, qui omnem, & Augusti ipsius, & patris gloriam superauit. nemini ducum tot contigere victoriæ; nemo tot trophęa suspendit, ac tam opima spolia retulit, profligatis videlicet Arij copijs, deuicto, *Kal.vet.* veluti naaali pręlio, Pelagio; edomita Manetis insania, ac fu- *Th.v.b.* rore. accedit, quòd hic idẽ dies in Vrbe Roma sacer fuit Soli, Lunæq; quis igitur opponi digniùs potuit pulcherrimo planetarum, quàm *Augustinus*? quid ardentius eius pietate? quid illustrius sapientia? complexus vtramque laudem, & Soli se similem fecit, & Lunæ; nisi quòd lucis defectum passus est nunquam. Ad rem quoque facit, quòd *Aurelius* dictus sit *Augustinus*; illustris autem Aureliorum familia fuit Romæ: nam *Onuph.* his publicè datus est locus, vbi sacra facerent Soli. itaque olim

olim Aurelij fuerunt ministri Solis; at *Aurelius Augustinus* in eundem diem, quo Soli operabantur, incidit, vt cum ipso Sole decertans, eum splendore lucis anteiret. Habet verò *Augustinus* socium hodiernæ laudis *Hermetem*, quòd id nomen pertinere videatur ad sapientiã; ac certè cum Hermes à Græcis interpres dicatur, ipse de sacris libris interpretatus est multa præclarè. Hábet item socium *Alexandrum* presulem, cuius vi precum Arius, qui in religionis parentis viscera impiè quasi ferrum immerserat, effudit sua. At verò propter præstantem cùm horum, tùm maximè *Augustini* virtutem, tam felicem sortem religioni quodammodo gratuiari videtur is, qui in hunc ipsum diem commodè incidit *Fortunatus*. & quonaim eiusdem quasi coloni opera religio effloruit; congruenter illi adhęret *Anthes*. Deniq; illud nõ videtur omittendum, quòd hoc ipso die, quo *Augustinus* in cœleste inuectus est regnum, Augustulus Cęsar imperium Odoacro cessit, ac detulit. itaq; eo die Occidens defecit in Augustulo, quo quidam quàsi Oriens affulserat *Augustino*. *Baron.*

IV. Kal. Septemb. Ater hic dies Romanis est habitus ob calamitates uarias; nec mirum, nam & atro Vulcano sacer fuit. Nobis certè ater esse non potest, quia *Candidæ* Romanæ Virgini sacer est. quamquam ad conciliandum maius decus, ex parte purpureus est dies, cùm eiusdem *Candidæ*, tùm maximè † *Ioannis Baptistæ* sanguine, quem pro pudicitiæ candore defenso profudit. nihil hìc est, quod Vulcanum agnoscat, nisi in impio rege, ac pellice deformitas facti. monstrum vtrũque fuit immane, atque ardens, quà cupidine, quà furore, vt non ineptè dictum sit; Venerem coniunctam fuisse Vulcano. Porrò manantem è tanti Vatis ceruicibus sanguinem triumphalem sua quodammodo excipit purpura *Sebbus* Anglorum Rex, eum, inquam, sanguinem, qui virginitatis allectus nomine, apud nostræ Sirenis, hoc est castę Parthenopes lyram, quasi choreas agit, in vitro exiliens, atque tripudians. *29 Augusti. Macrob. Fest. Mithol.*

III. Kal. Septemb. Infaustus omnino, atque inominatus Romanis hic dies fuit, quo die Mundus Cereris patere dicebatur; quippe mysteria toto Erebo clausa ex vmbra proferebantur in lucem. nihil aggrediebantur, quod esset alicuius momenti: totum sibi deposcebant diem inferi Manes. atqui nobis infaustus, nec debet esse, nec potest, cum † *Felici* ipsi sit sacer, & sanè cum incremento voluptatis, & gloriæ propter *30 Augusti. kal. ve. Gyrard.*

 Adau-

Adauctum socium an verò funestus, ac tristis dicendus est, qui dedicatus est ipsi *Gaudentio*? nostris non Erebus, sed Cęlum patet; non Mundus Cereris, sed ille superior, quò inferuntur homines frugi. patuit in primis *Theclæ*, ac *Bonifacio*, & eorum duodecim filijs sed non sine ferro aditus factus.

31 *Augusti.* *Suet.* *Herod.* Pridie. Kal. Septemb. Inominatus esset hic dies religioni, quia natalis est duorum Cęsarum, qui eam hostiliter insectati sunt, hoc est Caligulæ, & Commodi; nisi accidisset sanè commodè, vt horum crudelitas, & impietas seruierit potius ipsius religionis nomini, atq; famę. idem pręstitere reliqui, vt Constantius *Paulino*; Maximinus *Cæsidio*, eiusque socijs. *Ruffina* verò matrona, cum intra carceris angustias *Mamantem* peperisset, effecit, vt is excresceret in gigantem Mimante maiorem, magnitudine videlicet animi. lac inter tenebras datum eum aluit infantem, qui ipso posset occasu afferre religioni lucem. His se vltro *Robustianus* offert socium, qui veri Dei cultum aduerso pectore, & *Aristides* Atheniensis, qui calamo, ingenioque defendit. hic *δίκαιος* maluit esse, quàm dici. Denique quod sustulit gaudium Commodus natali suo, attulit apud nos † *Aidanus* Præsul beneficentia sua. nihil hic tam amanter spectasse videtur in vita, quàm commoda pauperum; quamobrem ei, certè ob nomen amori affine, se adiungit *Amatus*, item Præsul.

vide Plutar.



Kal.

Kalendis Augusti 1 *Augusti.*

S. EVSEBIVS
Episc. Vercel. M.

Synop. *Angelorum manibus in baptismo susceptus est. Angelus item eius pudorem ab impura foemina defendit. ab Arianis per scalarum gradus susque deque raptatus. præsensit miro visu necem.*

ENCOMION 245.

Quanti candoris hic vel ab infantia fuit,
quem puro fonte lautum suscepisse dicuntur
non hominum, sed Cœlitum manus?
nati olim infantes terram de more tangebant,
vt illa primò exciperet, quę vltimò.
hunc ideo Cœlum per suos excepit nascentem,
quia & morientem.
Cœlestem quoque alitem patronum pudoris est nactus
non absimilis cliens.
Errabunda pellex aditum ad eū inuenire non potuit;
nempe hoc tantùm ei dedit Cupido, quod habuit,
cæcitatem.
Cum hostem suum per scalas Ariani raptarunt,
non viderunt, se exhibere gradus ad gloriam:
quanquam quid illi gradibus opus erat,
qui euolare sibi visus est altius pennis suis
per ardua cacumina montium?
non insomnio credidit, sed oraculo:
ipse interpretem egit, necandum se dixit.
quàm alacer properauit ad mortem,
qui ad hoc ante aptauit alas?
cum pręceps esset agendus, tunc se vidit attolli?
Tandem in ipsum coniecti sunt lapides:
commodùm, nam, ne honore careret Eusebij nomen, εὐσέβεια *Pietas.*
ex ijs excitata est ara pietati.

Kal. Augusti

SS. SOPHIA, ET FILIÆ Martyres.

1 Augusti.

Synop. *Hæc, & filiæ tres iussa Dianam colere, spreuerunt. Fidei mammæ contortæ sunt, sed inde pro cruore lac fluxit. Spes neruis cæsa. Charitas in ignem iniecta. nihil in his supplicijs non auspicatum fuisse ostenditur.*

ENCOMION 246.

Nunquam Sapientia tantos excitauit plausus,
quantos, cùm Sophia est philosophata cum prole,
hoc est, cum ipsa Sapientia
superstitioni se opposuit stultæ.
Iussæ sunt tres filiæ cum matre venerari Dianam;
sed quid tam alienum à sapientia,
quàm Dianæ inconstantia? quàm defectus?
Fidei primùm propositum conuellitur pœnis,
sed qui fiat, vt Fides desciscat à fide?
forcipe contorquentur mammæ,
at ita Fidem hostis ipse fecit Amazonem.
immò quia lac pro cruore manauit,
fecit religionis altricem,
nempe hæc lacte Fidei adoleuit.
Spes deinde neruis cæditur taureis,
scilicet infregerat Dianæ taurina cornua;
at nihil spei tàm proprium, quàm esse neruosam.
desperauit hostis victoriam,
Spe à se propellente metum.
Charitas vltima inijt pugnam,
spectaculo fuit Amor in campo.
nihil aptius, aut amabilius factum,
quàm cùm spontè ardens iniecta est in ignē Charitas;
& illud commodissimè accidit,
quod loris extenta est, vt amplior fieret Charitas.

IV.

IV. Nonas Augusti

2 *Augusti.*

S. STEPHANVS

Pont. Max. M.

Synop. *Tribuni filiam cæcitate liberauit, & Lucillam vocauit. cùm ante Martis simulacrum ductus esset, vt coleret, statim ad eius preces commota, & concussa tellus, illud penitùs euertit è basi, in qua situm erat.*

ENCOMION 247.

Habuit regina vrbium Roma Stephanum
quasi clarissimis illuminatam gemmis coronam:
hic Tribuni filiæ cassæ videndi munere
tribuit lucem,
depulsa etiam impietatis caligine.
initiatam, atque lustratam appellauit Lucillam:
pertinebat ad coronam multò clariorem cœlesti
donare lucem.
quod Lucilla primum vidit, fuit ipse auctor lucis;
Stephanus videlicet radijs fulgens;
gestijt hunc priùs intueri, quàm Solem.
productus deinde est religionis Imperator in campũ,
non vt cum Barbaris,
sed vt cum ipso Marte pugnaret.
thus adolere simulacro iussus,
ardentem ad aram accessit.
lætari hostis, penè victoriam gratulari Marti;
sed heros alterum opposuit, & excitauit ignem.
repentè Cœlum exarsit in fulgura,
immani procella concussum delubrum
corruit supra ipsum Martem.
nouum spectaculum. tumulatus est Mars,
non campi, sed fani puluere;
qui facit, vt Duces dicantur belli fulmina,
à nostris immissum exhorruit fulmen.

Idi-

Idibus Augusti

S. RADEGVNDIS

3 *Augusti*

Regina Francorum

Synop. *Clotario Francorum regi nupta, impetrauit, vt se Deo sacraret: mira fuit animi demissione, aegris inseruiens, asperrimum quoque vitæ genus sequuta.* KaKodæmones *abegit.*

ENCOMION 248.

Erubuit primò maiestas,
cum te abijcere vidit purpuram;
sed postea decorari se sensit,
quia pulchrior induisti pudorem.
Cum te sacro obnupsisti velo,
apertius se prodidit virtus.
nuptialibus tædis prætulisti flammeum:
præ parthenone visa vilis est aula.
manu sceptrifera lauisti ægros,
sed eorum siccasti oculos:
cum opobalsamo inungebas vlcera,
tunc tibi visa es non minus regina,
quàm cum Clotarium habebas virum
regio inauguratum oleo.
circumdedisti tibi collo circulos ferreos plures:
tam arctè, vt eos operiret, & obduceret cutis:
abscondisti, verita nequis tibi detraheret
quod putabas monile baccatum:
inuidit aurum, præferri videns sibi ferrum.
Tu, quæ omnes ad te charitate trahebas,
solùm stygios fugabas hostes.
metuebant scilicet illi, ne ferreos orbes,
quos clàm corpori gestabas insertos,
in catenam aptares,
qua ipsos traheres in triumpho captiuos.

III.

III. Nonas Augusti

S. ASPREN

Episcop. Neapol. 3 *Augusti.*

Synop. *Primus Episcopus Neapoli à Petro Apostolo inauguratus est. accepit ab eo baculum, quo vsus est pro Pontificio lituo. eiusdem baculi tactu ab ægritudine curatus est. veteres patriæ superstitiones aboleuit.*

ENCOMION 249.

Non vltimo à me, Præsul magne, ponendus es loco,
qui patriam primis decorasti infulis.
cum tu gemmatam adaptasti fronti tiaram,
humilis visus est, qui tunc erat, Dialis flaminis apex;
viles esse cœperunt ipsi sacrorum Reges.
nempe te ille princeps religionis Petrus
præsulem sua inaugurauit manu,
Pontificio ornauit lituo tuam.
ad nostras quoque ille velificari voluit plagas.
didicit non modò ad galli, sed ad Sirenis cantum flere,
impleuit, & auxit marinũ hunc craterẽ lacrymis salsis.
At planè lætissimus tibi fuit is dies,
calculo iure signandus candido,
quo scilicet die nuncium aduentãtis herois
accepisti à matrona, nomine Candida.
illa te penè atro inuolutum syrmate,
oppressum acri vi morbi
eius bacilli contactu firmauit;
hac tu deinde claua Stygia domuisti monstra;
Pollucem in primis, & Castorem patrios Deos;
immò ipsũ, quẽ colebãt armatũ claua, fregisti Herculẽ.
versa est postea domus tanti hospitis in delubrum,
primus hic Aram Petri insignem nomine
vero dedicasti Numini;
potuit per te religione imbuta Neapolis dici Theopolis.

Pridie

4 Augusti.

Pridie Nonas Augusti

S. DOMINICVS

Auctor Ordinis Prædic.

Synop. *Eius Ordo virtute, atque doctrina clarus laudatur. præuisa est à matre sanctitas per speciē canis, ore gestantis facem. visus est sustinere proprijs humeris ædem Lateranē sem. omen id fuit protectię religionis.*

ENCOMION 250.

Tibi se calamus dedicat, tibi lingua,
fœcunde parens eorum heroum,
qui Romæ vel calamum dedicauere, vel linguam.
sterilis cœpit haberi Græcia,
septem dicta Sapientium mater,
cùm tot lumina protulisti doctorum.
A materno vsque vtero tuæ repetendæ sunt laudes;
instar catuli visus es gestantis facem;
scilicet antequam edereris in lucem,
prætulisti lucidam tædam,
exterruisti latratu Inferos, obmutuit Cerberus.
Cynicę oppositus Sapientię
impudentiam pudore frænasti.
viluit ex ea disciplina tecum collatus Antisthenes;
Diogenes suo se dolio texit.
sileri cœpit in Attica Cynosarges,
vbi sacrificij fuisse minister dicitur canis.
instituisti gymnasium omnium nobilissimum,
vbi religio esset magistra doctrinę.
illa, quæ dum sacro lustrabaris fonte infans,
visa est collucere in fronte stella,
nō nisi Sirius fuit in ore canis, nō noxius, sed saluber.
quàm fuit serena frons, quæ splenduit astris?
At cū supposuisti Lateranēsi delubro labēti humeros,
stellifero Atlante visus es maior.

No-

Nonis Augusti

S. OSVARDVS

Rex Britan. *5 Augusti*

Synop. *Illustris bellica laude fuit, illustrior beneficentia in pauperes. locus pugnæ, vbi vicit, & debellauit hostes, appellatus est Cœlestis Campus. manus, quę argenteum discum fregit inopi, à morte non extabuit.*

ENCOMION 251.

Illa tua, Osuarde Rex, dextera,
Inuictanè fuit, an victa?
retulit innumeras opes Barbarorum victrix;
sed cessit inopiæ victa;
nobilior tamen dicenda, cùm cessit,
quia tractauit argentum, & aurum,
quæ cùm vicit, tractauit ferrum.
liberalitate armata liberum fecit regnum.
opima reportasti spolia, vt vestires inopem;
captiuum fecisti hostem, vt solueres tuos.
ille, in quo diuinitùs profligâsti Barbaros,
Cœlestis appellatus est Campus,
meritò, quia Cœli ciuis Imperator;
collegisti puluerem campi, non vitæ.
clarior illo, in quo versatus es, Sole,
illustrasti luce pietatis
Britones, Pictones, Sueuos, Anglos.
viluit tibi color argenti,
splenduit pauperi.
cùm in frusta fregisses argenteum mensæ discum,
accepisti statim oraculum,
tempus parsurum integritati eius dexteræ,
quæ integro non pepercisset disco.
sed mira res. non aruit ab obitu dextera,
quæ fecerat, vt arescerent oculi pauperum.

VIII. Idus Augusti

6 *Augusti* S. XYSTVS

Pont. Max. M.

Synop. *Ante necem sacros thesauros à Laurentio impendi iussit in pauperes. ad Martis fanũ ductus, illud terręmotu quassauit & euertit, obruto eius simulacro, quod venerari, ac colere iussus fuerat.*

ENCOMION 252.

Imperator præijsti Laurentium militem pugna;
sed oraculo prædixisti ei nobilioren lauream;
scilicet reseruasti iuuenem in maiorem aleam belli.
prodigus fuisti opumnè magis, an sanguinis?
triumphauit gaudio Roma,
cùm tui spolia triumphi in egenos iussisti diuidi;
erexisti nobile pietatis trophæum,
etiam dum caderes;
nihil tua pretiosiùs fuit morte,
quia vnà cum sanguine fudisti aurum;
nisi quòd sanguis superior auro fuit.
coactus es cum ipso Marte de cultu confligere,
licèt iam senior, & infirmus cum lapideo.
noluit tecum ille ferro pugnare,
qui viceras & aurum.
opposuisti arma paria, lapidi lapides;
nempe contremuit statim tuo nutu fanum,
eo nutu, quo contremiscunt & Inferi;
collapsum miserè suum oppressit numen.
cùm positus esses in meticulosa belli alea,
Mars tibi ludo fuit.
Imperatoris proprium ratus es munus
expeditam facere militi pugnam.
iam parabatur laurea certa Laurentio;
quippe cui tu ipsum iam subieceras Martem.

VII.

VII. Idus Augusti.

S. ALBERTVS

Carmelita. 7. *Augusti.*

Synop. *Præmonstrata est matri eius sanctitas, specie cereæ tædæ promicantis ex utero pellicem à se abegit. contemptor eius imaginis ictus est fulmine. naufragos mirè liberauit. in morte sponte insonuit æs campanum.*

ENCOMION 253.

Clarus hic fuit antequam ederetur in lucem.
vidit per quietem genitor è coniugis vtero,
radiantem existere tædam ceream,
nec tamen hic postea fuit iuuenum more
cereus in vitium flecti. *Hor.*
suaui melle fragrauit in bonos,
ardenti cera flagrauit in improbos.
abegit à se hac tæda pellicem:
scilicet procaci Furię fumidam extorsit facem,
opposuit illi præclaram pudoris.
Qui contumeliosus in eius imaginem exarsit ira,
subito arsit fulmine.
metuendus fuit in flamma, optandus in aqua;
quippe ad naufragos quosdam religionis expertes
accurrit siccis per mare vestigijs,
incolumes secum aduexit ad littus;
effecit, vt commoti prodigio aquarum ethnici
lustralibus initiarentur aquis.
Frustra se abdere est conatus in latebras,
vt famę celebritatem fugeret,
qui vel vtero clausus explenduit.
quinimò ipsa mors tacita esse non potuit,
siquidem campanum æs non tactum edidit sonum.
visum est æs illud planè dignissimum,
quòd Fama vocalis conflaret in tubam.

VII. Idus Augusti

S. DONATVS

Episc. Aretin. M.

7 Augusti Synop. *Ethnicam matronam cæcitate liberauit, quamobrem illa Deorum signa in ignem coniecit. Asterium arreptitium curauit. vitreum vas, quo libabat in sacris, fractum redintegrauit. constantia insignis fuit.*

ENCOMION 254.

Non nisi diuino, Donate, datus es munere,
qui donasti te ipsum victimam aris.
habiti sunt collati tecum
veteres hierophantæ impij.
ex tuæ Sole gloriæ oculorum lumen accendit
Syrana matrona orba;
fecisti, vt acceptam lucem conpensaret flammis,
quibus videlicet statim ligneos iniecit Deos.
vidisti tonantem Iouem crepitare in pyra,
eius fulmen igni ardere non suo.
iterum mulieris opera, sed piæ, castæque
Mithl. incensus est Hercules;
per te, ille falsæ diuinitatis fastus in fumum abijt.
habuit tunc & superstitio, sed insigni cum probro,
fumosas imagines Deorum.
exegisti tu ipse ex Præfecti filio
infestum hospitem Lemurem;
nomen obsesso fuit, ab astris ductum, Asterio.
iterum visus est communis deijci hostis
ex astris in Stygem.
Vitreum cyathum, quo libabas in sacris,
impulsu impiorum fractum
in integram restituisti formam:
sed fregisti animum hostis, quia cùm hoc fieri vidit,
desperauit, posse te vlla vi frangi.

VI.

VI. Idus Augusti

SS. CYRIAC. LARGVS, ET SMARAGD. Martyres. 8 *Augusti*

Synop. *Ostenditur, opportunè conuenisse cum Cyriaco Largum, & Smaragdum, & auspicata eis fuisse supplicia. Stygijs hostibus terrori fuerunt. post præclaram necem à Lucina matrona honorificè sepulti sunt.*

ENCOMION 255.

Nihil Cyriaco accidere potuit gratius,
quàm socium habere necis Largum.
hoc fuit in votis, effundere sanguinis plurimum;
quia prodigus erat magnæ animæ.
sed alter item accessit socius, Smaragdus,
quia non nisi pretiosa mors Cœlitum:
& largè fusus est sanguis, & pulchrè;
quot cruoris guttę, tot gemmæ.
extenta in alta strue sunt Largi membra;
bene rès cecidit, nam Largus factus est largior.
iussus est arenam Smaragdus effodere,
nempe non fuit inuidendum
gemmiferis Naturæ fluuijs,
voluentibus ad ripas arenam diuitem;
quamquam ipsi omen etiam accepere virtutis;
quia strenui facti sunt pugiles,
arenam sparsere suam theatro;
luctati sunt cum ipsis Acherontis monstris,
Romæ primùm, deinde in Perside.
Cùm Diocletiani Cæsaris, & Saporis Regis filios
illorum obsidione soluissent,
ducti sunt ante rhedam ingratorum catenati,
sed eam triumphalem sibi fecere pompam.
demùm mors illis cessit in natalem,
quia à Lucina sepulti sunt, obstetrice gloriæ.

V.

V. Idus Augusti

S. ROMANVS
Martyr.

9 Augusti

Synop. *Militia se exercuerat, postea religionem amplexus est quòd vidisset Angelum, qui Laurentio noctu in igne posito sudorem abstergeret, & eius in acerbissimis supplicijs constantiam admirabilem aspexisset.*

ENCOMION 256.

Versatus in acie diù, Romane, miles
cessisti nunquam;
sed victor in campo, victus es in vrbe,
immò inter parietes;
Laurentio videlicet victori dedisti manus.
solitus progredi, vt pugnares in Solem,
expugnatus es noctù.
plus potuit cinis pyræ, quàm puluis campi.
mirares ex aspectu illius flammæ,
incessit tibi cupido aquæ,
quæ initiatum ritè lustraret.
miratus es robur inuicti ducis,
vibrantis in Cæsarem linguę lanceam.
stupuisti, quòd videres laurum inimicam fulmini
euasisse in belli fulmen.
meruisti, vt videres vnus ex plurimis
auxiliares copias Cœlitum,
succurrentes bellatori Laurentio:
exceperunt nobilem eius sudorem puro linteo,
ne in cinerem deflueret.
scilicet immortaliter reseruandus erat ad specimen
ceteris desudaturis in campo.
Iussus tu virgis cædi, ac damnari capite,
non clamasti, vt effugeres mortē: Ciuis Romanus sum:
sed vt obires: Cultor Romanæ religionis sum..

IV.

IV. Idus Augusti.

S. LAVRENTIVS
Martyr. *10 Augusti*

Synop. *Laudatur eius eximia liberalitas in egenos; eiusdem tolerantia, denique victoria de supplicijs. memoratur magnificentissimum templum ab Hispaniarum Regibus ei erectum, & exornatum.*

ENCOMION 257.

Fecisti, Laurenti, inaudito prodigio,
vt laurea sumeret viriditaten à flamma,
sed non nisi tuo madefacta sanguine:
igneæ illæ tot linguæ
per latus nequicquam crepitantes tuum
minus argutę fueruut,
quàm vna, quæ tyrannum increpuit,
ex ore libero vibrans.
noctu res acta est domi,
vt pyropi explendescentis appareret pretium:
propter aurum piè in egenos effusum,
euasisti purius ipse in igne aurum.
quin etiam meruisti delubra
regio sumptu aurea,
habet & suum Hispania Capitolium,
nisi quòd, vt virescant laureæ Ducum,
non inferuntur in Iouis sinum, sed in tuum.
ex hoc igne bellicum fulmen accendit
victrix illa Austriacorum Cæsarum aquila.
ex hac arbore Victoria decerpit ferro
renascentes semper lauri ramos.
cœpit Hesperus te illustriorem sequi Solem:
didicit à te prodigo auri virtus Hispanica
vertere Martis arma, vel spolia,
in triumphalia ornamenta pietatis.

III. Idus Augusti

S. TIBVRTIVS
Martyr.

11. Augusti.

Synop. *In paterna domo educatus, vbi Manteum erat, & disciplina matheseos, astrologica signa fregit. ignē constanter pertulit. ad necem denique hilariter properans, quendam casu confractum sanauit.*

ENCOMION 258.

Cùm esses Cromatij Præfecti vrbis filius;
Præfectus es ipse ceterorum constantiæ,
quibus exemplum dedisti tuæ.
paternam domum incoluisti puer,
vbi disciplina erat omnis astrorum,
mirum dictu: primus gradus fuit ad sidera,
perdere in terris falsa simulacra siderum,
vt occupares in Cœlo vera.
mirus honor. adhuc in terra positus
calcasti pedibus sidera;
fortior fuisti ea deijciēdo, quàm Hercules sustinendo.
iussus es subiectum quoque calcare ignem,
visum est hoc facile post calcata astra ignea.
dixisti, prunas tibi videri flores,
adeò non modò non exaruit tua virtus igni,
sed potiùs effloruit.
tua mors non opus habuit aliorum inferijs,
hostis ipse coronauit tumulum,
cùm obtulit morituro flores.
aditurus iam ad suplicij locum
quendam ex alto in præceps actum solidasti mirè:
meruisti, qui vana fregeras signa, vt sanares fractum.
deiecisti tunc omninò de spe tyrannum,
nam cùm vidit alteri debili soliditatem à te datam,
te ipsum à se debilitari metu posse diffidit.

Pri-

Pridie Idus Augusti

S. CLARA

Virgo. *12 Augusti.*

Synop. *Hostibus Assisium vastantibus opposuit virgines suas, asperso capitibus cinere. iterum opposuit diuinam dapem, ad cuius aspectum diuinitùs commoti, & perterrefacti hostes, fugam statim inierunt.*

ENCOMION 259.

Non hoc in prodigijs numerandum,
quòd Vmbria protulit Claram,
sed quòd Clara fugerit lucem, amarit vmbras,
humanæ contemptrix gloriæ.
perstrinxit tamen oculos hostium
non armorum fulgore, sed suo.
Assisium patriam à Vitali duce obsessam
vna explicauit periculo,
vittata virgo.
nisi quòd, vt vitaret interitum patriæ, & metũ mortis,
miro consilio, & suum, & suarum virginum capita
insperfit cinere.
scilicet Vitalem ipsum terruit mortis omine,
breui hic peremptus excessit è viuis.
At verò eadem aliàs est armis vsa contrarijs:
nam opposuit mortiferis hostibus vitam,
diuinam scilicet dapem auidis sanguinis,
qui captiuas facere conati sunt virgines
:capti repente sunt oculis;
mirum visu. ad aspectum Claræ offusæ sunt tenebræ,
ad præsentiam numinis amiserunt lumen.
sed nimirum, qui in Venerem incesti ruebant,
facti sunt Cupidini similes;
qui pudorem spoliare sunt ausi purpura,
expalluerunt metu.

Idibus Augusti

S. HIPPOLYTVS

13 *Augusti.*

Martyr.

Synop. *Præfertur Hippolyto Dianæ alumno, ac venationi dedito. A Concordia nutrice animatus est ad martyrium viriliter ferendum. ab equis distractus est, quod genus necis auspicato præseferebat nomine.*

ENCOMION 260.

Digniùs in te laudando desudasset Græcia;
quàm in Hippolyto altero.
non fuisti, vt ille, alumnus Dianæ triformis,
quia vno vultu prætetulisti constantiam.
non in siluis trepidas insecutus es feras,
quia ob pœnarum metum non delectatus es fuga.
nec tamen nullum venandi studium fuit;
iaculatus es probris, nec vano ictu
& Dianam ipsam, & ceteros Deos.
Dux venationis Concordia nutrix fuit;
aluit te lacte, vt funderes sanguinem.
lætata est, quia fundere videbatur suum.
hoc vnum spectauit accuratè Concordia,
inter te scilicet, Deosque dissidium.
tam infestum, & acre bellum
non concitasset ipsa Discordia.
victor deinque, & spoliis Deorum onustus
insignes habuisti equos,
quos triumphali iungeres currui:
suffecit equos ipse hostis;
tu triumphum sanguinis ornasti purpura;
iam faustum ferebas omen in nomine;
Laurentius suffecit lauream:
is, te admirante, aperuit oculos cæcis,
vt noui spectatores noui triũphi essent, parti per necē

XIX.

XIX. Kal. Septembr.

S. ATHANASIA

Virgo. 31 Augusti

Synop. *Eius insignis, & eximia pietas commendatur. hydropem mirè sanauit. viuens vili amictu induta, at post mortem visa cum insigni ornatu. ex eius sepulcro sonus quidam mirificus audiri solitus.*

ENCOMION 261.

Cùm præfuit hæc suis in parthenone virginibus,
veterum Vestalium inobscurauit gloriam,
quamquam ad ignis excubantium lumen.
ille verè immortalis dicendus est ignis,
cuius hæc cum suis custos fuit æterna;
maduit tamen semper vbertim lacrymis;
non ignara, id genus ignis nutriri hoc maximè fomite.
nec minùs illud mirandum, quòd ipsa aquis inundans,
in alijs siccauit aquas,
hydropem enim prodigiosè sanauit;
nempe nihil infensius erat ei, quàm tumor;
detumescere docuit etiam à fastu animum.
vilibus contenta pannis, & peplo,
muliebrem viriliter odit mundum;
nisi quòd visa est post obitum suis,
cum corona illuminata gemmis, & purpura,
ex antistita iam regina.
quin etiam nullas habuit sepulcri sordes,
sita fragauit diù post sine situ;
ancipiti discrimine tenuit oculos
quærentes, annè adhuc viueret?
horrori scilicet fuit morti,
nomen ipsum oppositum Athanasiæ. ἀθάνατος immortalis
cæteris sepulcrale marmor est mutum,
sed huic, quia vocalem habebat famam, insonuit.

XVIII. Kal. Ceptembr.

15 *Augusti*

S. ARNVLPHVS

Episc.

Synop. *Eius sanctitas prædicta est ab Angelo, & à quodam eremi cultore. miles antea fuit, postea Episcopus: quod munus fugiens, dum specum subit, à lupo itineris duce reductus est in vrbem.*

ENCOMION 262.

De Arnulpho nascituro mater oraculũ accepit duplex,
vnum è cœlo, alterum è siluis;
vnus Cœlitum splendido eum ore prædixit;
accessit alter vates, nemoris cultor;
nempe cœlestem in siluis agere vitam statuit,
sed virtus eum latere non siuit.
armorum primò studium eduxit in Solem;
In Belgio, Brabantiaque belli fulmen egit,
mox prætulit Soli vmbras nemorum.
mirum: vt ferinum exueret in hostes animum,
siluestres conuenit feras.
rabidi canis appetitus morsu,
se sequi iussit latrantem.
obmutuit, adhæsit ad blandiens quasi hero;
nisi quòd se ipsum hic lacerabat acriùs,
acerbo cruciatu sponte diuexans corpus;
mites fecit insurgentes in se belluas,
sibi ipse immitior belluis fuit.
In nemus ingresso placidè associauit se lupus,
sed à lupo, contra quàm putabat, aut optabat,
reductus in vrbem est,
expetitus Augustodunensium præsul.
quàm felix gregis illius sors fuit,
cui pastorem amissum dux reddidit lupus!

XVII.

XVII. Kal. Septembr. 16 Augusti.

S. HYACINTHVS
Ord. Prædic.

Synop. *Præfertur fabuloso Hyacintho. laudatur rigidum vivendi genus. suffocatum quendam in aquis restituit vitæ. fluvium sine nauigio traiecit. matura messi penè deperdita succurrit precibus.*

ENCOMION 263.

Fecisti, Hyacinthe, pulcritudine virtutis veræ
deformem de altero Hyacintho fabulam,
quem de forti Aiacis cruore natum dixerunt;
comparasti decus tibi ipse cruentus, & asper.
cum durum subijciebas pro puluinari lapidem,
effloruisti nisi molliùs, certè pulchriùs.
nullæ in te inscriptæ fuerunt flebiles notæ,
nisi morientis Dei.
exarescere tui decus floris haud potuit,
quia prodigiosus fuisti in aquis maximè,
puerum, quem vnda demerserat extinctum,
reddidisti vitæ.
sed illo in primis expalluit Natura prodigio,
cùm Vandalum fluuium traiecisti
sine nauigio altum, & rapacem;
quinimmò oppasso pallio deuexisti etiam tuos.
ausa non est aqua pulcherrimum florem perdere,
noluit ex Hyacintho facere Narcissum,
fecit potiùs, vt apud se effloresceres magis.
quin etiam segetem vi procellæ deiectam
in integrum excitasti;
restituta est messis beneficio floris.
non visus es morte languescere, Virg.
vt flos succisus aratro,
qui aratorum consuluisti labori.

17 Augusti. *XVI. Kal. Septembr.*

S. MAMAS

Martyr.

Synop. *Incredibili robore animi præditus, giganti præponitur Mimanti. contriuit Serapidis statuam. in ignem frustra iniectus. feræ, quibus obiectus fuit, sudorem delinxerunt. tandem tridente confixus occubuit.*

ENCOMION 264.

Penè veteris gigantis sortitus es nomen,
at non inane virtutis habuisti omen;
nisi quòd dici non potuisti terrigena;
vel quia ex Patriciorum nobili gente editus;
vel quia cœlestes potiùs ostendisti mores;
hoc habuisti Mamas Mimantis proprium,
quòd bellum indixisti Dijs, sed acrius multò,
cum Serapide maximè inijsti pugnam,
comminuisti Aegyptij bouis cornua.
at cùm te lapidibus onerauit hostis,
arma suffecit satis idonea,
quibus & lapideos appeteres Deos:
plus egisti, quàm alter aggestis saxis, & montibus.
In igni quoque versatus, sed impunè,
Hor. vt assuesceres non timere igneum fulmen Iouis,
quo Mimantem ferunt oppressum.
sed quid tu posses validus Mamas,
didicerunt etiam immanes belluæ;
siquidem in te immissi pardus, & vrsus
absterfere lingua sudorem pugilis.
extinxisti videlicet in ijs cædis sitim sudore tuo.
Cum saxo deiectus es in mare, at enatasti leuior.
demum immisit hostis ferrum in viscera,
formatum in tridentis speciem,
sed ita visus es etiam tenere imperium maris.

XV.

III. Kal. Septembr.

S. AGAPITVS

Martyr. 18 *Augusti.*

Synop. *Prænestinus ciuis hic fuit, ea in Vrbe, in qua Fortuna coli solita. ignitas in capite prunas pro religione pertulit; cruciatus etiam fumo. feris est obiectus, sed eas sibi omninò mites est nactus.*

ENCOMION 265.

Fecisti, adolescens inuicte,
vt Præneste patria diceretur non iactanter, at verè
Polystephanos,
nisi quòd multarum coronarum vrbem
fecisti parcam,
quia vnus tu coronis dignus innumeris.
insignis olim patria Fortunæ delubro fuit,
sed nunquam sibi est visa felicior,
quàm cùm ciuis illusisti Fortunæ Deorum;
Fortunata cœpit dici veriùs pœnis tuis,
immò triumphis tuis.
cum prunis ardentibus onerarunt caput,
clarissimis illuminarunt gemmis.
viuens, ac nondum numeratus inter Indigetes,
vel ab hoste radiatam habuisti frontem;
insignia meruisti Cœlitum collocatus in terris.
cum subiectus est ad cruciatum fumus,
triumphalis pompa virtutum fuit illustrior;
pre harum fumo, minus nobiles esse cœperunt
fumosæ Romanorum imagines.
sed eduxit te etiam in amphitheatrum virtus,
vt edomares belluas, quas subijceres currui;
ante illas pedibus subiecisti, quàm iugo.
aperuisti ora hominum in plausus,
cùm clausisti ferarum ad morsus.

XV.

XV. Kal. Septembr.

18 Augusti

S. HELENA
Imperatrix

Synop. *Commendatur insignis, & praeclara eius pietas in adeunda vrbe Hierosolyma, & quaerenda Christi Cruce, clauisque, quos inuentos Constantino filio imperatori pro certo amuleto obtulit.*

ENCOMION 266.

Plus est, quod Helena contulisti filio,
quàm quod illi cessit imperatorio iure;
clauum imperij sacris stabiliuisti clauis.
vt augustale illius amplificares decus,
(mirum consilium) scrutata es loca dedecorum.
sepultum trophæum excitasti salutis:
cominuisti positum ibi Veneris signum,
nouum cecinit fama: Helenam aduersari Veneri.
quęsiuisti inter ruinas, & rudera
trabem, fulcimentum mundi ruentis.
triumphalia Dei signa victoris
extulisti, ex Imperatrice, vexillifera.
nudasti quasi conditum in vagina gladium,
quem timidiùs hostis, vt hebesceret, abdidit.
cùm nobilitari Roma cœpit his clauis,
desiijt tunicas suorum iactare clauatas;
visus est Senatorum latus clauus angustus,
cùm vbique terrarum se horum protulit decus.
cœpit Cæsar equum non auro frænare, sed ferro,
vt spolijs Barbarorum potiretur aureis.
viluit deinceps ipsum diadema gemmatum,
nisi hoc haberet in fronte ferrum.
cessauit se Adria agitare confixus ferro.
habitus est Constantinus felicior Xerxe,
qui Hellespontum ferro, sed post naufragium, icit.

XVI.

XIV. Kal. Septembr.

S. LVDOVICVS

Episc. Tolosan. 19 Augusti

Synop. *Relicta regia religiosam vitam insigni pietatis exemplo amplexus est. egregius contemptor fuit humani fastus. cilicio indutus se vexabat asperrimo. pedes pauperum lauare solitus filius Regis.*

ENCOMION 267.

Natus, Ludouice, ad hæreditarij Regni sceptrum,
Pontificium gestasti lituum.
neutrum voluisti, sed prudens virtus
pastoris nomine honorem obtexit, vt caperes.
putasti seculi fastum fortunæ ludum.
In paterno bello iacta est alea Martis contra votum,
sed nulla facta iactura virtutis ex voto.
datus es pro parente obses,
sed nulli par pretio;
apud hostem degisti, sed more victoris.
pro prædè tenuit ille prædatorem Erebi.
At verò nunquam tu visus es maior,
quàm cum posthabitis aulæ Magnatibus
addixisti te familiæ Minorum;
maluisti nodosa veste constringi,
quàm regijs curis.
sed cum asperas sponte induisti setas,
cum exanguis expalluit vultus,
tunc solito magis erubuit purpura.
cum accidisti ad pedes pauperum pronus,
assurrexit tibi de solio ipsa Maiestas,
submisit fasces demisso.
prętulisti diademati capitis sacras infulas,
paratus videlicet ad aram pro tuis
infulatam offerre te victimam.

XIII. Kal. Septembr.

20 Augusti.

S. PHILIBERTVS

Abbas Ruspen.

Synop. *Stygium hostem immanis vrsi specie in se inuadere conantem edomuit. ab eodem candelabro ictus est, sed illæsus. frustra ab aditu templi reiectus. eius aduersarij miserè perierunt à Deo puniti.*

ENCOMION 268.

Præfectus hic fuit Ruspicensi palæstræ,
pugilum præclarus aliptes,
luctantem sæpe secum prostrauit Ditem,
qui humana forma victus induit ferinam:
immanis vrsi occurrit specie,
sed fecit ex pugili venatorem etiam egregium,
confodit hic statim feram iaculo precum,
acriorem Erymanthi apro.
cum iam sua omnia consumpsisset hostis tela,
arripuit aliena, hæc etiam frustra;
nouum teli iaculatus est genus,
candelabri hastile coniecit,
stultiùs multò, quàm immaniùs fecit,
scilicet, vt Philibertum extingueret,
accensum adhibuit lychnèum;
quem facere non potuit saucium, fecit clarum.
conatus est etiam, eum prohibere aditu templi,
opposuit pro foribus sese transuersum,
sed hic robore virtutis strauit aduersum.
victus hostis alumnos ipsius accendit ira,
sed qui exturbare ex ædibus sunt ausi parentem,
aut ferrea effuderunt viscera,
aut caduco opressi sunt fulmine;
nempe expelli debuerunt vita,
qui expulerant ducem vitæ.

XIII.

XIII.Kal.Septembr.

S. BERNARDVS

Abbas Claræuall. 20 Augusti

Synop. *Immisit se in gelidas aquas, vt libidinis extingueret faces. Gulielmi contumaciam obiecta diuina dape fregit. quæ scripsit de sacro epithalamio, ad ipsius laudem transferuntur, atque aptantur.*

ENCOMION 269.

In absinthij anteà valle dicta, Bernarde, degisti,
qui dictus es mellifluus.
occultas insidiantium latronum latebras
Claram fecisti vallem,
palæstram fecisti virtutis.
cùm opposuisti te Petroleoni acriter,
poteras victor incedere onustus leonis spolio,
nisi maluisses mitior videri, quàm fortior.
terruisti tamen Aquitaniæ ducem Gulielmum,
cum armasti manum diuina dape;
nemo tantum districto valuit gladio,
quantum tu in vagina recondito,
tecto videlicet sub panis forma numine.
inter prodigia, pueri mœrore tabescentis lacrymas
tuo siccasti osculo,
versatus scilicet inter pudica simul, & læta spōsi oscula,
cecinisti epithalamium virginis sponsæ,
auspice Amore, pronuba Fide.
prætulisti mammas crateri, lac vino.
eas optimo laudasti fragrantes vnguento,
alienus licet à Seplasiæ luxu.
Oenophorus, ac promus regij meri
vnà cum sponsa subijsti cellam:
at nunquam magis fuisti sobrius,
quàm cùm inter eiusmodi vina ebrius,

colligasti inter vbera myrrhę fasciculum;
vt solueres grauem amararum curarum fascem:
mirè fecisti:vt lac è mammis exprimeretur dulcius,
appressisti pectori myrrham.
pręter hęc,sparsisti genialem floribus thalamum,
sed eundem fecisti quasi campestre tentorium,
quia multis obuallasti armatis,
factus est somnus sponsi celeber vigilijs tuis.
At cũ descripsisti augustalis domus laqueare cypressinũ
digna scripsisti cedro.
Visum etiam est pertinere ad Bernardi nomen
narrare accumbenti Regi officia pręstita,
vnguentum scilicet è concha defusum nardinum.
& illud mirum, quòd intra parietes clausus,
venatus es capreas,ceruosque campestres.
dolosas irretijsti vulpeculas,
ipse simplex,& fraudis ignarus.
Regium etiam efformasti ferculum affabrè.
cum purpureum eius es fabricatus ascensum,
excitasti tibi gradus ad laudem.
sculpsisti in medio egregius anaglyptes
Amoris triumphum.
Duxisti etiam sponsę,ac sponsi lineamenta coloribus;
vsus maximè purpurisso pudoris.
vnius comam,quæ corui instar,stylo expressisti cãdido,
non minùs,quam alterius oculos,qui instar columbæ.
prę huius candore,& religione columbæ
nec alba illa Syrorum dicenda,nec sancta.
Tibul. Labia coccinea constrinxisti vitta.
laxata tantùm in laudes sponsi.
genas fecisti malo punico similes fracto,
vid.adag. sed integra,& solida fide,non Punica.
quin etiam eiusdem turritum erexisti collum;
quippe futura fortium mater heroum,

vt

vt opponeres turrito capiti matris Deorum.
appendisti ex ea turri omnia armorum genera,
ne quis metu detrectaret pugnam.
Castra,quia certa victoriæ,cesserunt in choros;
tubæ,ac litui,in lyras,ac tibias.
In pardorum, leonumque lustris es impunè versatus;
nimirum restiteras generosè Petro ipsi Leoni.
Minus suauis est visa Nestoris Homerici gratia,
cùm sponsæ os fecisti manãs non modò melle,sed lacte.
pallio spoliatam vestisti tui sermonis ornatu.
Mirus fuit in te dicendi candor,
vel cùm illam dixisti nigram;
à Sole decolorem,verbis colorasti præclarè,
obsignasti cor sponsæ,cælatura sponsi,
non resignandum vel ipsa morte.
commisisti in arena insigne par pugilum,
Amorem paratum mori,Mortem amare.
descriptæ à te pudici Amoris igneæ tædæ
non minus illustrem fecere,quàm feruidum.
flumina acuent flammam,lumina etiam nutrient;
hoc à torrente accipiet, vt torreat magis.
At vbi ad tornatiles sponsi deuentum est manus,
in orbem ductas tornasti periodos,
aureum eius caput decorasti aurea lingua;
cùm palmæ dixisti simile, eloquentia superasti omnes:
genæ,quas pigmentis oblines descripsisti,
caruerunt fuco.
distinxisti sapphirinum vterũ spõsi schematum gẽmis.
de labris myrrha delibutis locutus es dulciter,
de marmoreis crurum columnis oratione flexanimi.
quæsiuisti vnà cum sponsa sponsum meridie,
qui videlicet eras in Clara positus valle:
quò hęc humilior,
eò maiore cum impetu diuina fluenta
ex alto tibi manabant Olympo.

XII. Kal. Septembr.

S. PRIVATVS

21 Augusti

Episc. Gaualit. M.

Synop. *Honorum fuga se celebrem fecit, diu latuit in specu. Episcopus factus, pro suorum incolumitate, irruentibus in vrbem Barbaris se strenuè opposuit; obtulit. libenter humeros lictorÿs cædendos virgis.*

ENCOMION 270.

Nihil esse voluit Fama tam insigne, tam publicum,
quàm Priuati gloriam.
hoc ille habebat in votis, quod erat in nomine;
nisi quòd virtus compotem voti non fecit.
hoc vnum fuit illi cum virtute dissidium,
quòd noluit sedere sublimis;
sed tandem compensata sunt vota,
quia alterum ipsi optatissimum contigit,
vt Priuatus pro suis priuaretur vita.
oppositurus se irruentibus in vrbem barbaris
ante abdidit in specum;
adijt vmbras antequàm Solem;
virentes eum laurus, & quercus
acuerunt ad pugnam spe coronarum.
in herbescente versatus est nemore,
ne porrigeret herbam victus.
noluit hortari ciues, vt se dederent hostibus,
ne vnà cum illis traherent impietatis iugum.
non est passus in se dominari, ac suos
vilia Deorum seruitia.
Vt molem sui muneris sustineret firmiùs,
lictorijs virgis humeros sponte subiecit,
visus est non modò fortior Alcide, sed pulchrior,
quia excepit cœlum tergo purpureo.
maius humeris decus stillæ cruoris dedere, quàm stellæ.

XI.

XI. Kal. Septembr.]

S. SYMPHORIANVS

Martyr. 22 *Augusti.*

Synop. *Iussus est hic adolescens Cybelem Deorum matrem, siue Berecynthiam colere, sed eam constanter irrisit potiùs, ac superstitionem libera voce reprehendit; quamobrem neci crudeliter traditus est.*

ENCOMION 271.

Parente, Symphoriane, genitus Fausto
omen statim habuisti victoriæ
aduersus Deorum matrem.
iussus Berecynthiæ honores habere diuinos,
minimi eam habuisti, quæ dicebatur magna.
vnus oppugnasti tot eius capitis turres,
adolescens licèt, ac tyro.
illa tam numerosa natorum Deorum soboles
matrem de arce diuinitatis eiectam
tueri non potuit.
execrandis eius conuiciatus es sacris,
illusisti adolescentiæ castratæ, non castæ.
non timuisti constantia integer
excisas in eius mystis debilitati corporis vires.
nunquam tua magis audita vox est,
quàm inter perstrepentes Curetum buxos, ac tibias.
domuisti sobrius
lymphaticam fanatici furoris insaniam.
per te absona, & absurda videri cœperunt
tinnula cymbala Corybantium.
non dubitasti carpere Deam carpēto per vrbes vectā.
agminibus antea stipata populorum,
cœpit esse deserta.
eripuisti illi è currus iugo leones,
vt eos triumphali iungeres tuo.

X.

X. Kal. Septembr.

S. SIDONIVS Apollinaris.

23 Augusti

Synop. *Poeta fuit insignis ex Gallia. carmen pietate condiuit, non eo vsus ad fabulas, & ineptias, sed ad res diuinas, & castas, quo ceteris scribendi normam dedit. alluditur ad appellationem ipsius Apollinaris.*

ENCOMION 272.

Sidonius Apollinaris proprium sibi fecit
Lyrici poetæ præconium, (*Hor. Ode 2 l. 4.*)
laurea donandus Apollinari.
sed addidit præfecturæ Gallicæ insignia,
vt poesi honor accederet.
penè conuenerunt plectra cum sceptris;
duplex nomine prætulit decus;
à Sidone accepit purpuram,
ab Apolline lauream.
hoc sibi proposuit in carmine,
vt Castalides ex incestis faceret castas.
effecit, vt Aganippe curreret puris vndis.
Sirenibus victis eripuit pennas,
quas in scribendo aduersus ipsas acuit.
per hunc Sidoniam induit Apollo tunicam,
quia pudoris purpura incessit ornatus.
duxit choros Musarum non Venus, sed Virtus;
corollas ijs intexuit omnium pulcherrimas
ex Gallicis lilijs patrijs.
tunc cœpit verè Calliope dici pulchra.
nunquam tantum habuit gloriæ Clio,
sed nulla cecinit apud ipsum laudabilius
quàm Vranie.
alligauit metro carmina,
soluta in Deum mente.

IX.

IX. Kal. Septembr.

S. BARTHOLOMÆVS

Apostolus. 24 *Augusti*

Synop. *In intimam Indiam penetrauit. precationi diù, noctùque deditus fuit. KaKodamoni omninò formidandus, qui se ab illo catenis constringi dicebat, eiusque figuram graphicè descripsit.*

ENCOMION 273.

Ambiguum fecit fama, non virtus,
vtrùm esses è regio natus genere.
tua certè cutis regiam cessit in purpuram;
spoliari te illa siuisti,
vt pulchro posset imbui sanguine.
nouus haberi cœpisti Hercules,
sed nobilior tuo, quàm leonis spolio,
quia illud iubam habet, hoc iubar.
Domuisti maiora monstra citerioris Indiæ,
vsus nutu pro claua.
tua vox eripuit garrulis Dijs vocem;
nempe te diù, noctuque orante siluerunt oracula;
nisi quòd hoc tantùm fassi sunt Dij,
igneis à te catenis teneri se vinctos.
hostem ipsum habuisti præconem
probri sui, triumphi tui.
sed illud maximè admirationi fuit,
quòd turpissimum Erebi monstrum
pulcherrimam tui depinxit imaginem.
nigrum dixit capillum, nempè sibi fatalem;
grandes oculos, in sui exitium vigiles;
vocem bellicæ similem tubæ,
qua milites excitares ad pugnam acriter.
coegisti hostem, non modò se lingua faceri, sed habitu,
principis purpurati Aethiopem catenatum.

VIII. Kal. Septembr.

S. LVDOVICVS

Rex Galliæ.

25 *Augusti*

Synop. *Hierosolymam hostibus eripere aggressus est piè bello, vt eam vrbem, imbutam Dei cruore, religioni restitueret: sed orta in exercitu pestilentia, cum magna significatione pietatis è vita migrauit.*

ENCOMION 274.

Duplex sustulisti, Ludouice, vexillum,
alterum belli, alterum pietatis.
sub illo meruerunt milites,
sub hoc Reges.
nihil aggredi te posse putasti dignius Rege,
quàm vt nobilem vrbem, veterem Dei regiam
extorqueres barbaris.
Minus lætus viuebas inter Gallica lilia,
nisi Dei liberatoris tibi vendicares vepres.
non es passus è pudica Virgine nati cunas
Epicureorum fieri haram.
minus ampla videbatur augustalis aula,
si sacri stabuli careres angustijs.
paratus eras vel pro lactēte Deo prodigere sanguinē.
vile putasti diadema illuminatum gemmis,
si vilia sineres esse loca,
vbi Rex miserorum inauguratus est Deus.
ludibrium illud adumbratæ purpuræ
prætulisti fulgori tuæ.
arma religioni seruire iussisti,
vt explendescerent magis.
communem expertus es Martem,
at non communi constantia.
nunquam tua virtus est visa Cœlitibus purior,
quàm sub contaminato Cœli tractu.

VII.

VII.Kal.Septembr.

S. ALEXANDER
Martyr. 26 Augusti

Synop. *Vnus è Thebaeorum legione fuit. praefertur Alexandro Macedoni. simulacrum, ante quod est ductus, ex ara pede deiecit. ante necem ablui voluit.. demum eius corpus sepultum est à matrona, cui nomen Gratia.*

ENCOMION 275.

Habuit suum Thebæorum legio Alexandrum;
vt fama desineret iactare alterum.
hic cœpit verè dici Magnus,
qui fictum Magni parentem spreuit
Ammonem Iouem.
non tantum ille potuit armata manu,
quantum hic exarmato pede.
constitutus enim ante aram, ac mensam Deorum
sacris onustam vasis,
disturbauit eam pede, calces impegit;
comminuit thuribula, capedines sympula, signa;
declaratus est victor inermis.
nequicquam à Cæsare iussus est cædi;
non tremuit ipse, sed diuinitùs exhorruit lictor,
proiecit ferrum, damnauit artem;
suffectus est alter, & ferro armatus, & ferreus.
Ablui voluit ante necem aqua
scilicet vel vt profanũ fractæ arę abstergeret puluerẽ;
vel vt ad suppliciũ tanquã ad epulum lautus accederet.
alter Alexander, cùm in gelidum se intulisset Gangẽ,
penè extinctus est vita;
at hic immortaliter victurus fonte se proluit.
Demum proiectum corpus piè extulit funere
matrona, nomine Gratia;
nẽpè ostendit, nihil sibi gratius accèdisse, quàm necem.

VI.Kal.Septembr.

S. CÆSARIVS

Episc.Arelaten.

27 *Augusti.*

Synop. *Ne crearetur Episcopus, delituit in sepulchro diũ. Theodosio Regi magno in bonore fuit. confertur cum Athanasio Præsule, qui item latuit in sepulchro. vrbem à maximo incendio liberauit.*

ENCOMION 276.

Erubuit ambitio candidata,
cùm inuisitatum audiuit Cæsarij factum:
ne honore afficeretur antistitis,
intra sepulchrum se abdidit.
maluit penè sepulcralibus circumcingi institis;
quàm pontificijs velari infulis.
meritò eum allocuturus rex ipse Theodosius,
deponebat diadema gemmatum:
mira virtus.ne candidatus haberetur,
videri maluit atratus.
obitus illi charior,quàm ambitus fuit.
nisi quòd cum * solio commutauit solium
cum imo sublime,cum vili nobile.
Latuit & Athanasius Præsul in tumulo,
sed ille,vt fugeret impetum mortis,
hic vt fugeret decus vitę.
at latere non potest,quem tegit virtus;
extrahitur è sepulchro viuus:
tunc dolore propè corruit exanimis,
cùm inter exanimes non licuit viuere:
penè excessit è viuis,cùm recessit à mortuis.
Atqui versatus hic inter tumuli cineres;
effecit postea,ne ciues abirent in cineres.
extinxit enim excitatam subitò in vrbe flammam:
mirum;bustuarius cauit, ne fieret bustum patria.

† solium etiam pro tumulo.

VI.

V.Kal.Septembr.

S. AVGVSTINVS

Episcop.Hippon. 28 Augusti

Synop. *Ex Manichæo acerrimus veræ religionis defensor est factus, hæreticos, & religionis hostes acriter insectatus. ex diuersorum librorum titulis, quos sapientissimè scripsit, eius laudes eruuntur.*

ENCOMION 277.

Nihil in te, Augustine, non monstro maius, *Vide adag.*
nempè in Africa natus es.
Punicus homo veram tutatus es fidem,
at non Punica fide.
Nusquam Roma præsidium inuenit certius;
quàm in Carthagine;
non tam hæc illi olim obfuit integris copijs,
quàm postea te vno profuit milite.
nihil magis cœpit haberi nouum,
quàm quòd Africa desinens monstra parere noua,
domitorem peperisset monstrorum etiam veterum.
alterum Carthago protulit Annibalem robore,
sed obstrictum sacramento pro Roma: *Plutarc.*
ille venenum habuit in annulo,
tu antidotum in calamo.
in vtriusque digitis vel mors est versata, vel vita.
sed ille hausit, tu euomuisti virus.
ille duro fregit aceto Alpes,
tu mero similibus fractus es lacrymis.
plus maternis debuisti oculis, quàm vberibus.
nunquam visus es mente constantior,
quàm cùm castra mutasti;
nunquam insignior, quàm cùm deseruisti signa.
miles transfuga acclamatus es imperator.
ostendisti iam sanior Manetem, & nomine, & re insanũ. *μανεὶς insanus.*

Xerxes

Xerxes compunxit infestum ferro pelagus,
sed acutius tu stylo Pelagium.
nemini Fortuna tam felix fuit in bello,
quā tibi, qui superbos religionis hostes fecisti miseros;
cùm scilicet Felicianum, Fortunatum, & Faustum
inominata fecisti nomina.
Stoicos eduxisti è porticu iu Solem,
lacessisti, vt tecum pro clara veritate certarent,
Epicureos euocasti ex hara,
castarum cultor ararum.
Vt veteris tuæ vitæ discuteres tenebras,
eas proferre non puduit in lucem;
sed cum fassus es crimina, desijsti dici reus.
Nemo in odèo cecinit suauius,
quàm tu, cum recantasti dicta.
sacrum instituisti Agonem,
sed athletam inunxisti lacrymis.
Eam, quam diuinitùs architectatus es Ciuitatem,
non æquarunt Athenæ, non Roma,
euanuit ipsa Ciuitas laruata Platonis.
Illa habita est Academia doctrina præstantior,
quam aduersus Academicos disputans instituisti.
Musicen perfecisti quà calamo, quà concētu virtutum
audierunt boni citharam, aduersarij tubam.
Tradidisti de virtutis Agone præcepta
Olympionices victorijs celeber, & aliptes.
lucidum efformasti Speculum vitæ,
non vmbratili, sed expressa virtute.
Proposuisti spectaculum gratissimum bonis,
Naturæ conflictum, & Gratiæ,
mirū: opposuisti Naturę ea, quę ab ipsa acceperas, arma,
acumen ingenij.
victricis Gratiæ libera suspendisti trophæa:
sed nullum nobilius, quàm te ipsum.

IV.

IV. Kal. Septembr.

S. IOANNES BAPTISTA necatus.

29 *Augusti*

Synop. *Herodis execranda crudelitas pariter, & libido exageratur; qui inter vina, & choreas ausus sit, vt incesta mulieri rem gratam faceret, sanctissimo vati per summum scelus vitam eripere.*

ENCOMION 278.

Penè factum, vt dolore mutam haberemus Famam,
nempe destitutam ipsa Voce;
sed elusus est hostis, nam vox est etiam sanguinis;
quamquam hoc Ioanni erat in votis, perire;
ideò placuit, ipsum fieri conceptum
inter infulatas victimas aræ,
inter cruentas secespitas patris;
prælusit fatali puellæ saltui.
Sed exhorruit Natura spectaculo,
cùm Tyrannus scęnam fecit ex cœna:
scilicet natalem ipsum diem sui
emortualem fecit alteri.
dum prima celebrat lucis auspicia,
inauspicatò vltima eripit.
monstrosa sæuities: renouat sui memoriam lactis
aspectu alieni sanguinis;
pro crepundijs exhibet cruentas secures.
genethliaca munera vertit in funera.
inter vina euomuit virus.
quàm absurda vox impietatis fuit,
quæ inter musicos mensę modos
perdidit Vocem?
verba sibi fundere solitum aurea
sustulit ferro.

appel-

appelatus à Superis Magnus
fit per pellicem capite minor:
inter aras datus, inter vina sublatus;
ab ebrijs damnatus abstemius.
prò facinus. in conuiuio fit, ne viuat.
nempe vt vlcisci posset te hostem suum Venus;
socium habere voluit Bacchum.
gemina in vnum se armauit insania.
augustum templum locum dedit oraculo;
angustus carcer supplicio.
ob reprehensas incestas faces
extinguitur tæda ardens, & lucens:
inter puellares choreas occidit
præuius magno Soli Lucifer,
ei similis, qui choreas ducit astrorum.
quia suasit, adulteræ fieri repunium,
interijt tripudio.
librata saltu sunt membra;
sed sine libramento iustitiæ.
fertur in vna lance verendum caput;
at non altera scèleris penditur grauitas;
tametsi ipsa impietas fecit pretium,
cùm pellex regno sacrum præposuit caput.
maluit purpureas eius habere ceruices,
quàm purpuram suam.
maluit cruentas ad se secures afferri,
quàm laureatas sibi præferri.
regiæ fasciæ suæ prætulit alterius vulnus.
nouum crudelitatis certamen,
vbi cruento luditur disco.
Sed inusitatum in scelus noua genera cuduntur armorũ;
vt saltaricis ceruices puellæ secentur,
dirupta glacies acuitur in mucronem:
quãtũ est indegnata Natura, quæ ipsa exarsit in glacie?

III.

III. Kal. Septembr. 30 *Augusti.*

S. FELIX, ET ADAVCTVS Martyres.

Synop. *Felix ante simulacra Serapidis, Mercurij, & Dianæ ductus, ea solo afflatu deiecit, atque contriuit. idem arborem ingentem nutu euertit, vt fanum destrueret. ob id quidam ei se sociauit ad necem.*

ENCOMION 279.

Nunquam se tam miseros fassi sunt Dij,
quàm cùm hostem habuere Felicem;
non illis tantum exitij moliti sunt Titanes,
cum imposuerunt Ossæ Pelion,
quantum Felix solo spiritu,
apud signa Deorum est productus, vt coleret;
non manus admouit, vt frangeret,
sed adhibuit spiritum.
leui afflatu de ara deiecit:
nempè ideò tantum hic potuit parua anima,
quia prodigus erat magnæ.
ostendit quanta superstitionis esset leuitas,
cùm Deos tam facilè aura prosterneret.
tribus in primis exitio fuit Felix,
Serapidi, Mercurio, Dianæ.
didicit Memphis bouem suum irridere, non plãgere,
quadrato Mercurij signo nihil fuit infirmius;
nunquam inconstantior habita est Diana:
ostendit deuios errare, qui colerent Triuiam.
quin etiam extirpauit ingentem arborem,
ex ima tellure fibras euocauit spiritu,
vt eo casu opprimeret Deorum ædem;
extruxit illis tumulum Felix ex destructo fano.
demum cùm Deorum numerum strage diminuisset,
triumphi socium habuit Adauctum.

31 Augusti

Pridie Kal. Septembr.

S. AIDANVS

Episcop. Lindisf.

Synop. *Phaleratum equum, sibi à Rege donatum, obtulit pauperi, ne pudorem prostitueret. maris tempestates sedauit. incendium ab hostibus in vrbe excitatum precum vi compescuit, & extinxit.*


ENCOMION 280.

Abiecit, hoc præsule, paupertas sordes,
ex angusta euasit augusta;
ornata regijs incessit insignibus.
phaleratum hic equum ab Osualdo rege donatum
largitus est pauperi.
didicerunt seruire inopiæ
etiam armenta Regum;
mirum dedit in vrbe spectaculum pietas.
Præsidem intulatum peditem,
pauperem penulatum equitem.
ne venalis pudor adhinniret ad quæstum,
equum auro frænatum obtulit.
tunc primùm pallida paupertas erubuit,
cùm insedit equo constrato purpura.
minus iucunda cœpit haberi fabula
de Bellerophontis equo.
ille vngula eduxit aquas,
hic siccauit oculos pauperis.
oblita paupertas est abiecti generis,
cùm generosum admisit equum.
meritò huic inuentor equi Neptunus
cessit imperium in mare,
vt tempestates nutu sedaret.
quin etiam hostilem flammam frænis inhibuit,
fecit, ne illa per vrbem ad perniciem equitaret.

FA-

FASTI

veterum Romanorum, atque Græcorum collati cum noſtris.



SEPTEMBER



On pauci conati ſunt Septembri nomen eripere; Commodus in primis Imperator, qui appellari iuſſit Herculeum; ſed vera religio commodiſſimè ſanè oppoſuit *Herculanos* duos, qui in hunc ipſum incidunt menſem, ac præterea (quod idem græcè ſonat) *Heraclium*, ſtatim Kalendis ipſis, ac paullò poſt *Heracleam*. enimuerò cum religio mater fuerit fœcunda ſemper heroum, multos genuit Hercules nomine, innumerabiles factis. At Senatus Romanus in Tiberij Augusti honorem appellari decreuit Tiberium; poſtea in Antonini *Pij* decus, & gloriam Antoninum. Atqui apud nos etiam hic menſis *Antonino* ſacer eſt, nec vni, ſed omnino tribus, præſertim ei, qui è legione Thebæa extitit ſemper inuicta. Domitianus item Cæſar, Germanici cognomento aſſumpto appellari iuſſit Germanicum; denique Tacitus Imperator, Tacitum, quòd hoc menſe, & natus eſſet, & Imperator dictus quamquam poſterita[ti] aſſentari neſciens, non modò Taciti, ſed aliorum quoque Cæſarum nomina tacuit, retento Septembris. Auſpicatus porrò mẽſis eſt habitus ortu multorum Imperatorum, ac principum, Antonini, Aureliani, Honorii, ſed maximè Pompeii magni, atque ipſius Auguſti, immo verò conditoris, & parentis Vrbis Romuli; donec horum omniũ geneſim obruit magnitudine gloriæ *Magnæ Dei parentis*, ac, ſemper auguſtæ natalis. Fuit autẽ menſis in tutela Vulcani, hoc eſt Deorũ turpiſſimi; at cõtra no- *Roſinus.*

Marginal notes: *Alex. ab Alex.* — ἡράκλειο *Hercules*

bis in tutela nascentis magnæ *Dei Matris*, hoc est Cœlitum pulcherrimæ. in eorum quoque tutela, præter ceteros, quibus, pro religione impunè coniectis in ignem Vulcanus ipse ludibrio fuit denique versatus September est inter multa veterum triumphorum spectacula, sed multò plura nostrorum.

1 Septem. *Varro.* Kal. Septemb Meditrinalia celebrata quidam scribunt, hoc est festa Meditrinæ Deæ, à medendo dictæ. vinum libabant nuper expressum ad salubritatis auspicium. Sed multò suauius, & auspicatius libauit apud Senones *Lupus* antistes: custos, inquam, ille ouium verè præclarus, *Lupus*. huic autem ad aram facienti in sacrum cyathum, de quo libaturus erat diuinum cruorem, pretiosissima de cœlo visa est gemma delabi. Salubriter quoque libatus est pro vino sanguis, expressus in primis è duodecim fratribus, & quadraginta virginibus his autem ceteri, qui conueniunt Cœlites, faustum faciunt omẽ, felicitatis quidem *Secundinus*, fortitudinis verò, & *Castrensis*, & *Heraclius*, & Ἐλπὶς Spes. *Constantius*. facit & spei omen *Elpidius*, & victoriæ c m *Victorius*, tùm *Vincentius*, qui quàm libẽter ceciderit in bello victor indicat is quem habuit mortis socium, *Lætus*. at verò Meditrinæ Deæ salubritatis opponitur *Adiutor*. Græci, vti diximus, Kalendas cuiusq. mensis Phoebo, hoc est Soli dicarunt, sed Vmbria huius mensis Kalendas *Terentiano* potius clarissimo præsuli, & Gallia † *Aegidio*, cùm virtute, tum prodigijs illustri. Denique Kalendas, quas Demetrio Athenienses dedicarunt, eadem Gallia *Xysto Petri* auditori, ac primo Rhemensi præsuli optimè de se merito consecrat.

2 Septemb. 722 *Dion.* IV Nonas Septemb. Ad hunc diem pertinet celeberrima Augusti victoria naualis ex M. Antonio Triumuiro, & Cleopatra Regina apud Actium parta, quamobrem ab hoc eodem die eius monarchiam auspicantur. Sed minimi haberi cœpit victoria Cæsaris, cum ea collata, quam ingentis animi matrona *Maxima* de Diocletiani sæuitia retulit. nempe opposita fuit hæc Aegypti Reginæ Cleopatræ, corruptelæ illecebris irretitæ, nisi quòd & hæc margaritas effudit, sed largiùs, suum videlicet sanguinem. Consequitur agmen laureatum, in quo numerãtur in primis *Diomedes*, *Leonides*, *Philadelphus*; quibus se ad felicitatis omẽ adiungit *Eutychius*; nec desiderãtur ad spẽ certam victoriæ faciendam † *Elpidij* duo.

3 Septemb. III. Nonas Septemb. Illustris fuit hic dies Romæ tùm victoria, tùm triumpho, nam et Paulus Aemilius Cos. Perseum Re-

gem

gem superauit; & C.Sosius Procons. ex Iudæa triumphum egit: sed occuparunt hunc diem victoriæ illustriores, *Zenonis* in primis, & *Charitonis*, qui superbissimum elementorum ignem vicerunt. Ducit & agmen inuictum suorum *Agulphus* Lirinensis, qui præcisas sibi linguas obtulerunt famæ, vt fieret vocalior. Quin etiam tyrocinia ipsa pietatis inuicta fuerunt; nam, & *Antoninus* puer Capuæ, & *Basilissa* puella Nicomediæ, de castris rediere cum laureis. Illustrat quoq. triūphalem hanc pompam suo aspectu *Phoeb*, quæ nascenti religioni statim illuxit; in ea, præter Lunæ incōstantiam, nihil est, quod desideretur ad pulchritudinem eius sideris, quod dicitur *Phœbe*. at † *Seraphia* luci addit ardorem. Inter Aegyptiacos numerabant hunc diem veteres, hoc est inter infaustos, ab iniquó aspectu planetarum, sed faustissimum fecit nostra *Phoebe*. 586 719 *Liuius.* *Golez.*

Pridie Nonas Septemb. Ornauit huuc diem triumphus Q. Fabij Max. Rulliani Cos. de Samnitibus; Hetruscis, & Gallis reportatus. Sed Fabium cognomento Maximum vicit triumphi gloria *Maximus* nomine, qui socium habuit *Magnum*, cum vtroque autem se iunxit in morte *Castus*, neque enim pudor esse potest sine magnitudine quadam, & virtutis, & laudis. quid autem casti pudoris triumpho excogitari potest, aut maius, aut ornatius? Accedunt *Marcelli* duo duces inuicti, ac laureati alij multi Porrò hoc ipso die, qui & *Magno*, & *Maximo* sacer est, initium factum Romanis ludis, qui Magni vocabantur, ac dati sunt in Circo, qui dictus est Maximus, vnde & ludi ipsi Circenses dicti; Magni veró, vel quòd magnis impensis fierent, vel quòd magnis dicati Diis, in primis Ioui, Iunoni, Mineruæ. producebantur autem hoc mense hi ludi continenti serie dies nouem. Sed spectacula dedere de se maiora tùm ii, quos commemoraui, *Magnus* & *Maximus*, tùm † *Theodorus*, & *Oceanus*, inito ad gloriam cursu, hòc velociore, quòd ipsis dissecti sunt pedes: coniecti sunt quoque in ignem. sed nihil stultius à tyranno factum, quàm cum putauit, igne consumi posse Oceanum. At *Marcellus*, vt illustraret hunc diem spreuit, quem colere iussus est, Solem. Ceterùm, vt triumphalis hic dies albo signetur calculo, Neapolis quidem sufficit *Candidam*; Viterbium veró, vt decus addat candori purpurā, sufficit *Rosam*: atque haud scio, an alii Cœlitum sociari potuerint, aut gratius, aut pulchrius, quàm *Castio Candida*, & eidem, vt verecundo simul, & martyri, *Rosa*. 4 Septemb. 458 Golzius.

Nonis

5 Septemb. 310 393 387 Liuius. Goltz.

Nonis Septemb. Triplicis triumph i spolia opima profert hic dies: primũ egit M. Geganius Macerinus Cos. de Volscis, alterum M. Fabius Ambustus Cos. de Hernicis, tertium L. Aemilius Paulus Cos. de Perse Macedonum rege. sed omnem illam trium gloriam triumphorum meritò, ac iure sibi deposcit *Victorinus* ipse antistes, ac martyr, iussus per triduum in pœnas cum morte luctari. eandem sibi vendicat laudem nomine fortitudinis auspicato *Herculanus*, item Martyr. Adspirat & ad hanc Romanæ vrbis gratulationem iure quodammodo suo *Romulus*, aulæ Traiani præfectus. is enim verè parens dicendus est Romæ, qui pro eius tutela sanguinem fudit suum, non alter, qui fraternum. adde † *Eudoxium*, qui latere apud omnes voluit, præter Præsidẽ, cui se necdum spōte obtulit. Cōsequitur ingens laureatorum agmen: ii sūt in primis septuaginta septem, hieroduli omnes, qui à Valente iussi sunt in mari medio comburi, cum scilicet nulla inueniretur in terris vrna tam capax, quæ tanta cum animi magnitudine deuotos flammæ cineres videretur posse complecti. opportunè certè noua Roma illustrem horum in igni triumphum opposuit hodierno, quem Fabius egit, is qui a vetere dicebatur Ambustus, quòd puer ictus fuisset à fulmine.

6 Septemb. Macrob. Kal. vet.

VIII. Idus Septēb. Ater, & infaustus hic dies fuit. quamobrem Erebo ipsi ariete, & oue fusca, nigrauè sacrificatum. Sed ex atro & infelici fecit apud nos faustum diem *Faustus* ipse Martyr egregius; ex tristi lætum fecit *Lætus*, etiam ipse Martyr, ac præsul illustris, tunc maximè sui memor nominis cum positus inter flammas exiliuit gaudio. Superstitioni verò, qua Erebus placabatur, opponitur † *Eleutherius*, qui suis lacrymis quendam vita functum mirè ex Erebo reuocauit. At fusci coloris victimę succedit *Fusculus* ipse martyr: quamquam hic pro religione dirissimè cæsus se purpureũ fecit ex fusco; hoc tamẽ propositum semper habuit, vt Deorum infuscaret, & inobscuraret impium cultum. Denique ne immanes Erebi Furias placare necesse sit, præsto sunt earum furori oppositi *Mansuetus* in primis, atque *Præsidius*.

7 Septemb. 502 Onuphr.

VII. Idus Septemb. L. Cæcilius Metellus Proconf. de Pœnis triumphum egit. sed ille habitus est ornatior multò, quem de duobus Augustis, Diocletiano, & Maximiano egit Nicomediæ, hoc est in vrbe victrici, *Ioānes* Martyr. qui in pōpa illa omnia pœnarũ genera, quæ pertulit fortis, prætulit victor; nō

dubi-

dubitauit hic impium aduersus religionē edictū Cæsarū in fo ro ꝓpositum manu concerpere. Nec laurea caret *Eupsychius*, præclaræ certè mentis, atque animi vir, Adriani Cæsaris sæuicia superata. Adde triumphalē †*Euortij* pompam, in qua lætissimo spectaculo, & nouo captiuos duxit, non vinctis post terga manibus, sed solutis. Atque vt augustior sit triumphus, accedit è Gallia *Augustalis* ipse præsul, & ex Augustoduno *Regina* virgo, quæ ne videretur iactare nomē inane, sibi ipsa sanguine tinxit purpuram, impiorum ferro deuota. *εὖ bene ψυχὴ animus.*

8 Septembr.

VI. Idus Septēb. Octauus quisq. mensis dies apud Græcos Vulcano sacer fuit, ignis præsidi, & fœdissimo Deorum, at cōtra apud nos natalis potius est pulcherrimæ *Dei Matris*. Quāquā sumpsit hic dies vltimas post diutinum bellū pœnas de ea gēte, q̄ Liberatori magno impia fuit: hoc. n. die à Titi Vespasiani copijs capta atq; direpta vniuersa est Hierosolyma, & Vulcano tradita, hoc est igni consūpta. & meritò quidē fuit idē dies, & Iudæis feralis, & magnæ *Dei Matri* natalis: nēpe dolorē, quē illi huic morte filij intulerūt, exusta Patria cōpēsauit incendio. Attamē nascenti Virgini, felicitatis quasi daturus auspicium, opportunè accedit *Faustus*; commodè etiā ad eius prædicationē accedit *Nestor*, & vt mulceat orationis melle lactentē: tametsi Nestor hic nō tā studiosè hoc spectauit vt melle dulcior ex ore manaret oratio, quā vt fōte largior è venis flueret sanguis: quem item sanguinē tum † *Adrianus*, tùm *Neoterius*, aliiq; supra viginti abundè fuderunt, vt. s. recens natæ magnæ Cœlitum Principi imbuerēt pro purpura fascias. In Mineruæ natali pluisse aurum Rhodi magnificè potius, quàm verè suo more dixit Pindarus. atqui Dei mater auro prætulit horum sanguinē nulli pretio parē. *Alex. ab Alex. Baronius. Baron.*

9 Septemb.

V. Idus Septemb. Duorum Cæsarum natalis hic dies fuit. Aureliani videlicet, atque Honorii; sed hesternus Dei matris natalis verè aureus honorem sibi vendicauit omnem. Quāquam & illorum natalis verissimè dicitur, qui pro religione deuouere se morti † *Gorgonti* in primis, qui apud Diocletianū Cæsarē per amplos honorū gradus euectus, tunc se culmē attigisse putauit, cum iis neglectis altè suspēsus, & pœnas, & tyrannum ipsum infra se habuit. *Hyacinthi* quoq; mors est dicēda natalis, quia è suo cruore renasci, & reflorescere visus est. Accedit & *Straton*, cuius virtus inter arbores, quibus est distractus, eruruit, ac se diffudit in germina, vicit hic vnus *Vopiscus. Hist. trip.*

octo

octo, quos vetustas Stratones iactat, in primis Lampsacenũ illũ Theophrasti auditorem, qui vocatus est Physicus, atqui hic non tam de natura cum aliis philosophari voluit, quàm supra naturam singulari constantia sapere.

10 Septemb. A. Gell. IV. Idus Septemb. Ater hic dies fuit, quippe ante Idus quartus calamitatibus insignis multis. Apud nos contra, ne ater habeatur, & infelix, faciunt *Felices* duo, qui beatam vitam re ipsa consecuti sunt per necem. Accedunt itẽ *Victores* duo, quorum alter lictorias virgas, & ferrum, alter bestias, & voraciorem iis ignem superauit. cum vtroq; autem *Victore* quadam etiam nominis cognatione se consociat *Nicolaus*. Denique ne ater, ac funestus, aut fœdus habeatur dies, efficiunt, & *Lucias* Martyr, & *Hilarus* Pont. Max. & † *Pulcheria* Augusta virgo, cùm propter imperii, tùm propter pudoris purpuram, ornamentum religionis verè pulcherrimum.

νίκη victoria.

11 Septemb. III. Idus Septemb. Octauus hic dies est Circensium ludorum. sed nouas aurigarum factiones proposuit deinde Roma. ea verò factio maiores excitauit plausus, quæ Roseæ, siue Purpureæ respondet. ex hac profert Roma nunc † *Prothum*, & *Hyacinthum*, *Eugenia* virgini ad pudoris custodiã datos. Hispania verò *Vincentium* profert Martyrem; nempe inuicta gens armis abundat *Vincentiis*. Aegyptus ipsa, olim tenebris inuoluta, *Paphnutium* clarissimum præsulẽ educit; hic amissa per vim oculorum acie, conuenit tamen ad magnum illũ Nicænum Senatum, decreturus in religionis hostes acerrimũ bellum, acie mentis lynceus & luce prodigiorum splendens. fertur Constantinus ipse Imperator partem illam vultus veneratus, & miro religionis affectu exosculatus exoculatum.

vide Lipsium.

12 Septemb. Pridie Idus Septemb. Finem hic dies imposuit ueteris, nõ item nouæ Romæ spectaculis. nempe profert ex Alexandria quidẽ animosũ *Leontij* pectus, insignem *Valeriani* cõstantiã: nouam *Stratonis*, ac præstantiorem, quàm alterius, in perferẽdis pœnis philosophiam; ex Bithinia verò *Antonini*; ex Phrygia *Theoduli*, ex Iconio *Curomati* virtutem, denique ex Ticinio † *Iuuentij* vigorem, qui omnes maximo cũ plausu cursum confecerunt ad gloriam.

13 Septemb. Plutarch. Idibus Septemb. Capitolini templi dedicatio fuit, Capitolium enim à Tarquinio Prisco inchoatum à Superbo extructum, tertio anno post eius fugam ab Horatio Cos Ioui dicatum: quo item die Prætor maximus clauũ pãgere dicebatur, affi-

affigebat quippe illum dextero lateri ædis Iouis ex ea parte, qua Mineruæ templum erat:clauis autem numerabant annos; *Cassiod.* at numeros à Minerua putabant inuentos. Contrà nostri hoc sibi proposuerunt, vt dedicata Ioui, ac ceteris Dijs fana funditus, vel euerterent manu, si possent, quod aliquando prodigiosè fecerunt ipso nutu, atque aspectu; vel consilio ab ipsorum cultoribus destruenda curarent. in hac cogitatione versati sunt in primis *Philippus* Aegypti præfectus purpuratus etiā sanguine,& *Macrobius*, & *Ligorius*. Quod verò ad clauum pangendum pertinet; hoc heroes nostri spectarunt, hoc habuerūt in votis, vt Liberatorem suum confixum clauis imitando exprimerent per mucronem certè, & aciem ferri, per vulnera. quamquam deinceps defecrunt numerari clauis anni, cœpit æternitas. Præterea triumphauit hoc ipso die Romæ cùm L. Quintius Cincinnatus de Aequis,tum M. Aemilius Mamertinus de Fidenatibus. Sed maiore, cum pompa triumpharunt 299 nostri; inter quos & *Eulogius* apientia, & † *Mauritius* prodi- 316 gijs præclari limi; alter de ignorantiæ vilitate, alter de naturæ *Goltz.* maiestate, vterque de impietate triumpho acto. Affert autem venustatem quandam Capitolinæ pompæ non tàm Quintius ille Cincinnatus, quàm è nostris *Venerius* vir sanctissimus, & infensissimus Veneri, in Palmariæ insulæ nemoribus quodam victoriæ omine diù versatus.

XVIII. Ka. Octob. Insignis fuit hic dies pompa, qua Ro- 14 mani equites, ac principes ciuitatis in Capitolium ascende *Septemb.* bant ornati trabea; quo videlicet die apud nos Heraclius *Kal. vet.* Imperator trabem illam, salutis nostræ trophęum, trabeatus *Rufinus.* ipse recepit à deuicto Rege Persarum. dat vero auspicium victoriæ martyr egregius *Victor*. Equorum probandorum ad cursum hic item dies dicebatur, quo certè cursu ad gloriam incitato probati maximè sunt † *Cornelius*, & *Cyprianus*. Ac *Cornelius* quidem quantam ferro, quo ictus est, collegerit messem, quàm vberes fruges, is indicat, quem exemplo constantiæ fecit hominem frugi; *Cerealis* videlicet nomine miles is fuit; hunc vero segetis prouentum augurari quodammodo videntur, qui se iungunt hodiernæ socios gloriæ *Crescentianus*, atque *Crescentius*. Conuenit aptè hoc item die cum *Cypriano Chrysostomus* quadam cognatione non modò virtutis, & pontificij muneris, sed eximiæ eloquentiæ; ac *Cyprianus* quidem venusto dicendi genere efflorescit, *Chrysostomus*

autem præstat aureo, vt Cypria Venus, & florum mater, & aurea dici desinat; porrò in tam florens dicendi genus opportunè hodierna die incidit *Rosa*, sui cruoris purpuram præferens.

15 Septemb. *Ascon.* *Rosinus.* XVII. Kal. Octob. Reuocati Romani ludi Circenses per dies aliquot. Iuuentæ quoque, & Summano Deo sacrificatum. Atqui oppositus est veterum ludis *Porphyrius* martyr, qui cum mimum ageret, ac per iocum atque ludibrium lustralem accepisset aquam, quasi religione initiatus, miro prodigio repentè illo aquæ contactu exarsit ad fidem, uro qu ceruices statim subiecit securi *Melitina* quoque puella mirè Dijs illusit cum ad eorum aras adducta, solo aspectu simulacra concussit, euertit, atque comminuit, quod semel, atque iterum factum At verò Iuuentæ Deę vigor cum nostrorum Martyrum robore collatus eneruis est; † *Valerianus* in primis id præstiterunt, & *Nicomedes*. Denique Pluto, qui Summanus, quasi Manium summus, est dictus, minimi habitus cum ceteris Dijs, nonnisi summo est affectus dedecore.

16 Septemb. *Plut.* XVI. Kal. Octob. Platęenses in Gręcia parentabant ijs, qui contra Persas strenuè dimicantes, Pausania duce, occubuerant: eorum magnitudo animi, robur, victoriæ sępe partę commemorabantur. Quantò ęquius hanc laudem Roma ijs impendit, qui pro religione pugnantes fortissimè ceciderunt? innumerabiles certè sunt, ac dant omen tantæ multitudini *Abundius*, & *Abundantius*; quamquam & fœminæ in communionē bellicæ huius laudis veniunt, tanquam instructo Amazonum agmine; ex hac indole virtutis *Lucia* nobilis matrona fuit, ex hac † *Euphemia* virgo, quæ cum Diocletiani crudelitate congressa vicit ignes, pondera lapidum, bestias, lictorias virgas, serras acutas, crates ignitas, & si quid aliud excogitare potuit monstrosa barbaries.

17 Septemb. *Gyrard.* XV. Kal. Octob Tenuit olim hic dies ad voluptatem Romanorum oculos spectaculis ludicris in Circo maximo datis At qui vix aliàs apud nos tam pulchra fuere spectacula. ex illa certè quasi aurigarum factione, quæ Rubra siue purpurea dicta est, extitit *Franciscus* is, qui in Aluerniæ monte vulnerum accepit rosas, & purpuram. † *Lambertus* quoque Traiectensis antistes tanquam vnus ex eadem factione dici potest, cruore rubicundus suo; itemq; *Iustinus*, & ij, qui Imperatorum nomina maiore cum rerum gestarum gloria præsetulerunt; *Valerianus* scilicet, *Macrinus*, & *Gordianus*. At *Columba* virgo

ad

ad alteram videtur aurigarum factionem spectare; quæ Alba dicta est; vel potius ad vtranque; candorem enim tinxit ad decus purpura sanguinis. In promptu erant coronæ Circensibus ludis, sed non æquant nostras, nam in hunc diem incidit, & *Stephanus* alter à primo, & *Florellus* puer, ab alijs Flocellus dictus: adde, & *Narcissum*; immò verò ne stellatæ quidem coronæ desiderantur, nam hoc ipso die *Ariadna*, clarissima pietatis luce puella, & propter constantiam tanquam fixum sidus, memoratur in fastis: habet enim & religionis Cœlũ Ariadnam suam, cui tantò æquius sertum debetur astris ornatum, atque distinctum, quantò castior fuit.

XIV. Kal. Octob. Hic olim Romæ consumptus est dies ludis dandis apud nos iucundiora de se dat spectacula † *Ferreolus* martyr insigni animi fortitudine, ac robore, nisi quòd ei ferrum adhærere diũ non potuit, solutis sponte vinculis & carceris vectibus mirè conuulsis. *Methodij* quoque sermonis nitore, doctrinaq; clarissimi viri spectata virtus est, quem vt sapientem quasi cognato nomine cõsequitur *Sophia*. Accedit *Irene* à pace dicta, nisi quòd bellum indixit acerrimum Dijs. 18 *Septemb.* *Gyrard.*

XIII Kal. Octob. Mercurio dicarunt hunc diem Aegyptij, quem Thoth appellabant ei sacra faciebant melle libato, illud identidẽ vsurpãtes γλυκὺ ἡ ἀλήθεια, hoc est, dulcis veritas: atqui nostris hominibus tam dulcis veritas fuit, quæ in vera sapiẽtia diu ni cultus inuenitur, vt amarissimæ pœnæ suauiores ipso melle sint ijs visæ. At verò Romæ Antonini Cæsaris cognomento Pij natalis celebratus Circẽsibus ludis, apud nos sacer est † *Ianuarij* dies, qui dies ipsi fuit verè natalis; neq; enim videtur extinctus, qui adhuc æstuat, ac suo viuit in sãguine. Pius sanè dicendus non tàm cognomento, quam factis; cuius pietatis hæc patria maximè testis est, experta patrocinium cùm antea sæpe, tùm nuper in Vesuuij flamma. qui verò ludi conferri possunt cum eo spectaculo, quod olim idem *Ianuarius* cum socijs dedit in amphitheatro cum Africanis monstris ac sæuissimis belluis, ridens? atque ille quidem satis aptè argumento quodam voluptatis ex voto, coniunxit sibi, & *Festum*, & *Desiderium*; immò vt constaret quàm felix sors, & sibi obtigisset, & nobis suo præsidio futura esset, etiam socium adsciuit *Eutychetem*. Quamobrem & illud opportunè factum videtur, vt incidant in hunc diem communione quadam gloriæ, & *Felix* martyr, & *Constantia* ipsa virilis animi matrona. atq; 19 *Septemb.* *Plutarc.* *Herodian.*

vt illustrior sit dies, flammæ, in quam *Ianuarius* est impunè coniectus, accedit altera, in quam *Nilus* præsul Aegyptius declarata in hoc est non modò sæuitia hostis, sed amentia, quia, & frugiferum Nilum conatus est perdere, & eundem superari, extinguique posse putauit igni; Denique iungit se aptè, & accomodatè *Ianuario Pomposa* virgo, quæ non modò pulcherrimam exhibuit de se pompam, cum suo imbutam cruore induit purpuram, sed cum accedit ornatura triumphalem tanti Præsulis pompam, illam præsertim, quæ quotannis fit Neapoli efferuescentis sanguinis ex occursu capitis. cuius quidem præclarissimo sanguini excipiendo, dum funditur, purpuram quodammodo porrigit suam *Dorymedon* Senator illustris.

20 *Septemb.* *Cyrard.* XII. Kal. Octob. Fuit hic dies Romanæ Vrbi celeberrimus, quo die Romulus auctor, & vrbis, & gentis natus putabatur; sed fecerunt eum sibi verè natalem nostri, qui religionem nouæ Romæ tam præclarè fundatam nobis reliquerunt non fraterno cruore, sed suo. ex his *Theodorus* fuit, & *Priscus*, & ille, qui in candentem inclusus bouem mugitum edidit vocaliorem ipsius famæ tuba, † *Eustachius* cum familia. Ludi hoc ipso die, & sequentibus tribus equestres, ac triumphales

Kal. vet. Romæ in Augusti honorem decreti; venationes quoque ferarum datæ. At qui nullum spectaculum admirabilius aut venatio iucundior fuit, quàm illa, qua *Eustachius* venatus est ceruam, inter cornua salutis insigne mirè gestantem, quod ei fuit auspicium sanctitatis. Itaque ob tam felicem sortem accommodatè se illi adiungit *Fausta* virgo, & quæ diem ipsum calculo notet fausto, *Candida* item virgo; sed vtraque delibuta suo sanguine purpuram dedicat, ne triumphalibus Augusti ludis inuideat religio.

21 *Septemb.* *Cyral.* *Alex.* XI Kal. Octob. Inter dies Aegyptiacos, hoc est tristes, & infaustos numerarunt hunc veteres: idemque ominosus, & inauspicatus Chalcedoniis fuit, quòd in hunc mensis diem incidisset calamitas à Dario accepta, à cuius præfecto in Persidem abducti sunt captiui. at faustissimus † *Matthæo* fuit, qui libertatem potius est assecutus, cum antea pecuniæ seruiret. multum huic cum religio, tum pudor debet, instituto videlicet parthenone tanquam palæstra virginum. expiauit, ac dedicauit Iphigeniæ nomen inquinatum fabula: habitus est pius, quia non aliam substituit victimam, sed *Iphigenia* ipsa fieri

fieri voluit. *Matthaeum* aptè consequitur pietatis, ac religionis nomine ornatus *Eusebius*, qui se vitrò iudici obtulit. quamquam ipse sibi diem dixit, non quòd esset, sed ne fieret reus. *Alexanar* porrò antistitis virtus per omne, prope dixerim, suppliciorum genus excurrit, per equuleum, compedes, virgas, faces, vngulas ferreas, vngues belluarum, secures. ipsum autem Pontificijs infulis honestant *Isacius*, & *Meletius*.

X. Kal Octobr. M. Valerius Coruus de Samnitibus triumphum egit. Sed ille omnium ornatissimus fuit quem laureata legio Thebęorum Duce † *Mauritio* egit; nec mirum, quòd is triumphus ceteros superasse sit visus praestant a quadam, cum eius rei omen vnus ex ipsis *Exuperius* nomine secum attulerit. illa quoque auspicata in eadem legione recensita sunt nomina. *Candidi*, *Vitalis*, atque *Victoris*; Porro ad decus, & dignitatē quandam triumphantium opportunè accedit *Digna* virgo; ac praeterea post tot emerita stipendia fortitudinis, ipsa occurrit *Emerita*. denique ad voluptatem, & pulchritudinem, non sine fragrantia virtutis, adest *Florentius*. 22 Septemb. 419 Goltzius.

IX. Kal. Octob. Natalis hic dies fuit Augusti, quamobrem cursus equorum instituti Romae. Sed augustior factus est dies † *Lino* hierarchae verè natalis, ei scilicet, qui post *Petrum* primus suffectus est religionis clauo tractando. Natalis quoque dicendus est fuisse † *Sosio* hierodulo Misenati. editus in lucem Augustus est; at hic edidit lucem; illa insidens eius capiti flamma auspicatior fuit, quàm quae olim Seruio Tullio portendit regnum. triumphauit sub initium huius mensis, vti diximus, Romae C. Sosius Procos; sed huius *Sosij* laurea viriditatem nunquam amittet; tam praestans virtus fuit, vt eam non modò illa ciuis sui Miseni, sed neque ipsius famae tuba possit aequare. Quod verò ad equestre certamen pertinet, multi inierunt cursum ad gloriam, Africani martyres praesertim; & *Paternus* Constantiensis antistes; & illa tot celebrata praeconijs † *Thecla*. 23 Septemb. Sueton. 3 Septemb.

VIII. Kal. Octobr. A. Cornelius Cossus de Samnitibus triumphauit. Sed hanc triumphi gloriam meritò, ac iure sibi vendicat † *Paphnutius* martyr, cui hostis ipse victoriae obtulit palmam, cum s. summa constantia virum palmae arbori affixit. duxit verò in triumpho ipsa instrumenta poenarum, catenas praesertim ferreas, & equuleos. Accedunt laureati multi; ex Augustoduno quidem *Andochius*, *Thyrsus*, & 24 Septemb. 410 Goltz.

& *Felix*, sæuissimo elementorum igne deuicto: è Chalcedone autem quadraginta, & nouem, qui Libycas belluas diuina vi edomitas triumphali curtui pulcherrimo spectaculo iunxerunt.

25 Septemb. VII. Kal Octob. Tribus triumphis nobilitatus est hic olim dies; nam & P. Sempronius de Aequis; & M. Fuluius Petitus
449 Cos. de Sānitibus; & M. Valerius Messalla Ceruinus Procons.
454 de Gallis spolia opima retulerunt. insignis item dies est Ale-
725 xandri Magni victoria de Dario Rege Persarum ad Abela su-
Golt. perato. Atqui horū omnium fortitudinem vnus vicit † *Herculanus*, qui Herculem ipsum vicit, ipso maior nomine. cum autem de horrendis, monstrosisque supplicijs victorem, ac triumphatorem consequuntur cum laureis sui *Sabinianus*, & *Eugenius*, & reliqui germani fratres; ac præterea vigintisex
Kal. vet. virtute præstantes. Hoc item die Saturno humanæ victimæ immolabantur, quod Herculis monitu institutum ferunt, at verò *Herculanus* insigni pietate heros se ipsum potius pro religione victimam sponte deuouit.

26 Septemb. VI Kal. Octob. Nihil erui potest ex vetustate quod dignum admodum laude sit: at abundant nostri fasti. præcipuum autē sibi locum vendicant † *Cyprianus*, & *Iustina* virgo quam cum ille Cyprijs artibus, immò magicis superare nō potuisset, beata comitatus est morte. Affert præterea huic diei pulchritudinem quandam, ac decus non modò nomine, sed factis *Callistratus* martyr, quem in mare demersum vnda ipsa deuexit ad littus incolumem; eius prodigij vi quadraginta & nouem ex antiquæ superstitionis fluctibus enatarunt; eundem porrò diē ornant ipso pietatis nomine *Eusebij* duo alter Romanus Pontifex, alter Bononiensis Præsul. At verò *Nilus* vir sanctissimus, ac præfectus palæstræ Cryptæ ferratæ dura prorsus, ac ferrea viuendi ratione in communem hostem, ac vitia præliatus acerrimè cum suis est. ei ad militares excubias *Vigilius* opportunè coniungitur.

27 Septemb. V Kal. Octobr. Ornatus est hic dies Romæ triumphali pompa, quam Iunius Perna Cos. de Saffinatibus victor in
487 Capitolium duxit; sed multò maiorem accepit ornatum ex
Golt. præclarissimo † *Cosmæ*, ac *Damiani* fratrum triumpho, in cuius honorem cesserunt instrumenta ipsa pœnarum, vincula, crux, lapidatio, sagittæ, ignis, mare superata. In huius porrò triumphi societatem venit ea, quæ dicitur *Iesu* Societas ab

Igna-

Ignatio instituta, quæ hoc ipso die, triumphali inquam die, Romani hierarchæ oraculo stabilita, confirmataq; est. neque verò caret hac, imò affuit insignibus triumphalibus & opimis spolijs, non tàm de Sassinatibus, quàm de dirissima barbarie, quam vltimus alluit Oceanus, reportatis hostis ipse ill. indies laureas sufficit, quas madefacit, ne arescant, sanguine. est sanè commodè factum, vt in hunc ipsum diem incidant auspicati nominis heroes illi, qui omen faciant; efflorescentis quidem inter vulnera Societatis nostræ, *Florentinus*, & *Anthimus* martyres; fortitudinis autem, atque virtutis *Leontius*, & *Fidentius*; præterea felicitatis *Hilarius*; denique honestæ pulchritudinis, atque decoris *Eutropius*, qui omnes nostro ordini gratulari quodammodo videntur. Fuit hic quidem dies olim Veneri genitrici sacer; sed *Ignatij* maximè, ac suorum opera factum, vt genitricem Venerem haberent populi pro nouerca. magnus huic dolor inuritur, quòd sibi versari non liceat inter flores, cum exclusa sit ab eo die, qui & *Florentini*, & *Anthimi* gloria perenniter vernat.

IV. Kal. Octob. Ater fuit hic dies Romæ, quia quartus ante Kal. ob acceptas sæpe calamitates infamis. sed ex atro fecit faustum L. Furius triumpho de Tiburtibus acto. Ater sanè videri posset & nobis ob immanem necem † *Vuenceslai* Bohemorum Ducis, quam ipsi intulit impiè parentum furor, nisi eam necem innocẽtia triumphalem fecisset. Accedunt laureati alij multi, in primis illi, vel à fortitudine, vel à victoria sortiti nomen, *Martialis*, & *Nicon*. Facit præterea, vt candidus potius, quàm ater dicatur dies & *Lioba* virgo cùm virtute, tùm prodigijs clara, & *Eustochium* item virgo præclaris meritis, ac *Hieronymi* præconio præstans. 28 Septemb. Macrob. 415 Goltz.

III. Kal. Octob. Versata hoc Roma die est, vel in ludis, & epulis, vel in Capitolij pompa. nam & ludi dati ij, qui Fatales dicebantur, & epulum Mineruæ; & C. Manius Cos. de Antiatibus, de Lauinijs, de Veliternis triumphum egit per biduum. Sed omnis hæc lętitiæ materies obruitur gratulatione nostra. quandoquidẽ dedicatio est eius templi, quod magno Cœlitum duci, ac principi † *Michaeli* religio monita prodigio excitauit. Iam nobilissimum huius triumphum de desertore exercitu partum, quis ignorat omnino cum alio nullo posse conferri? conueniunt gratulaturi de tam insigni victoria ad rem idonei Cœlites, fortitudinis quidem nomine auspica- 29 Septemb. Kal. vet. 415 Golt.

catus

eatus *Heracleas*, felicitatis verò *Eutychius*. Habet & hic dies ludos, vt ita loquar, verè fatales ob contumaciam, atque perfidiam deserentium summi Imperatoris Dei signa cum insigni dedecore, atque exitio. Ceterùm ludum nos ipsum putamus fatum. At verò Mineruæ epulo opponitur † *Gudelia*, quæ incredibili animi magnitudine prædita, tanquam ad epulum, sic accurrit ad necem: hæc non modò Mineruæ, siue Palladi hastam, sed Soli radios quodammodo detraxit, cum eum iussa venerari, spreuit.

30 Septemb. Plutarch. Plinius. Pridiè Kal. Octob. Auspicatissimus habitus est hic dies Romæ, fuit enim G. Pompeij magni natalis. hoc editus est in lucem die, daturus clariorem ipse, vel sibi, vel patriæ, rerum gestarum gloria florentissimus. habuit verò hunc eundem diem postea fortunatissimum, quippe quo de Oriente, de Mithridate, de Iudęa triumphum egit, eumq; per biduum. in eo prę-
691 ter opima spolia plurima, tenuerunt in primis Vrbis oculos integræ arbusculæ balsami è Iudęa deductæ, ac tunc primùm Romæ visæ. Sed vniuersam illam, vel natalium vel triumphorum gloriam vilem facit † *Hieronymus*, multò dignior cognomenti Magni, nisi quòd se ipse paruifecit. maiore hic cum laude est in Iudęa versatus, eaque immortalibus monumentis scripsit, quæ & balsamo digna sunt, & cedro. longum est eius triumphantis proferre spolia; non bidui, sed multi temporis esset pompa productior. dici verò potest hic dies non tam Pompeio, quàm *Hieronymo* verè natalis, quanquam hunc excepit potius dierum immunis æternitas. at certè diù, dùm vixit, ad magni Liberatoris natales cunas degit. Opportunè autem illi adhærent, & auspicatò, qui in hunc diem incidunt Cœlites: nempè tam honorificè de religionis hostibus triumphanti præsul *Honorius*; tam acri, ac formidando aduersarijs viro *Leopardus* martyr; tam strenuò, ac semper inuicto duci *Victor* ipse vnus è Thebęorum legione victrice: denique tanta sapientia prædito, ac magistro religionis eximio adhæret *Sophia*, hoc est sapientia, illa inquam *Sophia*, quæ fuit trium præcipuarum virtutum; quarum in primis hic studiosissimus fuit, felix mater.

Kal.

Kal. Septembr.

S. ÆGIDIVS

Abbas. 1 Septembr.

Synop. *Athenienſis hic patria fuit. in ſpecu delituit, contemplationi rerum diuinarum deditus. inuentus eſt à venatoribus Regis. ceruam, quam ſecum habebat, à iaculis eorum defendit ſui pectoris oppoſitu.*

ENCOMION 281.

Aegidij patria eadem, quæ ſapientiæ, fuit,
illæ artium inuentrices Athenæ;
niſi quòd hic Lycèo prætulit ſiluas,
vni Platonis platano denſas arbores.
maluit philoſophari ſecum,
quàm cum garrulis Græciæ ſophis:
magis profecit iacens ſub tacita ſpecu,
quàm ambulans ſub clamoſa porticu.
mira docuit, auditores etiam habuit miros;
nempe didicerunt ab ipſo feræ eſſe humanæ;
ſponte ſe tradidit ei cerua,
vt diſceret non timere;
pro Mineruali obtulit ei lac vberum:
cinctus eſt locus indagine,
venatici emiſſi ſunt canes,
preces ille pro altrice ſua fudit ad Superos;
ſuum os candidum ceruę lacte
pro illius vita ſoluit in vota.
non auſi ſunt canes ei admouere dentes;
cui Aegidius admouerat labra.
parum hoc. ſagittis pectus oppoſuit ſuum:
is, cui timida cerua admouerat mammas,
intrepidè pro cerua excipiebat vulnus;
quid hic pro religione egiſſet altrice,
qui ferino lacti ſuum rependit ſanguinem?

IV. Nonas Septembr.

S. ELPIDIVS
Abbas.

2 *septemb.*

Synop. *Alluditur ad nomen à spe ductum. maximè abstemius fuit. effecit, vt vitis alieno tempore frondesceret statim, vt opacaret sacram ædiculam. versatus est in specu venenatis scorpijs referto, sed nullo detrimento, ac damno.*

ENCOMION 282.

Spes: ἐλπίς

Elpidius à spe sortitus meritò nomen,
spe prorogauit vitam,
vix alio nutrimento vsus;
parum naturæ debuit, multum spei;
vt huius viriditate iucundiùs frueretur,
nemorosas adijt siluas;
vt sacram ædiculam viridi coronaret fronde,
aridum sarmentum alieno tempore terræ commisit;
quod mirè euiruit statim,
immò celsiùs excreuit in vitem,
gemmas protulit, pampinis illustrauit ædem.
idoneum est sibi visum vmbraculum vitis,
eo scilicet in loco.
in quo solitus numine fieri ebrius,
è sacro cyatho diuinum hauriens nectar.
ostendit idem quanta sit suauitas precum,
cùm templum vitiferum fecit agrum.
docuit etiam, nihil esse tam aridum,
quod apud aras non spe virescat.
huius præsidio virtutis Elpidius abiecit metum;
in specu versatus est vnà cum scorpijs,
ictibus opposuit sui nominis clypeum.
nisi hic se abdidisset inter vmbras nemoris,
Sol alter videri poterat in Signifero,
incedens impunè per scorpium.

III.

III. Nonas Septembr.

S. SERAPHIA

Virgo, & Martyr. 3 *Septemb.*

Synop. *In prostibulo inclusa est; sed cùm lenones ad eam accedere vellent, subito terramotu absterriti recesserunt. pertulit in latere faces, in humeris virgas, quarum frustum diuinitùs excussum in Præsidis oculos, eum cacũ reddidit.*

ENCOMION 283.

Ab ignis æstu nomen sortita Seraphia;
tamen hoc habuit proprium, vt ignem extingueret,
siue libidinis, siue furoris.
lupanarium ei cessit in columbarium;
fornicari iussa est, sed victo Cupidine
fornicem sibi triumphalem erexit,
didicit in meretricio loco plus mereri,
in Epicuri hara pulchrius efflorescere.
Aegyptios lenones ingredi ad ipsam ausos
subitò terræmotus absterruit.
nempè ad tellurẽ florum matrem pertinuit tueri florẽ;
labefecit illa se,
ne huic fieret labes.
nutauit Natura, vt pudor staret.
misit & Cœlum tutorem pudoris acrem, & vindicem;
pallere cœperunt illi iam non amore, sed metu;
victi dederunt manus,
vel potiùs abstinuerunt manus.
admouit lictor pudico lateri faces;
scilicet fecit, vt Seraphia ardesceret magis,
etiam, vt explendesceret magis.
fractæ sunt in molles eius humeros virgæ,
sed frustulum incidens in Præsidis oculos
fecit Cyclopem;
nisi quòd hic arma in se, non in virginem cudit.

Pridie Nonas Septembr.

4 *Septemb.*

S. MARCELLVS
Martyr.

Synop. *Apud Ararim fluuium necatus est, in cuius altera ripa positum erat Saturni simulacrum, in altera Solis; quibus cùm diuinos honores habere nollet, ac verum Deum fateretur, viuus sub terra defossus est.*

ENCOMION 284.

Nulla re celebrior facta est Araris ripa,
quàm tua, Marcelle, constantia.
non tam insignis olim fuit Cæsaris ponte,
vno die militum opera fabricato,
quàm eius, quem magnificentiùs extruxisti,
vt tibi sterneres iter ad gloriam.
vtramque Araris consecrasti ripam,
cùm vtriusque damnasti aras,
hinc Saturno erectas, illinc Soli.
hostem habere voluisti Saturnum,
qui temporis putabatur Deus,
vt te sola sibi vendicaret æternitas;
timuerunt Araris accolæ,
ne terris eriperes, quem contemnebas, Solem;
sed nullus effulsit clarior dies,
quàm cùm abstulisti Solis cultum;
nunquam purior visus est Oriens,
quàm cùm eum aspersisti conuicij labe.
acies mentis tuæ firmissima,
ante maculas cognouit in Sole,
quàm posteritatis oculus orbe vitreo.
Defossus quidem es in terra impiè,
excepit viuentem tumulus.
non ergo tu dicendus es Sol occidens,
quia terræ subijsti viuus.

Ne.

Nonis Septembr.

S. EVDOXIVS

Martyr. 5 Septemb.

Synop. *Lictores ipsum quarentes, non agnitus amanter excepit hospitio, & mensa. postea se patefecit. cum autem illi rem tegerent, ipse se Iudici detexit. Iouem adorare noluit; ob id iussus ad probrum abijcere militarem balteum.*

ENCOMION 285.

Parum tibi fuit, Eudoxi, subire necem hilariter;
nisi apparitores ipsos, & lictores faceres hilares;
non ante iugulum ijs dedisti, quàm epulum;
non ante accepisti ferrum, quàm eos exciperes auro;
propinasti ipsis liberaliùs vinum,
fusuris tuum largiùs sanguinem.
tametsi cum te tandem aperuisti ignaris;
fecisti tristes, ne fierent ingrati.
post vinum facti sunt sobrij;
functus es ipse apparitoris munere:
ausus es ad tribunal te sistere
non criminis, sed voti reum.
noluisti thura Ioui adolere adultero:
nullius is apud te pretij fuit,
qui, vt pudorem faceret vilem,
finxit se aureum;
vt sacramenti fidem infirmaret tui,
fecit se lapideum.
Iussus primarijs militię insignibus exui;
in Præsidis ea proiecisti faciem;
erubuit ille purpura illusus tua.
Commouisti exemplo supra mille, ac centum milites;
vt militarem exuerent chlamydem, & balteum;
nunquam tã opimis induti sunt spolijs, quàm cũ exuti.
nunquã expeditiùs, quàm cùm discincti, vicerũt hostem.

VIII.

VIII. Idus Septembr.

6 Septemb.

S. ELEVTHERIVS

Abbas.

Synop. *Puerum à mortuis suis lacrymis excitauit. Kakodæmones abegit. S. Gregorio Pont. Max. languenti robur impetrauit diuinitùs, vt peruigilium Christi reuiuiscentis celebrare posset ieiunus ex voto.*

ENCOMION 286.

Dimicauit Eleutherius aduersus mortem;
non manu, sed oculis.
Suscitauit plorando puerum;
extinctam vitæ facem reaccendit lacrymis;
opposuit Lethæis aquis vitales suas.
cauit humore, ne exaresceret vita functus in cinerem.
arrisisset illi apertis oculis puer,
nisi vidisset auctorem sui gaudij pro se flentem;
quasi renatus iterum applorauit.
Erebum quoque terruit hic, qui vicit mortem,
sed contrario more pugnauit;
Stygio enim hosti misera obsidenti corpora
languorem obiecit suum;
penè se confecit fame, vt conficeret eum pugna,
non nisi fractis viribus perfregit hostem;
plus egit inualidis membris,
quàm vllus Titanum lacertorum toris.
quid, quòd fassus est hierarcha Gregorius Magnus,
eius precibus sibi languido suffectum robur?
impetrauit, vt diuinæ anastasis peruigilium
agere posset, vt erat in votis, ieiunus.
tenuatus ipse, atque infirmus longa fame
effecit, vt alter perferre posset famem.
quantus fuit hic, qui robur præstitit Magno?
qui tam nobili vires suffecit athletæ?

VII. Idus Septembr.

S. EVORTIVS

Episcop. Aurelian. 7 *Septemb.*

Synop. *Profectus ad captiuos redimendos, acclamatur Episcopus auspitio columbę. mox incēdiū in vrbe extinguit. eūdē sacra facietem nubes inūbrat. exædificaturus templum, pecunia indigens, effossa terra eruit nūmos cū Neronis effigie.*

ENCOMION 287.

Dum captiuos quæritas, caperis.
vtrunque factum piè.
dum prædam eripis hosti, ipse fis præda;
attamē illud mirū, ꝙ nō per accipitrē, sed per colūbam:
insedit hæc capiti, vt tu insideres throno.
ter à te repulsa, ter redijt;
nunquam dolentiùs gemuit columba,
quàm cùm à te gemente abire est sæpius iussa:
maduisti quà piè lacrymis, quà ritè oleo,
sed illis vberiùs;
statim ipsarum vim Ciuitas sensit;
cum depascentem omnia flammam restinxisti flendo:
sed nimirum expiari vrbs debuit igni, vt faceres piam;
nubes deinde tibi ad aras facienti è Cœlo se obtulit;
nempe ostendit se Natura tibi famulari paratam,
ne tui deinceps patriæ formidarent incendium,
sed cum te nubes inumbrauit, alijs fecit clarum.
Excitaturus numini nobilem templi molem,
cùm par operi deesset impensa,
accepto ligone tellurem fodisti ferro,
at illa prodiga statim Aureliæ Præsidi fudit aurum:
nouum prodigiū. in nūmis expressus inuentus est Nero;
scilicet hostis olim bonorum immanis, & impius,
te Antistite, religioni seruiuit;
nisi quòd non erat ille ferreus, sed aureus Nero.

VI.

VI. Idus Septembr.

8 Septemb.

S. ADRIANVS Martyr.

Synop. *Commotus exemplo Martyrum, in primis vxoris suæ Nataliæ, veram religionem amplexus, obtulit se constanter neci: quamobrem abscissæ sunt illi manus & pedes; quo in cruciatu admirabilem animi magnitudinem præsetulit.*

ENCOMION 288.

Alienas intuendo victorias
Adrianus est victus,
immò victor victrici vrbi spectaculo fuit, Nicomediæ.
cum cædi neruis nostros vidit heroes,
vires ipse sumpsit, ac neruos;
cùm tundi ora lapidibus, soliditatem.
initurus cum Cæsare Maximiano pugnam,
ducem belli habuit, quæ maximè putatur imbellis;
vxorem;
nihil hac inuenit vir minus vxorium;
nullus stimulus acrior pugnanti fuit.
Natalia nomen fuit vxori:
nimirum non vir reformidauit mortem,
quam coniux spondebat fore natalem.
Vbi cum Cæsare hoste consertæ sunt manus,
doluit ille se vinci.
victrices abscindi statim iubet manus.
mox mutatur pugna. cursus initur Olympicus
victus Cæsar inuidit etiam pedibus,
pedes amputari iubet iratus.
sed nihil stultius impiorum sæuitia,
sibi ipsa fraudi est.
nam cum manus Adriano præcidit, ac pedes;
constantiæ stabile simulacrum fecit,
quia quadratum fecit.

Vi

V. Idus Septembr.

S. GORGONIVS Martyr.

9 *Septembr.*

Synop. *Deluditur fabula de alato equo, qui è Gorgonis sanguine exortus dicitur. dirum in modum cruciatus est. tum plagis exulceratis infusum est acetum, & admotæ ardentes prunæ. res cum Annibalis facto confertur.*

ENCOMION 289.

Ex tuo, Gorgoni, sanguine
pennata verè sese extulit Fama;
leue est, & inane, quod finxit Græcia,
natum ex cruore Gorgonis equum alitem.
at non vano stupore perculit intuentes
decor tuæ tantæ virtutis.
In Diocletiani Cæsaris aula versatum
nihil te magis allexit,
quàm augustales secures, ac fasces,
quibus scilicet ceruices deuoueras tuas.
plus tibi honoris lictoriæ attulerunt virgæ,
quàm Cæsaris sceptrum.
acetum est in plagas infusum;
sed coacescere non potest virtus;
generosum vinum est, fert ætatem, immò æternitatem.
nequicquam & ardentes admotæ sunt prunæ.
potuit Punicus Annibal ipsas domare Alpes
aceto, & igni perfractas,
at non potuit te his Romanus Cæsar;
miratus est Alpinis solidiorem cautibus;
quanquam & ipse obduruit
peruicacia, non constantia.
tandem frustra laqueo tuum fregit guttur,
vocem eripuit tibi, non Famę.
orta hæc est de tuo cruore, sed candida.

IV. Idus Septembr.

10 Septembr.

S. NICOLAVS Tolentinas.

Synop. *Ferrea catena se sponte constrinxit. precantem frustra laruati Kakodæmones terrere conati sunt. sex ante obitū menses symphoniacos Cœlites audijt per noctes singulas musicum sibi melos accinentes.*

ENCOMION 290.

A victoria meritò accepisti, Nicolae, nomen,
nisi quòd catenis constrinxisti te ferreis;
sed nihil Erebus extimuit magis,
quàm te sponte captiuum.
aggressi tamen sunt precantem terrificis spectris;
sed fugauit Vmbras non vmbratilis virtus.
non exhorruisti vana figmenta,
qui nihil habuisti fictum.
verum egisti triumphum
de milite simulato.
Tandem sex ante obitum menses
meruisti, vt audires canoros Cœlites,
plaudentes tibi victori, & pæana canentes.
reliqua erat adhuc vltima lucta cum morte,
sed quia certa futura victoria,
præcinuere Nicolao epinicion. *νίκη Victoria.*
inter tot lyras, & carmina,
abstinuisset forsitan à te mitigata mors manus,
nisi surdas haberet aures.
quanquam Oriens ille, non Occasus fuit;
quippe diù antequam excepturus esset te tumulus,
præclaro illustratus est sidere,
at vbi te tumulus excepit, sidus euanuit:
nimirum Lucifer fuit ille, qui præijt,
oriente te Sole, delituit.

III.

III. Idus Septembr.

SS. PROTVS, ET HYACINTHVS Martyres.

11 Septemb.

Synop. *Eunuchi ambo fuerunt, & custodes S. Eugeniæ. Iouis simulachrum, quod venerari sunt iussi, ad ipsorum aspectum statim corruit: quamobrem ipsi flagris acerrimè cæsi sunt, & securi percussi.*

ENCOMION 291.

Debet certè vobis plurimum pudor,
quos virginis Eugeniæ custodes habuit vigiles.
Protum ille voluit, hoc est Primum,
quia virginitatis decus est primarium,
Hyacintho quoque se iunxit,
quia carere non potest flore.
sed insaniuit Pręses, cùm vos pudoris tutores
iussit agnoscere Deum Iouem,
nempe insidiari solitum pudori.
at vos pluris æstimastis ferrum
ceruicibus impressum vestris,
quàm imbrem illius aureum,
quo turpiter emit stuprum.
perferre maluistis flagra,
quàm thus offerre fœdè flagranti.
dignum duxistis Iouem hara, non ara,
dignum non alia victima, quàm ipso,
qui se fecerat taurum.
vbi stetistis ante lapideum signum,
statim corruit Iuppiter Stator.
vidistis iacentem ante pedes Tonantem
fracto iam fulmine.
vestras esse partes putastis,
non modò tueri pudorem
sed sumere de propudio poenas.

Pridie Idus Septembr.

S. IVVENTIVS

12 *Septemb.* Episcop. Ticinen.

Synop. *Dum varijs pœnis excruciaretur, magna repente tempestas orta est. Lictores in se ipsos arma verterunt, ac mutuis se vulneribus confoderunt. aurum cuiusdam in vndas delapsum, ac demersum enatare iussit.*

ENCOMION 292.

Non tu, Iuuenti, aduersus hostem arma sumpsisti;
sed pro te pugnauit armata Natura:
processit illa in campum, licèt non in Solem,
quia statim horribili nimbo delituit.
coruscauit tamen Cœlum,
ne lateret hostis, quem feriret;
expertus est eius, quem colebat, fulmen Iouis.
immissa quoque vis grandinis instar lapidum
fregit cultores lapidum.
comminuit manus, quæ in te strinxerant ferrum.
quin etiam coniurauit tellus in hostes;
discessum fecit, vt discederent à sententia:
sed dum mouit, obtorpuerunt metu;
nempè habet auxiliares copias Virtus,
etiam cum videtur inermis.
At qui te cædere sunt conati lictores,
agitati furijs in se arma verterunt;
rubuerunt secures, ac fasces
non pontificio sanguine, sed lictorio.
quanquam & Ticinus imperium timuit tuum;
iussisti demersum aurum hero reddere,
statim illud ex imo enatauit gurgite.
visus es hoc prodigio Heliseo certè nobilior;
quia ille manubrio demersum euocauit ferrum;
tu nutu aurum.

Idi.

Idibus Septembris.

S. MAVRILIVS

Episcop. Andegau.

13 Septemb.

Synop. *Simulacra Deorum, quæ colere iussus est, euocatsfulminis igni cõsūpsit: eo autē in loco coenobiū extruxit.* Karkodemonē *exegit. à colūba est indicatus Antistes.* Pōntifi; *ciæ claues è mari enatarunt, vt Pontificatum reciperet.*

ENCOMION 293.

Vicisti leuem, Maurili, Titanum famam;
illi, quia hostiliter insecuti sunt Deos,
icti sunt fulmine;
at tu euocasti de Cœlo ignem,
vt ipsos perderes Deos;
in cinerem abiere vnà cum fano:
super hoc videlicet impietatis bustum
fundasti asceterium, virtutis palæstram tuis;
accendisti videlicet animos cinere hostium:
ex ijs vnum catenati hospitem corporis
vocis imperio abire iussisti;
quam oculis eripuerat, restituisti lucem;
tametsi vrbium ipse fugisti lucem,
vitasti coniectos in tua decora oculos.
immitem putasti columbam,
quæ capiti insedit tuo,
vt faceret infulatum,
nunquam tibi infestius visum est mare,
quàm cùm demersas casu pontificias claues
mirè per piscem reddidit.
sed erubuit, & hæsit ambitio,
cùm tu sacræ trabeæ deposito cultu,
ignotus colere cœpisti tellurem.
transijt in ligonem, & in aratrum litui decus,
sed nihil dignius, quod stylo exaretur, quā præsul arator.

XVIII.

XVIII. Kal. Octobr.

S. CORNELIVS

Pont. Max. M.

14 Septemb.

Synop. *Haereticis acriter restitit, praesertim Nouato, qui praeter cetera flagitia, etiam vxorem necarat. Nouatianum quoque insectatus est. iussus adorare Martem, inspuit in eius faciem, quamobrem vnà cum Cereali necatus.*

ENCOMION 294.

Eo tempore in Vaticano sedisti solio,
quo religionis hostis acerrimus Decius
malebat opponi sibi æmulum Principem,
quàm constitui Romæ æmulum Sacerdotem.
non es breui morte confectus,
qui tandiù expectasti carnifices
deuota victima vel ferro, vel igni.
victus est postea hostilibus tyrannus armis,
sed tuo antea sacerdotio.
Vide adag. Restitisti toto impetu animi Nouato impio,
noua parienti monstra,
nempè Africano.
vterum ille vxoris calce percusserat,
sed immaniùs vterum Romæ parentis:
expresserat execrabili abortione partum,
sed religionis sobolem intercepit sceleftiùs.
Nouatiani quoque veteratorij hostis
antiquasti dicta.
iussus offerre Marti thura, intulisti probrum,
inspuisti in simulacri faciem.
cœpit Mars erubescere ignominia,
qui rubescebat sanguine.
denique ferro collegisti vberem messem:
nempe tua commotum constantia
habuisti necis socium Cerealem.

XVII.

XVIII. Kal. Octobr.

S. CYPRIANVS

Episc. Carthag. M.

14 Septemb.

Synop. *Ordinis Senatorij fuit. eloquentiæ ornamẽtis excelluit. scripsit in primis ad Martyres in Latomias ablegatos, eosque piè solatus est. ductus ad supplicium, lictori quasi pro necis beneficio, donauit nummos aureos.*

ENCOMION 295.

A Cypro venustatem accepisti, non Venerem.
conditione Senator Punicus
intextam habuisti etiam orationi purpuram.
vsus amplo dicendi genere
velut alterum induisti latum clauum.
nisi quòd maiores excitasti plausus,
cùm ceruices flexisti gladio,
quàm cùm oratione flexanimi mouisti forum.
non magis tibi fuit cordi,
vt flueret sermonis vena, quàm sanguinis.
inter maximas religionis procellas, ac turbines
effloruisti dictione pulchrior.
solatus es scriptis ad metalla damnatos.
non tantam illi auri vim ex fodinis,
quàm ex litteris eruerunt tuis.
Ad leonem petitus, te reseruasti ferro;
veritus es ne triumphalis eloquentia
leones domitos iungeret iugo.
munerasti lictorem nummis aureis.
cariùs venalem emisti mortem,
quia nihil fuit in votis charius.
inter tot decora te abiectum, & vilem putasti,
pretium soli fecisti sanguini.
non minus splendoris habuit aurum,
quod manu, quàm quod ore fudisti.

XVIII.

XVII. Kal. Octobr.

S. VALERIANVS

Martyr.

15 Septembr.

Synop. *In tetrum carcerem detrusus est, sed diuinitùs liberatus. inter supplicia cõfirmatus est, & animatus Christi præsentia, & corona munere. ægrum sanauit, cùm is donasset trabem ad fulcimentum templi ipsi dicati.*

ENCOMION 296.

Nihil Prisco præsidi magis fuit nouum,
quàm tua, Valeriane, constantia.
tantam animi magnitudinem tui
angustiæ carceris non potuerunt capere;
scilicet patefactis diuinitùs foribus
liber euolasti.
pugnaturus, in latum prodijsti campum.
arido suspensus es stipiti,
sed nunquam magis virenti virtute:
tunc maximè visi tibi sunt Dij stipites.
vngulæ lacerum disciderunt corpus,
aperta sunt ferro viscera;
at meruisti, vt apertum intuereris Cœlum,
quod datum est primipilo Martyrum;
sed quia carebas coronæ nomine,
prælatam vidisti ab agonotheta supernè auream.
Etiam mortuus valere iussisti ægros;
destitutum viribus hominem, & languentem
non ante roborasti, ac solidasti,
quàm ad tui contignationem delubri
votiuam offerret trabem.
statim vno, eodemque fulcimento trabis,
stabilita sunt duo, ne ruerent.
nihil hoc beneficio hæsit firmius,
quia defixum est clauo trabali.

XVI.

XVI. Kal. Octobr.

S. EVPHEMIA Virgo, & Martyr. 16 Septemb.

Synop. *Rota affixa lictorem constantia commouit, vt religionem amplecteretur. ignis, quo iniecta est, carnifices absumpsit. in mare demersa, à monstris marinis elata. à serra secari non potuit. feris obiecta, nec læsa.*

ENCOMION 297.

A laude, ac fama nomen Euphemię *εὖ Bene φημὴ Fama.*
inditum est auspicatò,
quanquam linguis centum assequi fama non potest,
quod vna illius pro religione dixit liberè,
volubiliùs incitata est aduersus Deos lingua,
quàm rota, cui ipsa affixa est crudeliter.
potuit rota breui supplicatione peruerti,
at non item virgo longo supplicio.
ratus est tyrannus, vinci eam non aliter posse,
quàm si lictori committeret, nominē Victori.
errauit: victus est Victor constantia virginis,
manus dedit, immò totum corpus feris.
at qui eam conijcere ausi sunt in ignem,
sibi parato consumpti sunt rogo.
data deinde præda est virgo marinis monstris.
mira res: extulerunt eam immanes phocæ,
quasi delphines allecti precantis sono:
scilicet non est obnoxius naufragio pudor,
quia nil habet in mari commune marina cum Venere.
exsecanda etiam traditur serrę virgo, sed frustra,
statim obtusa hebetatur acies ferri.
nempè diuidi in partes non vult integer pudor.
tandem famelicas petita est ad bestias.
sed facilè dentem vicit ferinum,
quæ dentatum vicerat ferrum.

Hhh XV.

XV. Kal. Octobr.

S. LAMBERTVS

Episc. Leodiens.

17 *Septemb.*

Synop. *Pipinum parùm castum liberè reprehendit. propinatum sibi in regia mensa ab incesta muliere poculum, respuit. accedentem quoque temerè aliam, item impudicam ab ipso pheretro mortuus repulit.*

ENCOMION 298.

Nihil infensius Lamberto habuit Venus,
quia ipsam penè cum Pipino regnantem
ex aula conatus est pellere.
ausa est inclytas tanti Ducis dedecorare victorias
incesto pellicis thalamo,
cœno infecit sordidum decoro Martis puluere.
sed expalluit ad Lamberti minas purpura,
exhorruit armatus inermem.
prælatæ sunt columbæ candore nitentes
victricibus aquilis legionum,
floridum pudoris sertum triumphali laureæ.
viluit clarissimi Ducis trabea
non intertexto aureo diuini timoris clauo.
oblatum sibi in mensa poculum à pellice,
quasi Cyrcèum à se Lambertus repulit.
maluit suum exhauriri sanguinem,
quàm de fatali cratere vel haurire, vel lambere.
quin etiam ab ipso feretro incesta repulit oscula.
nam quæcumque accessit venerans, sed cum Venere,
tanquam aliquo turbine retroactam repente se sensit.
is, qui durum excipere paratus fuerat ferrum,
molle summouit scortum.
mirum dictu: exclusa est etiam à Libitina Venus.
quàm tutum habuit ouile magnus hic pastor,
qui vel mortuus abegit, atque absterruit lupas?

XIV.

XIV. Kal. Octobr.

S. FERREOLVS

Martyr. 18 Septemb.

Synop. *Vincula, quibus alligatus est, sponte soluta ceciderunt. coram Iudice constanter falsos Deos spreuit. resectum, & auulsum à ceruicibus caput, diù conseruatū est intactum, & quasi recens à cæde.*

ENCOMION 299.

Nunquam stultior est habitus Præses impius,
quàm cùm putauit se posse terrere
Ferreolum ferro.
geminata potiùs est vis constantiæ,
quia ferrum accessit alterum.
nisi quòd catenæ, quibus nexus est, ferreæ
spontè ceciderunt solutæ;
quia scilicet progredi voluit ad necem liber.
carcer ipse ferreo vecte præclusus,
vni Ferreolo ad exitum patuit.
verba coram Prę side ferreanè fudit, an aurea?
nempè, & spurios insectatus est Deos,
& verum testatus est Numen.
nihil magis Dij timuere lapidei,
quàm ne frangerentur hoc ferrato malleo.
At Iuppiter ille, qui se olim fecit aureum,
vilis habitus est à Ferreolo.
hoc tantùm lictor effecit securi,
quòd aperuit venas ferri,
vt haberet religio, vnde materiam effoderet
fabricandis ad exemplum armis.
caput, quod hic pro illa deuouit gladio,
diù tempus in tumulo reliquit intactum.
scilicet dente vetustatis, quantumuis æneo,
corrodi non potuit ferrum.

XIII. Kal. Octobr.

19 Septemb.

S. IANVARIVS

Episc. Beneuent.

Synop. *In amphitheatro ferarum dentes elusit. ab igne quoque illæsus euasit. expenditur eius beneficiũ in tuenda Neapoli, quæ sibi ipsum patronũ adoptauit, in incendio Vesuuij. ingens prodigium colliquescentis sanguinis cõmemoratur.*

ENCOMION 300.

Quam tibi, Præsul magne, rependam calamo laudem?
verè parens es patriæ,
quam ita edis in lucem, vt non edat flamma.
clara fuit tua virtus in arena, sed semel;
non minus in cinere clara, sed sæpe.
vicisti in amphitheatro Libyæ feras,
in Vesuuio incendij feritatem;
tantò fortior est, quantò voracior, flamma, quàm feræ.
Dion. habet & hic mons amphitheatri speciem,
dum ambusta media desident in caueæ formam.
domuisti olim belluas non claua, sed lituo;
exarmasti vngues leonum inermis,
neque tamen iubato indutus es spolio,
ne putareris incestus Alcides;
dum sanguis tuus excandescit iusta in incendiarium ira,
desinit candentis Vesuuii furor irasci.
nunquam de te fuit fama vocalior,
quàm cùm vibrantes igni exsecuisti linguas.
quanti fuisti spiritus, atque animi heros,
quem animauit ipsum vulnus in sanguine?
nempe non debuit carere prodigio
fusus tam prodigè sanguis.
est & hoc in miraculo mirum,
quòd tantæ soliditatis, & constantiæ Præsul
viuere cruentus gestis in vitro.

oppo-

oppositus est crateri crater;
quamquam lapideo vitreus.
firmior tamen hic,quia vincit:
mirum dictu:propinatur vita cratere cruento;
petitur salus à vulnere.
fuit hic olim cruor à flamma liber;
posteà etiam liberator.
scilicet in te inesse tanta vis poterat,
vt efficeres,nè patria abirèt in cineres,
qui dum viueres,tibi admotæ imperaueras flammę:
meritò hunc sãguinem ausę non sunt exorbere bellue;
quia reseruabatur vitæ tuorum.
nihil efferuescenti Vesuuio tam infensum;
quàm tuus ebulliens sanguis.
soluitur hic,nè cogatur metu noster;
mouetur,ac fluctuat,
vt fluctuare motu desinat terra:
colliquescit vnà cum patriæ lacrymis:
innatant in illo stipulæ,
vt calamitatem faciant leuem.
ostendisti Vesuuium Chimeræ monti similem,
mõstrosã belluã,quęnõ pascitur,sed extĩguitur fœno;
at tu viuis in sanguine,vt paratũ ostẽdas iterũ fundere.
quàm alacer subijsti necem
qui tripudias vel in sanguine;
ideò resectum est tibi caput vnà cum digito;
quia non alius inueniri calamus poterat dignus,
qui tanti prodigij nobilem inscriberet titulum.
cruentus fuit hic digitus,
vt purpureas imprimeret notas pulchriùs.
fecerunt hoc bellatores quidam,sed semel factũ perijt,
at hoc,quia perpetuò fit,cum auctore perennat.
scilicet, vt inscribi tot victoriarum tituli possint, *Val.Max.*
triumphalis liquitur sanguis.

XII. Kal. Octobr.

S. EVSTACHIVS
Martyr.

20 Septemb.

Synop. *Dux fortissimus apud Hydaspem fluuium pugnauit: in venatione obtulit et se ceruus cornibus in crucis speciem conformatis: intra candentem taurum inclusus, & exustus est vir admirabili constantia.*

ENCOMION 301.

Vanus post hunc cœpit haberi Sertorius,
Plut. qui consuluit in bellis ceruam;
at superstitionem vicit oraculum.
apud Hidaspem precibus hic profligauit hostem;
ditior est factus amnis aurifluus,
auctus spolijs aureis.
sed feliciùs iaculatus est in nemore, quàm in campo;
nobiliorem retulit prædam
è venatione, quàm è pugna.
in cornibus viuacis cerui
vitæ vidit insignia.
pauidum animal constantiam infudit aspectu,
hostes ipse tanquam angues cerui instar elisit.
fuit & ceruo celerior, sed ad pœnas.
omnia ferè habuit cerui propria,
præter fugam.
leones, quibus est obiectus in vrbe,
mitiores habuit, quàm in silua,
quia sine iaculis sponte cesserunt.
in Phalaridis taurum coniectus est vnà cum suis,
sed mugitu exterruit Inferos.
sic etiam clarum fecit Alciden
Virgil. taurus ignem spirans ore, deuictus.
aperuit insignibus ijs cornibus ceruus Eustachio
non, vt in Signifero taurus, annum, sed æternitatem.

XI.

XI. Kal. Octobr.

S. MATTHAEVS

Apostolus.

21 Septemb.

Synop. *Laudatur eius alacritas in mensa nummaria statim relinquenda, & in mensa dapsili Christo paranda. laudatur etiam propter historiam de illius actis scriptam. restitit Magis. Parthos adijt. Iphigeniam Deo sacrauit.*

ENCOMION 302.

Statim ac verba, vir magne, accepisti aurea
viluit tibi, quod tractabas, aurum.
omnis euanuit huius metalli fulgor,
cùm ex ore vocantis diuinitas fulsit.
nullum vectigal maius, quàm inopia Dei fuit.
liberalior, & magnificentior es habitus,
cùm mensam omninò posthabuisti nummariam,
quàm cùm semel apparasti dapsilem.
maius accepit pretium calamus,
cùm Dei pauperis acta descripsit,
quàmcùm pecuniam perscripsit exactam.
facilè tibi postea fuit Magorum superare præstigias;
qui maximè præstigiosum viceras aurum.
quid mirum, quòd excantare potuisti dracones
maculosos aureis squamis?
tandem adijsti Parthos: mira fecisti,
nam ad te conuerterunt ora, qui pugnabant auersi.
qui antea adulterinum in mensa repudiabas aurum,
purum postea amasti pudoris,
imposuisti silentium Græcorum fabulæ
de Iphigenia quondam Achilli desponsa;
alteram tu fortissimo iunxisti Numini,
sed lucidas sine fumo prætulisti tedas.
non est, vt olim, suffecta timida cerua pro victima,
sed se ipsam intrepida virgo in parthenone deuouit.

X.

X. Kal. Octobr.

S. MAVRITIVS

Martyr.

22. Septemb.

Synop. *Dux fuit Thebæorum legionis, quæ se deuouit, cùm posset armis resistere Cæsari. ab hoc pro religione necati sunt; decimus quisque primus interfectus; postea reliqui omnes, inter quos hic præcipuus.*

ENCOMION 303.

Nunquam feliciùs legio Thebæa pugnauit,
quàm cum detrectauit pugnam,
& gloriosiùs arma imbuerunt, & pulchriùs
suo, quàm hostili cruore.
potuisti, Mauriti dux, agmē inuictum opponere Cęsari,
sed cadere voluistis, attamen armati,
exarmauit vos virtus ira, non ferro.
nihil apud vos valuit
fortissima in periculis desperatio.
nempe quisque vestrùm fulmen erat belli;
vim hoc non ostendit, nisi dum cadit.
eductum est sortitò nomen ab vrna,
felix habita est sola sors necis;
hoc vnum timuit virtus, ne fieret exsors.
aleam vitæ lætum putastis lusum.
decimus quisque necari iussus
hoc sibi visus est consequi,
quòd quasi decumanos superaret fluctus.
dixistis, haudquam teneri vos Cæsaris sacramento;
si vera violentur sacra;
militiam deberi homini, religionem numini;
ab illo stipendia quæri laboris,
ab hoc expectari pietatis;
non esse vos militiæ proditores;
si tecta se proderet virtus.

XI.

IX. Kal. Octobr.

S. LINVS

Pont. Max. M. 23 Septemb.

Synop Successit hic hierarcha munere Petro Apostolo. iussit, in templo mulieres velare vultum pudoris gratia. Consulis filiam mirè à mortuis excitauit. KoKod*æmone quoque obsessos liberos reddidit.*

ENCOMION 304.

Poſt primum Romæ Hierarcham Petrum
liniri debuit ſtatim Lini vertex.
nihil tam præcipuum, quàm fuiſſe Petro ſecundum.
Inobſcurauit Diales flamines
inauguratus afflatu Numinis.
hoc in primis religionem apertam fecit ſuam,
quòd iuſſit, ingreſſuras delubra mulieres
opertam velare faciem.
tectum eſſe voluit Superis caput,
cor detectum.
obnupſit flammeo genas,
vt arderent pudore.
nè naufraguim pudicitia faceret,
voluit hanc tutò velificari cum eiuſmodi velo.
quanquam Conſulis filiæ velum abſtulit,
quo tegebatur facies,
cùm mirè ſuſcitauit emortuam;
quaſi nondum peracta vitæ fabula,
aulæum ſuſtulit.
ita nihil Lino lenius fuit,
præterquàm in Mortem,
immò etiam aſper in Mortis auctores fuit.
nam pontificijs hoc egit maximè clauibus,
quòd excluſum ex humanis corporibus Ditem
eo, vnde ſe ille proripuerat, clauſit in carcere.

IX.Kal.Octobr.

S. SOSIVS

Martyr.

23 Septembr.

Synop. *Cùm de illius capite euangelium legentis(erat .n. anagnostes) micare flãmã S. Ianuarius vidisset, prædixit, eum futurum martyrem. præfertur Seruio Tullio, cui idem accidit. & quia Misenas fuit, etiam Miseno præconi.*

ENCOMION 305.

Noua prorsus, ac mira vaticinandi ratio;
coniecturam sumpsit Ianuarius è clara capitis flamma;
Sosium extinguendum morte.
interpretatus est, cum explendescere ignem vidit,
eum amissurum lucis vsuram.
nisi fortè, quia pro religione occidere, oriri est.
cùm ignis exarsit in coma,
præse tulit cometam
fatalem, sed superstitioni & impietati;
portendit excidium, sed Deorum fanis.
cœperunt veteris Hetruriæ ignispicia despici,
damnati sunt pyromantici libri pyra;
at ideò ex hoc igni licuit diuinare,
quia oblatus est diuinitùs.
minus splenduit Seruij Tullij flãma in auspiciũ Regni,
Liuius. quia illi dormienti, huic vigilanti fulsit;
illi in cunis iacenti, huic in templi suggestu stanti.
duplex in hoc vno vibrauit lingua, vtraque ignea,
altera in ore anagnostę, altera in capite agonistæ.
nunquam tamen tam syncerè, ac verè locutus,
quàm cum duplici lingua.
nõ tam vocalis fuit Miseni tuba, quàm Misenatis Sosij
cùm aduersus Inferos cecinit bellicum.
Virgil. hic meliùs accendere cantu potuit Martem,
qui flagrauit accensus capitis flamma.

XII

IX.Kal.Octobr.

S. THECLA

Virgo,& Martyr. 23 Septemb.

Synop. *Quòd virginitatem seruare studeret, ab ipso sponso impiè neci tradita. leoni voraci, ac famelico exposita est; qui tamen ipsam lædere non est ausus; immò verò nec oculos in ipsam attollere.*

ENCOMION 306.

Oppignerata iam thalamo Thecla
maluit impij sponsi tædas
perferre furiales, quàm præferri geniales,
virgo habita est Vestalibus maior,
non quia custodiuit ignem,
sed quia impunè restinxit.
Naturam bestiarum sui veneratione mutauit,
aspectus fugit hominum, at non ferarum,
vidit lingentem sibi pedes leonem,
quia noluerat esse lupa.
tangi se non nisi à belluis siuit.
docuerunt religionem homines feræ,
cùm veneratæ sunt martyrem,
hoc religiosiùs, quòd ieiunæ.
virgo magisterium exhibuit belluis,
quam scilicet doctor erudierat populorum Paulus.
proh nefas: homo feritatem imperauit feris,
nisi quòd hę impium detrectarunt imperium,
demiserunt villosa capita virgini,
non modò eam non violarunt vngui,
sed nec oculi acie.
& clementiam edoctæ pariter, & pudorem.
naturam leo induit alienam, oblitus suæ,
tunc ferę induerunt humanam, cùm homo ferinam.
mirum visu: adorauit prædam suam bellua.

VIII. Kal. Octobr.

24 Septemb.

S. PAPHNVTIVS Martyr.

Synop. *Intra specũ primò delituit, deinde martyrij cupiditatẽ se prodidit. catenis arctè deuinctus est. excruciatus etiam immaniter equuleo. demum suffixus est clauis auspicatò arbori palmæ.*

ENCOMION 307.

In nemore latuisti, Paphnuti, diù:
ex vmbra iam euocat te virtus in Solem;
è filuis in campum.
Indicto religioni bello
statim dedisti militię nomen.
putasti militis esse degeneris,
non exilire ad classici sonum.
placuit laurus decerpta non manu, sed ferro;
inter virides arborum ramos
educata tot annis virtus,
non exaruit belli puluere.
nisi quòd inermis ad pugnam carebas ferro;
sed hostis ipse suffecit ferrum,
cùm onerauit te catenis.
latius quoque fecit animosum pectus,
cum te distendit equuleo.
parum hoc: declarauit idem hostis te victorem;
cùm affixit palmæ,
dignũ palmari statua, quia statuas Deorum spreueras;
ex ijs, quas in luco habuisti arbores,
palma à te disiungi non potuit;
adeò nunquam triumpho vacat Religio victrix.
non hæc palmatas Romanorum tunicas iactat,
quibus exui possint Duces;
sed affixos firmiter palmis Duces.

VII.

VII. Kal. Octobr.

S. HERCVLANVS

Martyr.

25 Septemb.

Synop. *Anteponitur Herculanus Herculi. fanum Apollinis, quem impiè iussus est colere, ad eius aspectum praeceps corruit. in ignem frustra iniectus est. dũ constanter necaretur, terra repente mouit.*

ENCOMION 308.

Inualidus cœpit haberi Hercules,
vbi se prodidit Herculani virtus.
difficiliores hic exantlauit labores.
non alia proposuit sibi monstra domanda,
quàm monstrosos Deos.
vt maiorem de his faceret stragem,
Alexandrum antistitem habuit socium;
huius virtute, ac prodigijs incitatus est primò:
firmitatem concepit ex viso præcipiti Apollinis fano,
flammam pietatis ex restincto Præsulis rogo.
non iactauit Herculanus extrinsecùs leonis spolium,
sed animum leonis præsetulit mente,
non est delibutus venenato Centauri sanguine,
sed vitali, quem fudit.
robustior fuit hic concisus lictoria virga,
quàm ille roborea nixus claua.
maius assecurus est decus, ac veriùs,
hic, qui ceruices subiecit ferro,
quàm ille, qui stellis aureis.
Cœlum hic non modò sustinuit, sed obtinuit;
Herculem Oetheus ignis absumpsit,
Herculanum extinctus Martyrum ignis animauit.
intremuit repentè tellus ad necem.
quid mirum? subtractis ferro ceruicibus Herculani,
nutare, qui ijs nitebatur, visus est Mundus.

VI.

VI. Kal. Octobr.

26 Septemb.

SS. CYPRIANVS, ET IVSTINA Martyres.

Synop. *Cyprianus, quòd Iustinam non potuisset magicis artibus ad illecebram pertrahere, nuncium impietati remisit. ambo autem summa cum animi constantia in ignem pro religione coniecti sunt.*

ENCOMION 309.

Nihil magis miratus est Cyprianus,
quàm tam inualidam esse Cypriam,
etiamsi Spartæ coleretur armata.
vbi sensit Iustinam ab hac vinci non posse,
totum armauit Erebum,
opposuit vni puellæ tergeminam Hecaten,
intexuit multa, vt alliceret, licia,
volubilem applicuit rhombum,
sed constantia virginis hæsit, ac stetit.
ceratas effinxit imagines
lymphatus ipse, ac territus.
puellam, quam Venere non vicerat pulchra,
informibus vincere conatus est formis.
sed cessit magica virga virtutis sceptro.
cesserunt pallidæ huius herbæ illius viriditati:
iam porrigit ipse, more deuicti, herbam.
non tacitè susurris immurmurat,
sed clamat, Iustinæ lege se viuere.
in ignem, sed frustra, conijcitur vnà cum virgine,
quam inflammare ad flagitium nulla arte potuerat.
sed quia illam blandimentis non valuit flectere,
obduruit ipse supplicijs,
mira res visa: Cyprianus illecebra mollis,
accepta diuinitùs soliditate constantiæ,
ex Cyprio factus est cupreus.

V.

V. Kal. Octobr.

SS. COSMAS, ET DAMIANVS Martyres.

27 Septemb.

Synop. *Medicinæ arte præstantes ambo fuerunt. constricti sunt catenis ferreis, & in mare proiecti, sed incolumes rediere. de spe vitæ deiectos curabant. Iustinianus illis postea magnificum templum erexit.*

ENCOMION 310.

Hæserunt attonitæ gentes,
cùm viderunt vos medicinæ arte præstantes
nihil ardentius amare, quàm vulnera;
cœperunt inducere in animum sibi,
vitam quæri oportere per vulnera.
proiecti estis in mare, sed frustra,
quia catenis onerati ferreis.
nempe perire non potuit nauis,
quæ tam firmos habuit rudentes;
sacram anchoram fecistis ex ferro.
quanquam soluti vinculis enetastis ad littus;
extulit vos vnda, non obruit;
non debuistis perire naufragio
soliti porrigere dexteram naufragis,
morborum scilicet tempestate iactatis:
euasistis etiam è flammis immunes,
vestris quippe viribus cesserat victa
exardescens ad perniciem febrium cohors.
meritò, ac iure Iustinianus Cæsar,
augustalem vobis exædificauit ædem.
quàm clara fuit virtus expressa factis,
quæ adeò splenduit vel adumbrata picturis!
quid potuit depingi tam pulchrè, tam cosmicè,
quàm quod continebat ornamentum ipsum? κόσμος Ornatus
hoc est cum Damiano Cosmam.

IV.

IV. Kal. Octobr.

S. VVENCESLAVS

Dux Boem. M.

28 *Septemb.*

Synop. *A matre impiè necatus est infensa religioni; sed absorbuit illam mox dehiscens terra; carnifices acti furijs, mutua se cæde necarunt. cruor innocentis effusus deleri de pariete nullo modo potuit.*

ENCOMION 311.

Cecidisti, Dux magne, tanquam ad aram victima;
similis præcidaneæ mundi nascentis.
nempe acuit & in te ferrum fraternus furor:
exulcerauit vestigium primi vulneris,
immò sumpsit incrementum scelus;
nam mater in tuam coniurauit necem.
causa materni odij, spreta superstitio nouercæ.
rimatus est ferro viscera matris Nero;
at tua Neronem ipsum induit mater;
ausa etiam inhumanum cadauer tuum
proijcere ad ferarum pastum.
sed statim pœnas sumpsit horribiles tellus,
facta labe viuentem illam absorbuit;
nisi quòd non æquauit sua labe sceleris labem;
maius nefas inhiantis ad necem, quàm hiatus fuit.
ad tellurem pertinuit scelus vlcisci impium matris,
quia natos ipsa educat viuentes vberibus,
complectitur & vita functos sinu.
At lictores statim agitati sunt furijs;
secures in se ipsi strinxerunt suas.
mirum visu: qui adhæsit parieti sanguis
elui potuit nunquam;
hoc est consecuta crudelitas, quæ te voluit perdere;
vt deleri non posset cruor fusus,
sed deleretur hostis, qui eum fudit.

III.

III. Kal. Octobr.

S. GVDELIA

Martyr. 29 *Septemb.*

Synop. *Iussa hæc Persarum ritu ignem diuinis honoribus afficere, ac venerari, assentiri noluit: quamobrem detracta est illi capitis cutis; tum ferreis confixa clauis, constantiæ præclarum specimen dedit.*

ENCOMION 312.

Nunquam natura mitis Gudelia exarsit ira,
nisi cùm iussa est venerari ignem:
negauit immortalitatem, æterno numini debitam,
ei, qui versatur in cinere,
& quo feralis accenditur rogus extinctis.
diuinitatis splendore dixit indignum
eum, qui natali obruitur fumo.
laudauit in hoc Aegyptios, qui appellarunt ignem
voracem belluam.
proprium sensit esse Dei dare, non rapere. *Norus.*
At putarunt Persæ, non negaturam cultum
certè Soli.
sed maluit hæc priuari lucis vsura,
quàm inquinare se superstitione
ipso lucis in fonte.
qui stetit olim Sol ad Ducis imperium,
penè stetit iterum attonitus puellæ constantia.
erubuit certè, cum sibi vidit illudi;
nisi quòd ille sub Sole pugnauit, hæc in Solem.
detracta est ad supplicium capitis cutis,
sed detraxit ipsa Soli capitis radios;
opposuit eius flauæ comæ pulchriorem,
suam videlicet cruore purpuream.
confixa quoque libenter est ferreis clauis,
nè cum erratico erraret sidere.

Pridie Kal. Octobr.

30 Septemb.

S. HIERONYMVS

Eccl. Doct.

Synop. *Commendatur admirabilis eius sapientia. in deserta loca se abdidit, cùm vt litteris, tùm vt pietati vacaret. apud Christi cunabula diù degit. infensissimus fuit hæreticis, quos insectatus est scriptis.*

ENCOMION 313.

Prodi nunc è sapientiæ interiore cortina
oraculorum interpres fide Hieronyme,
post te sileri cœpit Aegyptius Hermes,
minimi habitus est ter maximus.
nisi quòd tu penè linguarum peritus omnium,
nulla laudari potes, quia facta non æquant linguæ.
In horridis siluis venatus es sagaciter
sapientiæ leporem.
cùm sis inter aspera saxa versatus,
excurrit tamen tua sine offendiculo dictio.
non habet salebras oratio, sed salem.
tulisti bibliothecam in siluas,
ne ingenium in vrbe siluesceret.
nulla tibi statio iucundior est visa, quàm Bethlem;
præposuisti Dei nascentis cunas
sua ruina sepultæ iam Romæ.
voluisti, vnà cũ tenero Numine lactescere sapientiã
sed mirum, quòd nihil sit illa robustius.
Docuisti, nihil magis infidum esse Pelagio;
nihil humilius, abiectiusque Montano.
Vigilantium somniare dixisti.
quanta clarus fuisti luce doctrinæ,
cui cessit etiam Lucifer?
cùm eius doctrinæ latentes ostendisti tenebras,
cœptus est tantummodò dici Vesper.

FA-

FASTI

veterum Romanorum, atque Græcorum collati cum nostris.

OCTOBER.



Ctobri quoq; nomen eripere conati sunt Cæsares. Domitianus suo nomine appellari iussit, quòd hoc mense natus esset; sed vbi eius audacia domita est, infaustum vocabulum ex omni ære, vel saxo populus Romanus erasit, mensis quoq; vsurpatione tyrannicæ appellationis exutus est. Hic idem mensis decreto Senatus aliquandiù Faustinus, est dictus, in honorem Faustinæ vxoris M. Antonini Imperatoris. Sed inobscurarunt Faustinę nomen nostri omnino quatuor nomine Fausti, qui in ipsum ferè Octobris initium incidunt; vt, si nomen sit immutandum, ab his auspicatiùs denominatio sumẽda esse videatur. At verò Commodus Imperator appellari iussit Inuictum, cui facilè assentiri possemus si hoc de nostrorum constantia atque virtute, qua sępe victus est ipse Cõmodus, intellexisset. Quamobrem si superstitionem excipias, non incommodè, aut ineptè factum dicas, vt hic mensis fortissimoru(m) ducum victorijs insignis, in Martis tutela sit habitus, præsertim cũ inter illos vnus apud nos sit nõ modò nomine, sed rè *Martialis*. *Macrob.* *Alexan. ab Alex.*

1 Kal. Octob. Liberalia Romæ acta, & sacrũ Dionysio factũ; sed hoc apud nos dignius, quòd religionis Romanæ defẽsa libertas est à sobriis, expresso tamen sanguine quasi sub prælo pœnarum; id egerunt Romæ, præter ceteros, quatuor supra quingentos *Areta* Duce cui virtus indidit meritò nomẽ. Põpeius hoc itẽ die apud Pharsalum à Cæsare victus indecori fuga in Aegyptum se proripuit. At nulla fuit in nostris fuga, sed in Cæsares ipsos, Diocletianũ, & Maximilianũ, incredibili robore animi dimicatum, nec sine, vt ita dicam, auspicio; nam, & *Crescentis* mira cõstantia incremẽtum religioni portendit, &, vt de huius veritate constaret, oppositus est hosti- *1 Octob.* *Kal. vet.* *ἀρετὴ virtus.*

 bus

bus *Veti ssimus* martyr. Pompeio autē multò felicior fuit *Clodoueus* Francorum Rex, cùm † *Remigij* opera è naufragio impietatis emersit. Est etiā hic dies *B. Frācisco Borgiæ* pręstātissimo olim Candię Duci sacer, homini maximè sobrio, qui dies, apud veteres Dionysio, siue Baccho ebrio fuit rursus, quo *Pompeius* ille Magnus est victus, hoc vnus ex Hispaniæ Magnatibus de humano fastu victor triumphum egit: nec defuit illi, de more triumphantium monitor mortis, deformatus videlicet squalore mortis aspectus Isabellæ Caroli V. coniugis, cuius antea dignam Imperio formā omnes admirabantur. hac ille mente in *Ignatij* disciplinam se abdidit. puduit esse purpuratū in tāto decoloratæ Augustæ pallore. noluit deinceps ipse agere Principem, quando tunquam in adumbratæ choragio gloriæ se se obtulerat oculis tam dispari vultu laruata maiestas. ita ad immortalitatem aspirare cœpit ex funere. phœnix hic eò admirabilior, quòd alieno renatus ex cinere.

2 *Octobr.* *Macrob.* *A. Gell.* VI. Nonas Octob. Ater *Romanis* dies fuit, sed maximè Diocletiano Cæsari ater, cum eius regia igne cōcepto in fumum abiit; at nostris, quos auctores incendii falsò dicebat, faustus: tanquam enim in lucem edi visi sunt, cum in ignem, flammamque cōiecti. ac *Theophilus* quidem Isaurico Leoni opposuit Cœlitū signa orbe radiato splendentia, haud ignarus leones absterreri fulgore ignis. *F*uit hic dies etiam ater † *Leodegarij* sanctissimi *P*ræsulis lictori impio, qui post parricidium furiis agitatus, in fumantem caminum se ipse coniecit: sed vt huic ater, ita illi clarus fuit dies, & auspicatus.

3 *Octobr.* *Herodes* *Gyrald.* V. Nonas Octob. In hunc diem incidisse nonnulli putant insignem illam cladem, quam acceperunt *P*ersę apud Marathonem: ideq; dies apud veteres vnus ex Aegyptiacis est habitus, hoc est ex tristibus, & infaustis. At contrà nobis faustū diē, ac lætum facit *Faustus* ipse, tum maximè hoc dignus nomine, cum eum Decius suppliciis conatus est facere miserū. & sanè *Candidus*, quem habuit socium, satis indicat, quàm felicem nactus fuerit sortem; qui *Candidus*, vt pulchriùs notaret hunc diem, comparare sibi voluit, occumbendo, etiam decus purpuræ. † *Gerardi* quoq. fortissimi viri virtus in vitiis debellandis veterum gloriā inobscurauit. digniora sunt horum facta, quæ *P*œcile depicta contineret, quàm Marathonia pugna. quamquam hæc Polygnotus ipse pictor se exprimere

posse

posse diffideret. habet certè religio nobilissimum locede, siue porticum, sub qua philosophari possimus sapiētius multò, quàm Stoici.
IV. Nonas Octob. Magna ex parte inominatus fuit hic dies: siquidē Maniū spectris, & Lemurū terriculamētis insignitus habebatur; quamobrē Lemuralia acta, & Mundus aperiebatur. atu. quippe putabant inferiorem Mundi partem quæ esset Diis Manibus sacra, semper clausam ter tātùm in anno patere, ac tum ea, quæ ad occultam, & abditam religionem Deorum Maniū pertinerent, velut in lucem proferri: quibus diebus nihil, quod alicuius momēti esset, in republica geri voluerūt, neq. cōscribi exercitū; neq. Martē excitari, ac pila cōmoueri, neq. argēteas aquilas, & alia signa legionū explicari. neq. cū hoste conferri manus; deniq; nullum iniri consilium publicum in vrbe licuit. Sed hunc ne nos inominatū haberemus diem, facit *Faustus* ipse præclarissimus martyr. accedit *Petronius*, qui Nestoriū, ceterosq. religionis aduersarios quasi Lemures exegit; neq. verò iā Inferi patēt, sed cœlum potius, quando † *Francisco* sacer est dies, cui etiā viuenti cœli adyta patuerint arcanis admisso diuinis, ac penè intra ipsius diuinitatis cortinam; fortissimum verò ille conscripsit exercitum triumphali suorum vulnerum cruore. Fuit hic quidem dies olim Romæ duobus insignis triūphis: alterum Aquilius Florus Proconſ. victricibus aquilis retulit de Pœnis, alterum C. Luctatius Catulus tē Proconſ. de iisdem Pœnis ex Sicilia nauale m. At *Francisci* de Erebo triumphus, & perspicaces præfert aquilas suorum ob sapientiam, & efflorescit gloria, & egregios habet, pro Luctatio, fidei Luctatores: narrant visum aliquādo *Franciscum* ipsum per aerem prouectū curru haud dubiè triumphali. Sed antea iā aliis ornatus fuit hic dies triūphis, in primis eo, quē retulerunt *Marrianus*, & *Marcus* vnà cū innumerabili penè exercitu laureato. Deniq. ne quid huic dici ornamēti desit, & vt horū triumphorū opima spolia, & ingentes opes significarētur, adiunxit se virgo nomine *Aurea*. tantū videri potest mirum, quòd *Francisco* se adiunxerit, qui longè ab auro abhorruit: sed nimirū quia virgo illa est, pudicissimo placuit, & quia religione, ac pietate præstās, etiā *Hierotheo*, *Eusebioq.* se sociauit. Sed illud aptissimū, & ex voto, quòd *Franciscus* vulneribus insignis quinis, inciderit in *Petrum*, qui Damasci affixus est cruci.

III. No-

4 *Kal. vet.* 495 592 *Goltz.* *Chron.*

5 Octob. Kal. v. 448 487 495 Goltz. III. Nonas Octob. Hic item dies inter triũphos lætus versatur, ac ludos. nã Alemannici ludi Romæ instituti sunt per dies sex, ara Diis Manibus in Circo erecta. præterea tres nõ vno anno triumpharunt: primò M. Fuluius Curuus Petunus Cos. de Samnitibus, deinde M. Fabius Pictor Cos. de Sassinatibus, postremò C. Sulpitius Paterculus Cos. de Pœnis, ac Sardis. Hos tamen inobscurarunt nostri triũphatores item tres eodem die, atq; anno; l. † *Placidus*, & auspicatis nominibus *Victorinus*, & *Eutychius* fratres, insigni victoria de Manuchę sæuitia bello piratico parta: quo in triũpho laureatus incessit, præter ipsorum sororem *Flauiam*, ac nõnullos alios, *Faustus*. quamobrem aptè cum his conuenisse in eundem diẽ videntur, omine quodã constantiæ, ac virtutis bellicæ, duo hieroduli, nomine *Firmati*, qui, pro ludis Alemannicis, hoc præclarius, & iucundius egerunt, quòd illuserunt Diis.

6 Octob. 512 Florus. Pridie Nonas Octob. Infelix hic dies Romanis est habitus, quo die C. Manlium, & Q. Seruiliũ Cepionem Procõs. Cimbri binis castris exuerunt. fecerunt tamen de atro candidũ cũ L. Lucullus victoria de Tigrane rege parta, tũ Q. Valerius Falco propræt. nauali ex Sicilia triumpho. Sed multò magis hũc diem ex atro lucidum fecit † *Bruno* cum sociis, oblatus Hugoni specie stellarum septẽ. Hoc item die innumerabilis nostrorũ exercitus laureatus post Diocletianum Cæsarẽ, & Ricciouarum præsidem superatos, triumphalem agit pompam, atque vt caussa, pro qua tam strenuè pugnatum est, perspicua fit, associat se victoribus magni animi matrona, *Fides*. vt verò mors non coactè, sed spontè, & ex amore Ignis Amor. suscepta intelligatur, accedit *Erotis*, ambæ in eodẽ generę pugnæ victrices.

7 Octob. Th. v. b. Nonis Octob. Italiæ hic dies infaustus, & fatalis fuit; quo videlicet die primùm in eam Annibal cum exercitu ingressus; at nobis faustissimus est non ingressu, sed turpi fuga hostium, in quã vz. se coniecerunt reliquiæ Othomannicę classis, nõ solũ Ducis Austriaci ductu, sed præsidio magnę Dei matris; cui meritò posteritas à Victoria nomen indidit sũa hãc ne debacchentur hostes, in tutela etiam † *Bacchi* sumus: sed hic alter est, & oppositus ebrio, quamquã expressus ipse sub prælo. tuetur autẽ nos à ruinis vrbiũ. † *Sergius*, cuius insigni patrocinio Sergiopolis nomen accepit. At verò in Græcia Oscophoria, idest Ramalia instituta in memoriam

felicis

fęlicis reditus è Creta Thesei; quibus nostrorum martyrũ palmæ rami succedunt eo ferro decerpti, quo illi cæsi sunt.

VIII. Idus Octob. Pyanepsia, & Oscophoria Apollini dicata, Athenis celebrabantur, in quibus præferebatur oleæ surculus alba lana coronatus, & onustus vuis, ficubus, & alijs fructibus: circumibant autẽ diutũ ianuas, petentes munuscula lepido carmine. Apud nos *Simeonis* memoria est, eius, qui puerũ Deũ tanquã virẽtis oleæ ramusculũ manibus prætulit, siue in diuinæ pietatis argumentum, siue in luminis nutrimentum. Accesserũt ad oleã etiã laureę victrices, nã & *Laurentia* ipsa insigni constantia mulier, Diocletiano Cæsari restitit; & † *Demetrius* Proconsul fasces, & secures suas vnà cum lancea, quà cõfossus est, retulit laureatas. quorũm, & ceterorum gloriæ quãta vis eloquentiæ debeatur, indicare videtur *Nestor*, qui tamẽ maluit ex venis sanguinẽ, quàm, vt Homericus alter, mel ex ore profundere. 8 *Octob.* *Plutar.* *Herod.*

VII Idus Octob. Hoc item die ludi Alemannici celebrati Romę. apud nos dãtur maiora spectacula. † *Dionysius* ex Areopagi subsellijs, & ex curia Martis prodit in campũ. idem, vt religionis excolatur ager, *Rusticum* adsciscit. admirationi quoq; est *Publia* virginis virtus, quę non dubitauit audiente Iuliano, qui per sacrum gynęceum iter faciebat, cũ ceteris virginibus Deos improbos probris incessere, oracu'is celebres mutos dicere, cæcũ Solẽ, ac sidera, omnes thuris olfactu carentes, precibus surdos; similemq; ipsis dicere Cæsarem. 9 *Octob.* *Kalvert*

VI. Idus Octob Vertumnalia hoc videntur die celebrata, quippe Varro ijs ante Meditrinalia locũ dat. festa fuerũt Vertũno dicata vultuoso Deo, hòc magis informi, quòd plures indueret formas. At verò nostrorũ idẽ semper vultus in pœnis fuit; q † *Gereon* in primis dux inuictissimus prętitit cum aliis trecentis decem, & octo. *Eulampia* item, & *Eulampius* frater, qui cum antea nomine benè splẽdescerent, id maximè præstiterunt, cum eos igne subiecto in amplum olei lebetem hostis iniecit, quo potius suffecit nutrimentum lumini. Porrò vt heroicæ virtuti accedat etiam quędam venustas, & gratia, in eundem diem conuenit cum his, ac prætera cum *Victore*, *Florentius*. 10 *Octobr.* *Bosinus.* εὐλάμπω *Bene splendeo.*

V. Idus Octob. Meditrinalia celebrata, dicta à medendo, quòd solerent vinũ nouum, & vetus libare, ac degustare medicamenti caussa. vsurpabãt autem illud: Nouum vetus vi- 11 *Octob.* *Bosinus.*

num bibo, nouo veteri morbo medeor. Meditrinæ igitur valetudinis Deę sacrũ factũ.ab illis quidẽ degustata sũt vina, at à nostris profusum sanguinis plurimum, quod re vera saluti profuit: expressus autem suppliciorum prælo est è venis *Nicasij*, præter ceteros, & *Andronici*, & *Germani* antistitis; quod vini genus quàm probatũ sit, quamque Deo gratũ, videtur quodammodo etiam nomine indicasse, & *Probus, & Placidus*, & virgo ipsa *Placidia*. At verò hodiernæ vini licētiæ, atque ebriæ vetustati † *Gummarus* opponit sobrius aquæ fontem, quam è saxo prodigiosè elicuit virga,

12 Octob. Kal. vet. Plin. IV, Idus Octob. Augustales ludi Romæ instituti ob Augusti reditum post rem bellicam præclarè gestam; qui etiam Fortunæ reduci ædem dicauit. Sed illa verè Augustalia dici debent, quæ sacra sunt religionis augustæ defensoribus, quibus hic dies abundat; nam in Africa censentur quatuor millia, nongenti sexaginta sex, inita pugna feliciter, atque cōfecta cum Hunerico Ariano rege; cuius rei omen attulit vnus inter præcipuos, *Felix* nomine; vt quam felicitatem Augustus falsò Fortunæ tribuit, hi secum afferrent; ne viderentur quicquam in victoria debere Fortunæ, quod esset virtute partum. Fuit hic itęm dies Romæ insignis triumphis duobus, nam & C. Norbanus Flauus Proconf. ex Hispania,

719 & L. Sempronius Aretinus item Proconf. ex Africa in Capi-

732 Goltzius. tolium egere pompā. sed amborum laureæ statim exaruerunt; illæ semper virescunt, quas & *Maximilianus* Laureacensis antistes (cui videtur vrbs ipsa, cui pręerat, triũphales peperisse lauros) & † *Vualfridus* Eboracensis pręsul de profligati Ditis exercitu reportarunt.

13 Octob. Rosinus. III Idus Octob. Fontinalia celebrata Romæ apud Capenam portam, quę Fõtinalis dicta, & sacra facta Deę eiusdem nominis. inijciebant autem in fontem herbidas coronas, & floridas, Apud nos digniores corollis fontes sunt, scaturigines videlicet sanguinis, quem suderũt † *Colomãnus*, & *Carpus*, & *Ianuarius*; & auspicati Duces nominis, *Martialis*, & *Faustus*, aliique nonnulli. Ac ne materies deesse videretur ad coronandos sanguinis fontes, *Florentius* accessit. Hoc item die ludi Ioui Liberatori dati per dies aliquot; sed ipse Iuppiter datus est ludus nostris. Triumphauit autem in eadem Vrbe Q. Fabius Max. Cof. ex Hispania, sed ille triũphus dicendus est maior, quem heros, septem ex ordine, qui di-

citur

citur Minorum, de impietate victa egerunt; quorum vnus, qua omnes fortitudine pugnarint, satis apertè nomine ipso declarat, *Leo*.

Pridie Idus Octob. Alter dies hic fuit ludorum, quos Li- 14
beratori Ioui Roma sacrauit: at verò à nostrorū manibus *Iob.*
se Iuppiter liberare non potuit, quin vnà ipse, ceteriq. Dii cū aris, simulacris, ac fanis ruerēt: hoc certè † *Callistus* Romanus Pontifex est aggressus; hoc *Carponius*, *Priscianus*, & *Euaristus*; cuius rei benè gerendę omen secum ferebat *Fortunata* horum soror. atque vt certior esset victoriæ felicitas, *Fortunatus* etiam accessit antistes: fuit hic maximè insignis in effugandis Stygijs monstris, quæ humana obsederāt corpora: ita, quem olim vetustas immeritò affinxit Ioui titulū Liberatoris, posteritas *Fortunato* tribuit, & digniùs, & auspicatiùs. Pro hilaritate verò illa ludorum veterum, nobis adest opportunè *Gaudentius*.

Idibus Octob. Bellator equus dictus, qui victor fuisset, Mar- 15
ti immolabatur, tum eius cruor è campo Martio cursim de- *Octobr.*
ferebatur in regiam, eoq. ara spargebatur; siue id victoriā *kal. vet.*
Superis adscribendam, siue aliud quippiā significaret: Apud *Plut.*
nos generosissimi velut equi plures, & bellicosissimi post victoriam immolati omnino trecēti; prçter *Brunonem* Ruthenorum præsidē, cuius dexteritati, & animositati nullus, horum, qui vel in campo, vel in Olympijs excurrunt, possit ęquari. Triumpharunt hoc itē de insignibus equis in curru vecti primò Romulus ipse de Veiētibus, & Fidenatibus; deinde L. Papilius Cursor dictator de Samnitibus, postremò
C. Pedius Nepos Procons. de Hispania. quibus triumphis 21
præclariores illi fuerunt, quos cum trecentis laureatis, Ma- 444
ximiani Cæsaris victa sæuitia, & *Bruno* ipse præsul, & *Agileus* *Goltz.*
retulerūt. quāquā & fœminæ triumphos egerunt suos. cùm *Heduuigis* Poloniæ Princeps nobilissima, tum† *Teresia* Hispana virgo, & Amazon inuicta instructo agmine, signisque collatis in Erebum, semper victrix; quamobrē ei se *Fortunatus* libenter adiungit. Denique Mercatores hoc ipso die Mercurio sacra faciebant at verò *Anthiochus*, ac *Senerus* antistites nullum aliud secuti sūt lucrū, prçter suorū salutē.

XVII. Kal. Nouemb. Ater dies Romanis fuit, nobis pur-
pureus, in Africa quidem ducentorum ac septuaginta, alibi 16
verò trecentorum, & sexaginta quinque martyrū sangui- *Octob.*

 ne

ne, præter eum, quem *Martinianus*, & *Saturianus* cum germanis fratribus strenuè fulserunt. atque hi quidem ita sunt currentium quadrigarum impetu per dumeta distracti, vt triumphalis speciem pompę præfetulerint: effusus est enim cruor in vepres, vt hi efflorescerent in rosas, materiem coronarum; cuius rei videtur quodammodo attulisse omen is, qui in hunc diem inferi voluit, *Florentinus* Præsul. vetat etiã diem hunc atrũ dici, quasi Solis euocator † *Gallus*, qui stygium leonem sępe exterruit, non voce, sed nutu.

17 *Octob.* XVI Kal. Nouemb. Nemo veterum hoc ausus est die de gloria decertare cum nostris: nec mirum; duo enim in hũc diem conuenere, & verbo, & re *Victores*; alter tanquam in aciem prodijt, vitam pro religione pactus & strenuè, & piè; alter in vrbe Præsul vitiorum hostis acerrimus fuit: adde † *Andream* Cretensem, qui aduersus Constantinum Copronymum pro Cœlitum signis constantissimè dimicauit, insertus meritò inter *Victores*, qui fortitudinis ferebat nomen.

18 *Octobr.* XV. Kal. Nouẽb. Hic dies totus pertinet ad † *Lucæ* cõmẽdationẽ. nihil ferè de suorũ laude scriptũ reliquit antiquitas; quasi præsentiret nobiliorẽ huius calamum. accedũt *Asclepiades*, & *Athenodorus* antistites, quorum alter Diocletiano Cæsari, alter Aureliano pro religione admirabili fortitudine animi se opposuit. & *Asclepiades* quidẽ lõgè acutius, & clarius philosophatus est, quã olim ille Cyprius, qui cęcus fuisse dicitur; *Athenodorus* autẽ admirabili sapientia vir, nempe *Laertius.* *Gregorij* Thaumaturgi frater, longè alteri illi Athenodoro præstitit, qui nõ verbo, sed factis docuit, virtutem metiendã sola ipsa virtute. Iã verò vt hic dies videatur augustior, non modò horum, quos memoraui, sanguine cõsecratur, sed augustali etiã ornatur purpura, *Tryphoniæ* .s. vxoris quondã Decii Cæsaris, quæ regia illa insignia ex inquinata viri aula transtulit in casta delubra.

19 *Octobr.* XIV. Kal. Nouemb. Armilustriũ Romæ fuit. armati sacra *Var.* faciebant, inter aras tubis clangebant. Atqui tunc verè *Rosinus.* lustrata sunt arma, cum nostri ferrum imbuerunt sanguine; quod egit *Berenicus*, & quadraginta nouem alii pro religione strenuè præliati, iidemque mactati. Hoc ipso die ludi *Kal. vet.* planetarum principi Soli instituti; & per quadriduum dati. nos cultum non adhibemus Soli, sed *Lucio* viro clarissimo; qui eam maximè ob caussam occidit (quamquam ille occasus

sus oriens fuit), quòd candoris decus in virgine pudicissima tutatus esset. Incidit & in hunc diem † *Aquilinus*, antistes, nec tamen, more aquilæ cum Sole à Romanis culto, sed cũ *Lucio* nostro cõuenit. In Græcia verò Mysteria, quæ Minora sunt dicta, celebrabantur: sed nihil apud nos in sacris arcanis nõ magnum, ac pręstans, præsertim cum hic dies *Maximo* ipsi hierodulo sit sacer. *Plin.* *Galen.*

XIII. Kal. Nouẽb. Aegyptiacus hic dies dictus est, & à veteribus inominatus habitus, & infaustus, quippe ea gens ex singulis mensibus dies excipiebat duos, quos infelices putabat: at contra nobis memoria est *Feliciani* præsulis, vt haberet videlicet religio, quę superstitioni opponeret. Alter hic dies fuit ludorum Solarium Romæ; qui dies illustratur magis † *Arterij* constantia, Ducis augustalis, sub Constantino Magno praclarissimis honoribus militiæ quondam functi. 20 *Octobr.*

XII. Kal. Nouemb. Apud Lacedęmonios dicatus fuit hic dies Marti, cui canem immolabant nulla videlicet cadere poterat impudentibus Diis aptior hostia. Sed opponitur, & Marti, & obscœnę victimę martialis vtique, ac pudicissima † *Vrsula*, cum exercitu Amazonum laureato, itemq; † *Hilarionis* pugna extremo spiritu cum morte ipsa luctantis; at verò Solis ludis qui hoc item die celebrabãtur, *Asterij* seriò decertantis præclara virtus. ab astro illi nomen: in Solis celebritatem conuenit; nec tamen à Sole lumen agnoscit. 21 *Octobr.* *Th.v.h.*

XI. Kal. Nouemb Palladis Ioniæ sacra celebrata, Pambœotia à Gręcis dicta, quòd eò conueniret Bœotia tota, ad omnes hostiũ motus sub eius Deæ tutela dimicare parata. Atqui hoc optimè præstiterunt nostri sine Palladis hasta, vel ægide, cũ generosi illi religionis duces *Alexãder, ac Philippi* duo præsules, tùm † *Abercius* Deorũ acerrimus hostis. Accedit *Heraclius* strenuissimus miles vnà cũ sociis. quam fortitudinis laudem etiam puellæ fortitæ sunt quædam: immò & *Corduba* ipsa, quam cum metus hesterno die fecisset excordem, religio postea cordatam Barbarorum telis opposuit. congruit cũ hac, siue vt resipiscente, siue vt virgine *Verecundus* præsul. Ceterùm hic dies apud veteres vnus fuit ex Aegyptiacis, vt vocabãt, hoc est ex tristibus, & infaustis, quem nostri fecere ipsa cæde faustissimum 22 *Octobr.* *Th.v.h.* *Gyral.*

X. Kal. Nouemb. Libero patri Romæ sacra facta, cui primus de Barbaris triumphasse dicitur, cum thyrsigeris Bac- 23 *Octobr.*

 chis.

chis. at nostris laureæ fuere pro thyrsis; insana illa Orgia in
Kal.vet. saniora versa sunt sacra, quæ scilicet nos *Iuliano*, quæ *Germanico*, atq; *Seruando* de superstitione deleta exhibemus. Ille quoq; barbarico fuit Liberi patris triumpho lōgè nobilior, quem † *Seuerinus* Coloniensis præsul de Ario viuens, de Normannis, & Getis etiam mortuus egit;

24 Octob. Suet. Macrob. IX.Kal.Nouemb. Domitianus religionis hostis acerrimus diem hunc natalē suum celebrari magnificè iussit, qui etiā mensem ipsum suo inquinauerat nomine, iubens Domitianum vocari. sed eorū potiùs dicēdus est verè natalis; quibus ipse, ac ceteri eiusdem impietatis Cæsares emortualem se fecisse putabant. porrò eorum obitus non potuit esse non felix; cuius rei omē potissimū videtur habuisse ii, quos comitati sūt, & † *Felix* ipse præsul Afri anus, & *Fortunatus* anagnostes. adde inuicti animi antistites illos, *Euergislum*, & *Proclum*; atque, vt videantur non felices modò fuisse, sed fortes, accesserunt, & *Martinus*, & † *Martius*, quamquam in diuerso genere pugnæ versati; ac *Martij* quidem in nemore, atque inter virgulta μονομάχων virtus euiruit.

25 Octobr. VIII.Kal.Nouemb. Sparta hunc diem Apollini consecrauit, cui ad lætitiā vina libabāt. at noua Roma † *Chrysantho*, eum dedicauit, *Dariaq*. coniugi, aliis item supra centum, & viginti, inter quos *Lucij* clara virtus explenduit, à quo se hic dies potiùs, quàm ab Apolline splendorem accepisse gloriatur: neque verò tam aurea illius coma, quàm aureo *Chrysanti* flore decoratur. & quod non parum facit ad gloriam, incidit in tam illustres martyres ipse *Martyrius*. † *Crispinus* quoq; & † *Crispinianus* fratres memorātur. atq; vt de horum in perferendis pœnis lætitia constet, conuenere in hunc ipsum diem *Gaudentij* duo; immò verò etiam *Hilarius*. Denique ne deesset, vel pœnæ solatium, vel victoriæ pæan, *Marcianus* accessit, sacri odei præcentor, & psaltes.

26 Octobr. 444 VI.Kal.Nouemb. Insignis fuit hic dies triumpho C. Asinii *Pollionis* ex Partineis; sed ille longè spectabilior Romæ fuit, quem quasi religionis Dux, & Imperator † *Euaristus* de impietate retulit; adde *Regatiani*, & *Luciani* laureas; atq; vt triumphus horum non modò magnificus sit, sed auspicatus simul, & pulcher, in societatem eiusdem gloriæ veniunt, & *Felicissimus* Martyr, & *Florius*; alter enim omen dat victoriæ; alter coronæ.

VI.Kal.

VI Kal. Nouemb. Tot habet hic dies ornamenta, vt vetera non requirat. Ab *Erotheide*.n.amorē,& gratiam sumit; ab† *Elesboano* Aethiopum rege purpuram,& diadema baccatum, quod ipse post debellatos religionis hostes religioni dedicauit; à *Florentio* voluptatem, ac venustatem, à *Vincentio* opima de Diis spolia. denique ne tantæ fortitudini, totq; victoriis triumphale Capitolium desit, opportunè inter laureas,& palmas incidit in hunc diem magni animi mulier nomine *Capitolina*. 27 Octobr.

V. Kal. Nouemb. Isiaca festa Romæ per quatriduum celebrata; præterea ludi victoriales à *P.* Cornelio Sylla instituti, ac dati per dies quinque; vt felicitatē diei, quo Samnitiū Telesiniq; pulsus est exercitus, cōmendaret. Sed longè celebrior hic factus est dies duorum præstantium religione ducum victoriis,† *Simonis*,& *Iudæ*; quorum alter de Aegypto, alter de Perside triumphum retulit: accommodatè verò eo die *Simon* in honore est, quo olī erat Isis; quippe, cū Aegyptus illi contigerit, Isidis cultum, qui maximè ibi vigebat, sustulit; .f. hoc præcone veri numinis, conticuerunt tympana illius, ac sistra. Iam his radicibus nixa religio conuelli nullo modo potuit. puellæ ipsæ lusere cum gladiis, spreuere fasces, obtudere securium aciem. *Anastasia* per mortiferas pœnas resurgere, ac reuiuiscere visa est; cuius ori morientis qui aquā infudit *Cyrillus*, meruit, vt vna cū illa effunderet sāguinē. At verò Syllanæ victoriæ opponitur illa *Ferrutij*, qui se ipso superior fuit, quippe ferrum, quo iussus est cædi, virtute peruicit. vt satis aptè inter tot trophæa se inserat cū suis infulis *Honoratus* præsul. 28 Octobr. Kal. vet.

IV. Kal. Nouēb. Alter hic dies fuit, & ludorum victorialium ob Syllæ victoriā,& sacrorum Isidis. Sed superstitiosis sacris Isiacis *Eusebia* succedit, cui bonæ, veræq; religionis, pro qua occubuit, iure nomen est inditum. triumphauit hoc itē die P. Sulpitius Sanerrio Coss. de Sānitibus. illa verò victoria, vel auspicatior fuit, vel illustrior, quā retulerūt, & *Felicianus*,& *Lucianus*. Inserti quoq; perpulchrè sunt laureis flores, *Hiacynthus* videlicet,& † *Narcissus*; alter suo cruore purpureus, alter post centum,& sexdecim annos adhuc virtute virescens. Vertumni quoque feriæ fuerunt: sed nihil nostri habuere cum Vertumno commune, qui eodem semper vultu præsetulere constantiam. 29 Octobr. iuxta Pietat.

V.

30 Octobr. III.Kal.Nouemb.Eadem Isiaca celebrata, iidemque Syllanæ victoriæ ludi dati. Sed gratulatio nunc omnis multò æquiùs instituta *Victorio* ipsi est strenuissimo duci, qui vnà cum parente *Marcello*, ac fratribus Maximianum Cæsarem constantia vicit. At *Saturninus* tantam animi fortitudinem præsetulit, quantam nemo cum vltima barbaria dimicans, vicit enim & Cæsarem, & eius vicarium cùm nomine, tum re Barbarū. Inserit se inter fortissimos viros † *Zenobia* virilis animi mulier, quæ non regē Persarum, vt altera illa Palmyrensium regina, sed Diocletianum ipsum Cæsarem, ac Lysiā præsidē virtute superauit; nec Romanis infensa, immò pro Roma neci sponte deuota cum fratre, itaque congruunt cū illa, qui in hunc incidunt diem, & *Germanus*, & *Victor*.

31 Octobr. 699 Goltzius. Pridie Kal. Nouemb. Insignem fecit hunc diem triumphus ex urbe actus à C. Fontinio Nepote Proconsf. de Allobrogibus ex Gallia, sed postea ampliore gloria cumularunt nostrorum triumphi, in primis *Ampliati*, atque *Vrbani*, maximè verò † *Quintini* Senatoris purpura, latoq; clauo conspicui, cuius laurea non exaruit: iuuentus est diù post necem penè viuidus & efflorescens; quapropter aptè cum *Narcisso* coniungitur.



Kal.

Kal. Octobr.

S. REMIGIVS

1 Octobr.

Martyr.

Synop. *Eius in Pontificio munere obeũdo pietas, & industria laudatur Clodoueum Francorũ Regem sacra proluit aqua. alluditur ad ipsũ Remigij nomen, metaphora ducta à cursu maritimo. cæcos prodigiosè sanauit.*

ENCOMION 314.

Rhemensis gubernator nauis,
remis vti maluisti, Remigi, quàm velis,
quia nihil à te tam alienum, quàm tumor.
nouum decus, vittatam, & ornatam purpura
rexisti nauim;
quippe Clodoueũ Francorũ Regẽ ereptũ naufragio
ad salutis aduexisti portum.
te, Remigi, magistro didicerunt parere venti,
dedidicit irasci mare.
inhibuisti frementium murmur vndarum,
sed maior fuisti inhibens admurmurantium plausus.
nulla potuit remorari Echeneis nauigij cursum,
tuo concitati remigio.
superasti Acroceraunia, infames scopulos,
peritus videlicet proreta, & alumnus famæ.
non alterius sideris luce, quàm tui,
directus est cursus;
nempe vis fuit tibi tributa diuinitùs,
qua lumen infunderes etiam cæcis.
piraticum non timuisti bellum,
de ipso Erebo victor.
non sensisti æstuaria refluentis Oceani,
siquidem amplum in animum tuum
solebant Cœli munera
influere, nec refluere.

VI.

2 Octobr. VI. Nonas Octobr.

S. LEODEGARIVS

Episc. August.

Synop. *Prætulit cœnobio aulam. erutis licet per vim oculis duce tamen via non egebat. emicuit in eius capite flamma. resecto capite stetit reliquum corpus. lictor se ipsum; in ignem coniecit actus furijs.*

ENCOMION 315.

Ex præclara stirpe Francorum editus,
inter purpuratos Clotarij Regis
eminebas ceteris, quia & pudore purpureus:
sed mutasti cum tugurio aulam.
procerum posthabito luxu,
contulisti te in Luxouiense cœnobium:
at latere te non siuit in angustijs virtus,
in amplum eduxit theatrum,
Augustoduni Præsulem sacrans,
sed augustiorem ipsa vrbe.
offecisti altitudine gloriæ impiorum luminibus,
iccircò ab Ebroino aulæ Præfecto,
quem fecerat ambitio ebrium, cupiditas cęcum,
impiè orbatus es oculis,
sed tunc maximè lynceus fuisti dux viæ;
namque è Cœlo delabi in caput visus est tuum
lucidissimus, oculi forma, orbis.
quin etiam resecta barbarico lingua ferro
prodigiosè in verba se fudit aurea.
ferunt, fractis quoque ceruicibus,
immobilem te reliquo stetisse corpore.
plus fuit ducem stare mortuum, quàm statem mori.
ferunt, & lictorem miserè arreptum à furijs,
coniecisse se in ignem.
habuit ille, quo ignem nutriret rogi, fasces suos.

V.

V. Nonas Octobr.

S. GERARDVS Abbas.

3 *Octobr.*

Synop. *Strenuè primùm militiam exercuit; deinde pietati se totum tradidit. templum extruxit Apostolo Petro, qui visus est noctu illud dedicare suis ipse manibus. prodigijs fuit multis illustris.*

ENCOMION 316.

Austrasiorum Ducum pulcherrimum germen,
ne vnquam exarescceres gloria,
hostium strages tibi sanguine suffecit humorem;
sed euiruisti magis Cœli rore,
quàm belli puluere.
Cœlestibus admonitus visis,
eos, qui strenuè pro religione ceciderant,
ornasti, tuo sumptu, delubris,& aris.
mirè nactus es tanti architectum operis
principem ipsum religionis Petrum.
is tibi per speciem designauit locum,
descripsit, mensus est calamo,
ex piscatore substructor, delineator ex linea.
quanquam non defuerunt tibi
simul & aeris,& maris obsequia;
cùm enim te longa sponte vexasses fame,
auis è mari attulit prædam, piscem.
didicisti tu quoque aliorum vtilitati seruire;
Arnulphum illustrem Belgij dynastam
laborantem calculo piè sanasti;
nihil videlicet in homine volebas esse lapideum,
qui solebas vel saxea corda mollire:
didicit Arnulphus beneficia accepta diuinitùs,
ne immemori effluerent animo,
ad calculos reuocare, liberà calculo.

IV Nonas Octobr.

4 *Octobr.*

S. FRANCISCVS Assisias.

Synop. *Ex mercatore penè miles est factus, oblato viso, nec intellecto interrogatus à prędonibus, dixit, se Dei tubicinem illustre beneficium expenditur de impressis ipsi ad Christi similitudinem plagis.*

ENCOMION 317.

Quæ tuas æquabit laudes dicendi copia,
nobilis tot heroum fœtu parens?
mercaturam professus es primò,
scilicet in magno religionis emporio;
pauper ditaturus eras mercibus terras.
miris ad pietatem animus excitatus est formis;
visus tibi es videre augustalem domum,
opimis ornatam spolijs belli;
ilicet exarsisti ad militarem gloriam,
penè iam inferebas hosti vulnera,
sed prælaturus eras auspicatiùs tua.
sciscitantibus prædonibus nomen
dixisti, te magni Regis esse præconem;
tuæ videlicet clangore tubæ
fatale indixeras impietati bellum;
tuo etiam audito classico longè vocali
statim innumeri euolarunt ad signa,
merentes Cœli stipendia, corrogata in terris stipe.
dignus certè fuisti præco,
dignus etiam immortali præconio famæ;
tuis innixa humeris religio stetit,
cùm Lateranensis delubri ruinæ
visus es sucurrere, nec succumbere.
ipse te maximus, qui tunc præerat, Cœli clauiger
nouum in somnis vidit Atlantem.

sed

ſed nullum inſigne gloriæ maius,
quàm quòd magni Vindicis ſigna
cruento prætuleris corpore;
nempe obſignatas annulo notas
geſſiſti diuinæ pietatis.
Inter rigidas Aluerniæ niues
effloruiſti in vulnerum roſas.
nullibi melius quàm in nemore
configere Amor te potuit prædam.
latum induiſti clauum
purpuratus Cœli ſenator.
refricuiſti pariter Stygis tyranno vulnera
vulneribus tuis.
iterum impij exhorruere Manes
intuiti veteris in te trophæa victoriæ;
explicata rurſus pertimuere vexilla;
triumphalibus inuiderunt inſignibus.
obſtupefeciſti quoque Naturam,
ſolitus miro modo alijs mederi ſaucijs,
ſaucias tuas admouens manus.
quin & ruſticus quidam immani concretus gelu,
dexteræ tuæ tactu totus incaluit;
ſenſit ſimul & opem ſuam,
& opus in te ardentis alitis;
conflatus es eius igni in ſimulacrum aureum,
lineamentis morienti Deo ſimillimis;
immò argumento amoris inſigni.
vt eſſet igneo ſpiraculum cordi,
apertum habuiſti latus
adhuc viuens, & ſpirans.
non tam feliciter, ac ſtrenuè cum Amore pugnâſſes,
niſi cruentus redijſſes è pugna:
tunc declaraſti te verè victorem,
cùm tua oſtentaſti vulnera.

IV. Nonas Octobr.

S. PETRONIVS

Episcop. Bonon.

4 *Octobr.*

Synop. *A Cœlestino Hierarcha creatus est Episcopus Dei monitu. insectatus est in primis Nestorium. cum templum exædificaret, fabrum oppressum casu columnæ, precibus fusis statim reuocauit ad vitam.*

ENCOMION 318.

Pontificiæ illæ tuæ, Petroni, infulæ
nihil habuerunt humani,
quia Cœlestinus eas detulit cœlesti monitu;
præuidit dormiens præsulem te fore vigilem.
nobilem obijsti legationem Cæsaris hortatu,
indicturus bella Nestorio;
ausus is fuerat abrogare diuinitatem
Liberatori mortalium magno;
sed cùm hunc solùm fecit hominem,
exuit ipse hominem, fecit se belluam,
configendam tuæ doctrinæ venabulo.
multa ab hoste diruta restaurasti delubra;
nec caruit pietas prodigio,
siquidem oppressum fabrum marmoreæ casu columnæ
excitasti mirè ad vitam.
non es passus, fulcimento artificiosi operis
destrui Naturæ opus.
noluisti columnam basi reponere,
ante quàm illum reponeres vitæ.
crura pro columnis corpori data
restituisti prius soliditati.
excitatus statim faber à mortuis,
excitare templum perrexit alacriùs.
Bononiensi tua basilica nil diceret maius Fama;
nisi esset illa hoc tanto prodigio minor.

III. Nonas Octobr.

S. PLACIDVS

Martyr.

5 Octobr.

Synop. *Primus Martyr è S. Benedicti familia fuit. à Mãduca pirata impiè occisus, quòd stellam Luciferum diuino cultu afficere iussus, recusasset. caecis lumen infudit. fumo subiecto, & anchora ferrea excruciatus.*

ENCOMION 319.

Purpuratorum imaginibus gentilitijs clarus,
primus heroum in Benedicti familiam
nobiliorem intulisti purpuram,
deuoti pro religione sanguinis.
barbarum attonitum fecisti piratam;
cum tu aut Luciferum sidus venerari iussus,
aut lethiferum experiri ferrum,
cœpisti in terris calcare sidera.
sub ijs pedibus fuit Lucifer, sub qbus idẽ sidus, Venus:
sed luce fuisti multò clarior tua,
explenduisti non modò virtutibus, sed prodigijs;
meritò tibi vis est data diuinitùs,
vt in primis illuminares cæcos;
fuisti igitur non impius cultor lucis, sed pius auctor:
nequicquam te Barbarus altè suspensum
iussit obrui fumo,
nam potuisti ex fumo dare lucem. *Horatius*
nequicquam immani pondere nauis anchoram,
(nouum cruciatus genus)
tuis super imposuit tibijs;
actum id est non impiè modò, sed stultè,
quia contra procellas, quas concitarat, & fluctus,
hostis ipse te munijt.
quin etiam vincula, quæ iniecit,
suffecit in vsum anchorarij funis.

Pri-

Pridie Nonas Octobr.

6 *Octobr.*

S. BRVNO

Auctor Ordinis Carthus.

Synop. *Philosophia disciplinis praetulit pietatis studiũ. parens futurus praeclarae familiae praeuisus est ab Hugone per stellas. Pontificatum fugiens abdidit se, sed inuentus est. Rogerium ab hoste defendit.*

ENCOMION 320.

Mutasti, Bruno, Peripaton cum Carthusia;
opacam porticum vmbroso cum nemore;
clamosa gymnasia posthabuist silentibus siluis;
hic excitasti verae sapientiae Lyceum.
sanius docuisti philosophari tuos,
non dialecticis acuminibus, sed acie mentis in Deum;
habuisti Hugonem nascentis gloriae testem,
cum specie micantium stellarum septem,
te, sociosque tuos designari vidit.
quantus es, qui Coelum alterum intulisti terris?
praetetulisti scilicet principem planetarum Solem;
etsi velut inter nubes quodamodo latuisti obtectus;
vt discolor appareret Iris
mille tuis picta virtutibus.
sed hòc admiratione fuisti dignior quàm Iris,
quòd in te locum habuere non ficta, sed facta.
Inuitatus à Romano parente ad Rhegienses insulas,
maluisti te specus latebra tegere totum,
quàm vitta Pontificia solum caput;
quamquam in regia venatione sagaces canes
inuenere te praedam;
inuentus effecisti, nè Rogerius inclytus Comes
in hostiles incideret casses.
tu namque, vel inter opaci nemoris frondes
occultas hostium illi detexisti fraudes.

No.

Nonis Octobr.

SS. SERGIVS, ET BACCHVS Martyres. *7 Octobr.*

Synop. *Horum alter oppositus veteri Baccho fuit. neutrum tangere ausæ sunt feræ, immò ipsos piè ad necem comitatæ sunt. muliebri veste induti ad probrum. post mortem visi sunt vrbem ab hoste tueri.*

ENCOMION 321.

Excitauit aures nouo fama præconio.
cùm alterum cecinit Bacchum
& sobrium, & aduersantem insaniæ,
tametsi vindemiam & ipse gratissimam fecit,
cùm sub graui pœnarum prælo
pro religione suum expressit sanguinem.
dictus est Bacchus alter diadematis primus inuentor *Mithol.*
triumphasse de Barbaris;
at huius eò triumphus illustrior fuit,
quòd reportatus de strage Deorum.
illé tigribus fingitur vectus,
hunc, cùm ad lanienam esset expositus,
non modò feræ non violarunt,
sed spectaculo prodigij pleno,
vnà cum Sergio comitatæ sunt ad pœnas,
quasi paratæ triumphali currui iungi.
frustra quoque sperauit hostis eos imbelles fore,
cùm militari exutos chlamyde
muliebri induit palla,
scilicet ex Baccho facere conatus est Baccham:
insaniuit hostis, nã potiùs hi martiũ prętulere robur.
testis postea victoriarũ ab vno eorũ dicta Sergiopolis,
cùm oppugnata à Cosdroe Rege Persarum
cataphractos ambos vidit equites
pro se in acie stare pugnaces.

VIII.

8 Octobr.

VIII. Idus Octobr.

S. DEMETRIVS
Martyr.

Synop. *Genere, & militia clarus fuit. in carcere cùm ei se obtulisset KaKodæmon scorpij figura, ipsum spreuit illæsus; annulus eius sanguine aspersus coercebat id genus hostium, & chlamys reprimebat fluuios.*

ENCOMION 322.

Ex veterum gente Macedonum orte, Demetri,
sepultam maiorum excitasti gloriam.
nobilis Greciæ Proconsul,
consularibus ornatus insignibus
prætulisti laureatos cum securibus fasces;
sed maior in te manauit gloria,
cum eos tuo, quàm cum hostili tinxisti sanguine.
tetro primùm inclusus in carcere
horribilem nactus es scorpium,
laruati simulacrum Ditis,
sed perculisti statim illum vocis imperio;
illustrior deinceps vexillis visus es nouis,
quàm antea Draconarios inter milites,
cum suffecisti pro dracone scorpium.
fuisti ex hostium cruore præclarus,
sed ex tuo etiam prodigiosus;
siquidem illo aspersus annulus tuus
agmina morborum, agmina ipsa fugabat Stygis;
plus annulo valuisti aureo,
quàm mucrone ferreo;
eius cruenta pala immortaliter tuā obsignasti victoriā.
quin etiam eodem cruore illita chlamys
rapidi fluminis inhibuit cursum.
adeò reuerita est Natura
non modò Ducem ipsum, sed spolium Ducis.

VII

VII. Idus Octobr.

S. DIONYSIVS

Areopagita M. *Octobr.* 9

Synop. *Religionem veram amplexus est occasione prodigij, quod accidit in morte Christi, hoc est Solis defectus. Areopago præfuit Galliam illustrauit, resectum caput manu sua prodigiosè gestauit rectus incedens.*

ENCOMION 323.

Primum animi tui lumen, Dionysi,
hausisti ex deliquio Solis,
prodigio prodigiosè mutatus.
commune Naturæ iustitium
te fecit iustum;
terræmotus ille propositi firmitatem dedit;
suspicio pereuntis, vel Naturæ, vel Mundi
te excitauit ad vitam.
solitus inter Areopagi tenebras sententiam dicere,
de tenebris quoque fassus es Deum.
è Martis pago martiales hausisti spiritus,
sed ita, vt ipsum destrueres Martem.
profectus es deinde ex Athenis in Gallias,
vt Dodonæam columbam faceres noctuam;
indocti post te cœperunt haberi Druidæ.
vt perfunderes luce populos noua,
nouum proposuisti argumentum, versæ lucis in noctē:
accedentem ad te cum securi lictorem
absterruisti primùm radiata fronte, ac vultu;
sed testem morientis Dei decuit mori.
stetisti mirè, inambulásti mortuus,
solitus sedere in subsellijs viuens.
retulisti tandem victrice dextera gestans
spolium triumphale constantiæ,
non, vt alij turpe caput hostis, sed laureatum tuum.

.VI. Idus Octobris

S. GEREON

10 Octobr.

Martyr.

Synop. *Praefertur Geryoni veterum carminibus celebri. dux fuit Thebeae legionis, è qua decimus quisque necatus. ipse in puteum impiè proiectus, posteà inuentus; & templum ei ab Helena dicatum.*

ENCOMION 324.

Superasti, Gereon, vel corporis virtute, vel animi
quicquid comminisci vetustas potuit,
cum tria colligauit corpora,
vt vnum insuperabilem faceret Geryonem;
sed sileri Geryon cœpit, cum auditus est Gereon
dux fortissimus Thebaeę cohortis.
Mithol. plures tu meruisti vno capite laureas,
quàm ille triplici.
vt auspicatùs inires pugnam,
adsciuisti tibi ex eadem legione socios
Victorem, atque Florentium:
alter omen victoriæ dedit, alter coronæ:
iussus est decimus quisque pro religione necari;
at non obruerunt nauim decumani fluctus,
sed ipso impetu appulerunt ad littus.
proiectus es tandem cruentus in puteum;
at hauserunt inde tuam vberiùs posteri gloriam;
latuit interim thesaurus abditus tutiùs.
sed augustior parabatur delubri locus,
quod heroibus Helena ipsa dedicauit Augusta,
tuo inauguratum nomini.
tanta in eo fuit impēsa, vt vulgò adire se dicerent
Baren. ad Aureos Cœlites,
scilicet effossum è puteo, in quo latuerat, aurum
in delubro debuit collocari aureo.

V.

V. Idus Octobr.

S. GVMMARVS

Præfectus Præt. 11 Octobr.

Synop. *Vir honoribus clarus fuit. ex arente saxo mirè aquas elicuit. anguem extraxit è pueri corpore; eius baculus aridus multis prodigijs nobilis germinauit, immò se pulchrè induit in flores.*

ENCOMION 325.

Versatus hic olim in aula Pipini Regis
magnæ præfecturæ functus est munere;
sed quia nihil ibi admirari voluit,
admiranda cœpit agere.
non tam Pipinus virga fuit insignis aurea,
quam hic auri contemptor, sua.
vsus est vili virga pro sceptro,
sed imperauit non semel ipsi Naturæ;
percussa tellure exhibuit fontem,
contrà mœrentibus inhibuit lacrymas.
anguem, qui puero dormienti sub dio
insidiatus in ima irrepserat viscera,
extraxit primùm arreptum cauda,
tum ipsa virga suspendit reum;
ita exprimere visus est veterem heroem prodigio,
quà elicitis per virgam amnibus,
quà profligatis anguibus.
quanquam ille colubrum exhorruit visum,
hunc exhorruit coluber tactus.
quin etiam huius virga in profluentem proiecta
repentè se induit in flores.
potuit hęc quoque virga videri digna,
quæ armario templi conderetur, ac seruaretur aureo,
nisi hic relictis opibus regiæ domus
iampridem odisset aurum.

IV. Idus Octobr.

S. VVILFRIDVS

Episc. Eborac.

12. Octobr.

Synop. *Saxones ad veram Religionem adduxit, iis, statim ac sacra sunt abluti aqua, impetrauit è Coelo imbrem. cùm eiectus esset è Pontificia sede, cometes exortus est, qui præseferebat igneæ columnæ formam.*

ENCOMION 326.

Cesserunt inuictæ virtuti tuæ, Vuilfride,
dura Saxonum Australium pectora.
hòc difficiliùs, quòd & lapides haberent Deos,
pariter ipsi lapidei.
& illud mirè fecisti, vt emolliti Saxones
simulacra frangerent saxea.
parum hoc, nisi Cœlum ipsum diù æreũ molle fecisses,
liquefactum in imbres.
obstupuit ea gens prodigio,
cum vidit arescentes tandiù campos,
illo ipso die, quo sacris perfusa, & initiata est aquis,
largissimo diuinitùs imbre perfundi;
vnius aquæ vis euocauit alteram;
non ante terræ durities est mollita, quàm Saxonum.
Cum te vrbaniter acceperunt barbari,
placatum Cœlum se soluit in imbres,
contrà cum impij Regis barbaro iussu
à pontificia es sede deiectus,
iratum idem Cœlum exarsit in ignes;
ferunt, statim prodigiosum cometam exortum
igneę columnę specie.
nisi fortè tibi luce iter ornauit,
quia mox honorificè reuocatus pręsul in sedem.
te videlicet ea forma lumen expressit,
columnam basi reponendam sua.

III.

III. Idus Octobr.

S. COLMANNVS

Martyr. 13 *Octobr.*

Synop. *Peregrinatus est pietatis causa Hierosolymam, postea in Austria pro religione constanter occubuit. Pertulit lictorias virgas, ignem, catenas. Demum serra impiè dissectus efflauit animam.*

ENCOMION 327.

Natus hic in Scotia, sed non obscuro loco, *σκοτὸς obscurus.*
regium genus, sed hòc clarius,
quòd purpuram dibapham fecit
cruore etiam suo.
Hierosolymam ante adijt, vt se pararet ad necem.
viluit statim omnis splendor aulæ,
cum sibi proposuit Dei nascentis caulam.
inuisit loca pœnarũ, vt alacriùs properaret ad pœnas,
per cruenta morientis vestigia.
certè potitus est voto;
nam Austriç solum sanguine imbuit auspicatò:
iam tum purpuram Imperatoribus parauit Austriacis.
regia stirpe ortus cæsus est virgis,
sed præstantius attulerunt decus
virgæ lictorum, quàm sceptra maiorum.
admota est corpori flamma;
scilicet vt inde posset ignis accendi, *Alex. ab Alex.*
qui de more præiret Augustis.
in Austria libenter catenas tulit;
vt haberet illa, quas inijceret victrix
in captiuorum babarorum manus.
denticulata ipse sectus est serra;
nam quia nullum par fieri poterat ab arte
simulacrum inuictæ constantiæ,
fecit affabrè dolatus serra se ipsum.

Pridie idus Octobr.

S. CALLISTVS

Pont. Max. M.

14 Octobr.

Synop. *Sub hoc Romano hierarcha Capitolium arsit. Lictores missi ad eum occidendum, repente caeci facti sunt; quo viso eorum dux veram religionem amplexus est: tandem ab alto deiectus occubuit.*

ENCOMION 328.

Nunquam Roma visa est pulchrior,
quàm cum hierarcham habuit Callistum, *κάλλιστος pulcherrimus,*
& nomine, & virtute pulcherrimum,
tunc maximè, cum se, & vrbem gentium dominam
suo fecit purpuream sanguine.
nunquam etiam Roma fuit illustrior,
quàm cum sub huius auspicijs
excitato diuinitùs incendio
Capitolium vnà cum Dijs arsit.
mira vltio: nam nè se tueri Iuppiter posset,
primùm eius trunca concidit manus,
tum liquefactum est igni simulacrum aureum;
scilicet pœnas tulit antiqui flagitij,
cum astu libidinis se soluit in aurum.
quin etiam fulmen è Cœlo vibratum
ministrum ipsum icit fulminatoris Iouis,
abijt scilicet Dialis flamen in flammas.
Exarsit ad hæc etiam Alexādri Cæsaris ira, sed frustra;
quippe immissi in Callistum lictores, cæcitate percussi
nec suas viderunt, quas gestabant, secures.
immò Dux eorum commotus prodigio, Palmatius
per supplicia, quæ illi parabat,
nobilem consecutus est palmam.
tandem communem parentem egere præcipitem,
sed casus ei gradum gloriæ fecit.

Idi.

Idibus Octobr.

S. TERESIA

Virgo.

15 Octobr.

Synop. *Cum adhuc puella esset; ac tenerrimè enutrita, vnà cũ fratre martyrii cupiditate ad Mauros iter aggressa est. Posteà adulta cum ætate, tum virtute, præclarum ordinem religiosorum instituit magistra pietatis.*

ENCOMION 329.

Testis est simul, & præco
totus Occidens tuæ nunquam occasuræ gloriæ.
vix teneris insistebas solo plantis,
cum, & longam, & asperam aggressa es viam
per immensam Libyes arenam,
tantùm hæc pedes non retardauit tuos.
stadium tibi proposuisti ad cursum puella
nulli athletarum emensum.
desijt Africa sua mirari monstra,
admirata in te maius virtutis Hispanicæ.
ausa es cum paruulo fratre, quasi Bellona cum Marte,
indicere barbaris nationibus bellum,
vocula pro classico fuit,
contulisti signa, commouisti pila,
prodiga in paruo corpore magnæ animæ;
reliquisti in itinere tenuia pedum vestigia,
sed fixa firmiter ad laudem.
at quid ages cum accesserit robur ætati?
nempe agmen inuictum instrues, laureatum referes;
eripies Faustinæ Augustæ laudem minùs debitam,
diceris tu veriore, ac maiore præconio, *Lamprid.*
castrorum mater, eademq; castorum,
dicereris quoque, ob insigne robur, Amazon,
nisi ambo præferres vbera,
quibus numerosam alere sobolem possis tuam.

XVII.

XVII. Kal. Nouembr.

16 Octobr.

S. GALLVS

Abbas.

Synop. *Ingressus specum, vt ibi degeret, leones, ac ceteras feras absterruit; immò* KaKo*damones ipsos loci incolas ablegauit. cacis lumen prabuit. supra eius mortui tumulum lux explenduit.*

ENCOMION 330.

Insignis hic vigilantia Gallus fuit,
aut Solis alumnus, aut Sol alter Hiberniæ.
Valer. inprimis, quod natura mirè contulit gallo,
vt leonem voce perterreat,
hic admirabiliùs expressit in multis.
nam cum secessisset in specum feris infestam,
eas omnes fugauit non clamore, sed vultu;
alia sibi quærere coegit lustra,
didicerunt huius edicto exulare vel belluę.
scilicet vbi cœpit hic mentis indagine
sagaciter venari Cœlestia,
cessit in siluis ferarum venatio.
parum hoc. fugauit & immania Erebi monstra:
linquere iussit nemora, montes, flumina;
adeò vndique communes insectatus est hostes;
auditi sunt longè vlulatus, ac gemitus
querentium se turpiter pelli.
at cum hic circumdedit æream sibi catenam,
vereri visi sunt ijdem hostes,
ne potiùs ipsi ducerentur in triumpho captiui.
hoc etiam habuit præstantius volucre Solis, gallo,
quòd licet extinctus, clarissimam tamen lucem
prodigiosè suum euocauit ad tumulum.
quinimmò cæcis restituit lumen:
sit ergo ille nuncius lucis, hic auctor.

XVI.

XVI. Kal. Nouembr.

S. ANDREAS
Monachus M. 17 Octobr.

Synop.. *Confertur ex parte cum Andrea Apostolo. imagines Cælitum scitè depinxit: ideò ei pedes amputati. arreptitios sanauit. odor afflatus è mortui corpore. huius pictoris quasi pictura quadam exprimitur.*

ENCOMION 331.

Expressit Andreas insuperabili virtute
alterum fortem religionis Ducem in multis.
etsi hic non modò pro præstanti Dei natura,
sed pro sacris ipsis imaginibus, signisq; pugnauit.
dignus, cuius imago vnà cum ceteris extet in templis.
sufficiet ipsius virtus abundè colores,
in primis purpurissum sanguinis s
hic appareat cum Cæsare Copronimo certans
libero vultu, ac deridente minas;
illic terga lictoribus sponte denudet;
cum fractæ cædendo sunt virgæ,
boum intendantur nerui,
alibi per confragosa loca trahatur ad necem,
cruentis semitam vestigijs signet,
ostendat non fabulosum, sed verum iter ad Superos,
non lacteum, sed purpureum.
amputet frustra carnifex illi pedes,
ne concitato cursu pergat ad metam,
exponatur cadauer, nec attingatur à feris.
conueniant in obsessis corporibus plures
detestabiles hostes,
ille cuncta vno ictu monstra conficiat.
hactenus pictura: sed deficit tandem, vincitur laude,
superest in Andrea, quod exprimi coloribus nequit,
suauissimus videlicet, qui ab exanimi afflatus est, odor,

XV. Kal. Nouembr.

18 *Octobr.*

S. LVCAS

Euangelista.

Synop. *Commendatur hic scriptor ab historiæ dignitate, & elegantia: item ab arte pingendi. vituli specie significatus est. Aegyptum adiit, vbi in superstitione, quæ eam maximè regionem occupabat, abolenda strenuè elaborauit.*

ENCOMION 332.

Egregiam, Luca, consecutus es laudem;
quà penicillo, quà calamo.
inest in altero aliqua ratione alterius decus;
nam ita loqueris in pagina, vt picta videatur oratio,
ita pingis in tabula, vt pictura videatur loqui.
posteaquàm magnæ Dei matris, ac virginis vultum
à te depictum admirata est Græcia,
cœpit Apellis inuenusta videri Venus.
exercere voluisti etiam medendi artem:
medendo fecisti, vt mortales viuerent diù;
pingendo, vt viderentur viuere diutissimè;
scribendo, vt viuerent immortaliter.
expressus es in oraculis vituli specie,
quòd à sacrificio sis auspicatus historiam:
fuisti prodigiosè eloquens
in describendo muti prodigio flaminis.
quamquam tu quoque splendenti linguę vomere
prosulcasti feracem religionis agrum,
cum felici iactu sementis.
magno fuisti prouentu frugifer,
siue cum, vt vitulus sacrum agrum inarasti,
siue cum, vt historicus, literas exarasti;
collecta vtrinque messis est glorię.
Aditurus Aegyptum, vt Memphitē oppugnares bouē,
tu pariter taurinis pręmunijsti te cornibus.

XIV. Kal. Nouembr.

S. AQVILINVS 19 Octobr.

Episc. Ebroicen.

Synop. *In militia diù cum insigni fortitudinis laude versatus est. Beneficus fuit in pauperes, cum careret oculorum vsu, incedebat tamen sine duce itineris; immò aliis visum mirè præbuit.*

ENCOMION 333.

Vocatus est heros hic auspicatò Aquilinus.
inter victrices Aquilas diù versatus in bello.
olim à Clodoueo Rege Francorum
ab profligandos barbaros missus
lacerauit hostes, oppressit & fulmine;
hostili tantùm præda contentus
à ceteris abstinuit;
immò alios alere dape solitus sua,
inedia ipse, ac fame se sponte vexauit.
hoc quoque non habuit, vt Aquila,
constructum videlicet molli pluma nidum,
sed in aspero, nudoq; saxo recubuit.
at illud admirationem maximè fecit,
ꝙ Aequilin⁹ hic, cõtra quã Aquila, laborauerit oculis,
aciem enim visus amisit morbo;
nunquam tamen perspicatior fuit,
quippe sine duce, sine bacillo
noctu iter faciebat certus viæ.
accessio quoque est facta prodigio;
nam cum ipse careret oculorum luce,
ægris aliorum oculis lumen infudit.
sed nimirum suos passus est oculos claudi,
nè videretur à Natura ad Solis huius factus aspectum;
ceterarum more Aquilarum,
aciem certè mentis ei virtus ad diuina procudit.

20 Octobr.

XIII. Kal. Nouembr.

S. ARTEMIVS
Martyr.

Synop. *Militari disciplina, & pietatis studio floruit. reprehendit acriter Iuliani apostatæ perfidiam; quamobrem virgis, & boum neruis est acerrimè cæsus. spreuit ab eodem oblatos aulæ honores.*

ENCOMION 334.

Præfectus hic Augustalis Aegypti
cum esset à Constantino Cæsare creatus,
aras Cœlitum, ac delubra defendit,
magis frugifer ipse, quàm Nilus.
liberauit Aegyptum non minùs cultu Deorum;
quàm incursu hostium.
aduersus barbaros se armauit exercitu,
aduersus tyrannum Stygis constantia,
cum Iuliano deinde Imperatore congressus,
pro religione dimicauit acerrimè,
non dubitauit liberè perduelli
dicti sacramenti exprobrare perfidiam.
non exhorruit liuidum Cæsaris vultum.
non erubuit humeros nudare lictori;
dux purpuratus, rector Aegypti
exutus chlamyde, discinctus balteo
lacerandum se sponte obtulit flagris;
boum neruis est immaniter cæsus,
sed exararunt illi vulnerum sulcis
fœcundum gloriæ campum,
cruor abunde suffecit humorem:
Qui spreuerat vulnera, derisit & munera;
præfectura prætorij, regnum sacrorum
vilia apud ipsum fuere nomina.
maluit Deorum carnifex esse, quam pontifex.

XII.

XII. Kal. Nouembr.

S. VRSVLA

Virgo, & Martyr. 21 Octobr.

Syuop. *Ipsa, & Sociæ Amazonum exercitui comparantur. Ostenditur, cũ nautæ habeant maritimi cursus duces Vrsas duas, consultius ab his virginibus factũ, vt ducẽ Vrsulam haberent vnam, felici euentu.*

ENCOMION 335.

Imbelle accepit haberi agmen Amazonum;
postea quam audita est Vrsulæ virtus,
strenuæ Virginum ducis,
siluit fama Penthesileas, abiecit Hippolytas,
non illarum more hæ descenderunt in aciem,
lunatis munitæ peltis,
quia non placuit Lunæ omen instabilis;
sed opposuerunt infestis hostium telis,
adamantinum constantiæ clypeum:
angusta visa est heroinæ virgini Vrsulæ
ampla ipsa genitoris regia,
latum Oceanum præteruehi voluit,
inusitato genere classis,
Virginum duxit bellatricum choros;
assuefecit eas spernendis tyrannorum minis
perfrementis pelagi fluctus,
inter luctantium bella ventorum.
non illæ sideream secutæ sunt Arcton,
sed quam deferebant secum, Vrsulam.
cessit expeditis his astris ad cursum ἄρκτος Vrsa.
piger Arcturus.
Vrsę illæ tingi æquore metuunt, Virgil.
at hæc generosa dicenda sunt sidera,
quæ tàm procul à metu fuerũt, vt nihil magis optarint,
quàm suo tingi cruore.

XII.

XII. Kal. Nouembr.

21 Octobr.

S. HILARION
Abbas.

Synop. *Cum in spelunca solus degeret, obiecta sibi* KaKodæmonum *terriculamenta contempsit, atque elusit; sed qui nullum timuit genus hostium, timere admodum visus est mortem. eius rei causa redditur.*

ENCOMION 336.

Tantus est in Hilarione cumulus laudum,
vt ille ipse virtutis Homerus præco,
vel inuidere possit materiæ, vel sucumbere.
adolescens, ac tyro Stygios aggressus est hostes
nudus ab armis, præter opem Numinis.
castrametatus est in horrida specu,
nouis cum ipso pugnatum est telis.
laruatum è virgultis prosilijt agmen Ditis.
vlulare canes, mugire tauri, rugire leones,
audiri raucum vndique murmur exercitus,
conati sunt sonitu ante terrere, quàm visu.
sed ille, quos eminùs non horrebat audire,
audebat cominùs obtueri;
quærebat oculis, prouocabat ad pugnam.
intempesta nocte subitò se tempestas effudit,
irruere in ipsum visæ sunt equitum turmę,
stetit ipse, at terra desedit,
recepit agmen is, qui ediderat, Erebus.
ludus hęc erant; illud Hilarion ęgrè ferebat,
quòd ipsum cupientem latere
proderet victus hostis, vel fuga, vel gemitu.
at idem cum vna morte luctatus est trepidè,
qui cum tot hostium copijs audacter.
nēpe paribus voluit armis cū morte pugnare, pallore.
sed immortaliter laudandus, q̃ mortē terruerit metu.

XI.

XI. Kal. Nouembr.

S. ABERCIVS

Episc. Hieropol. 22 Octobr.

Synop. *Videre sibi visus est, virgam diuinitùs sibi dari. Apollinis simulacrum contriuit, euocatus à Cæsare Romam, vt arreptitiam sanaret filiam, KaKodęmonem, id curantẽ, vt ipsum via labore frangeret, baiulum fecit.*

ENCOMION 537.

Effecit Hieropolitanus hic præsul
euersis aris profanis, erectis sacris,
vt dici posset ea vrbs verè Hierapolis. *ἱερὸς Sacer. πόλις Ciuitas.*
illustrem de Dijs edidit stragem noctu,
miris ad hoc inflammatus, & illustratus visis.
vidit sibi per quietem dari diuinitùs virgam,
siue illud sceptrum virtutis regium fuit,
siue claua, qua Stygia contereret monstra.
protinùs in Apollinis irruit templum atroci animo:
fores licet æreas, ac vecte munitas
primo impetu prodigiosè solus effringit,
Deorum simulacra comminuit;
reuertitur eorum puluere pulchrè sordidus.
exhorruerunt hierophantæ ignari primùm,
suspicati sunt reuixisse Titanes;
non perdiderunt Abercium, quia prodigijs territi.
At Erebi vafer hostis vlturus opprobrium
Antonini Cæsaris filiam Romæ vexans,
non nisi illo longè accersito se abiturum dixit,
vbi eum vidit labore itineris fessum, derisit;
sed rependit hic contumeliæ vices;
illud ipsum iter lõgum emetiri Stygium hostem iubet,
Roma Hirapolim vsq; ad vsum aræ baiulare marmor.
erubuit ille, supposuit humeros statim lapidi.
aduersus se lapidem tulit, anteà fractus in lapide.

X.

X. Kal. Nouembr.

S. SEVERINVS

Episc. Colonien.

23 Octobr.

Synop. *Insectatus est acriter in primis Arianos: cum alibi degeret, mirè visus est adesse, vbi iusta fiebant S. Martino Turonensi Præsuli. post obitum impetrauit pluuiam. hostes suis imminentes absterruit.*

ENCOMION 338.

Nobilis hic fuit Aquitanæ gentis insignibus,
nobilior religionis tutela.
vnus fuit ex heroibus strenuis,
qui audaciam fregerunt Arij.
restituit Dei soboli paternos fasces
à mortali ereptos impiè.
Dignus præsul est habitus, qui prægustaret viuens
vita functi magni præsulis Martini gloriam.
mira res: cum longè abesset, eius funeri adfuit,
triumphali potius, quàm sepulchrali pompæ.
victo Stygis tyranno in vltima cum illo inita pugna,
audiuit accinentes Cœlites pæana victori.
ipse quoque se post obitum inter illos admissum
prodigijs declarauit magnis.
cum oblita posteritas esset debiti eius virtuti honoris,
sensit etiam oblitum pluuiæ Cœlum.
negauit fruges tellus arens, & squalida,
quandiù tam frugifer presul
squaluit inhonorus in tumulo;
sed florescente eius gloria, vnà ipsa refloruit:
porrò hic, qui Arium oppugnauit in vita,
mortuus expugnauit barbaros.
in Normannos, & Getas ędem suam spoliare conatos
panicum pauorem immisit,
predatores sui delubri fecit suorum prædam.

IX

IX. Kal. Nouembr.

S. MARTIVS

Solitarius. 24 Octobr.

Synop. *Asper in se fuit. elicuit aquas è saxo. KaKodæmonem in ignei serpentis speciem spreuit. scortum, à quo pudori tendebantur insidiæ, strenuè superauit. à casu rupis seruatus est diuinitùs.*

ENCOMION 339.

Non fuit vacuum Martis nomen in Martio,
bella & multa confecit, & magna;
sed illud arduum in primis fuit, & nobile,
quod indixit sibi:
acrius in se mouit arma,
quàm ceteri duces in barbaros.
constrinxit sponte catena se ferrea,
vt liberum haberet imperium mentis.
imperauit quoque vel catenatus Naturę,
cum iussit è saxo proferri aquas:
renouauit antiquum prodigium silicis,
& si non vsus virga, sed nutu.
Stygium hostem adrepentem specie anguis
euomere venenum coegit,
sed expuit ille cum veneno etiam flammas,
conatus non inficere tantùm, sed conficere,
nihil tamen hic pertimuit ignem,
qui diuinitus eduxerat aquas.
tutus fuit in siluis à feris,
quanquam infestam pudori nactus est lupam;
superauit hanc maiore cum laude,
quam aut leęnas multas, aut tigrides.
seruatus idem est à casu pręcipitis rupis:
nempe in eum collabi ruina non debuit,
qui non erat lapsus in lubrico.

IX Kal. Nouembr.

S. FELIX

24 *Octobr.*

Episc. African.

Synop. *Noluit promulgare, ac proferre ethnicis sacros libros, ut Cæsar edixerat: quamobrem detrusus est in carcerem, ac necatus: quo tempore, attonitis mortalibus, Luna sanguinis colorem induit.*

ENCOMION 340.

Non ante tibi visus es felix;
quàm te vidisti positum inter pœnas:
iussus producere, ac prodere sacra volumina,
vt traderentur igni,
te potius paratum obtulisti ad rogum:
indigni, videlicet, visi sunt cinere ij libri,
qui viuere immortaliter docent;
negasti, eos ideò editos in lucem,
vt impia exciperet flamma.
maluisti obscuro latere sub carcere;
quàm latentem prodere raptori thesaurum.
meruit tua virtus, vt consignaretur hominum literis,
cuius in tutela fuere diuinæ:
scilicet ne sacræ periret historiæ stylus,
perire maluisti gladio.
excitatam à stultis Sapientiæ pyram
tuo restinxisti sanguine.
sed parentauit tam bene merito præsuli
ingentibus Natura prodigijs:
quippe statim versa dicitur in sanguinem Luna;
eodem quasi tecum affecta vulnere,
penè Mundus ipse visus est ruere,
sed occurristi aliorum infortunio Felix;
incongruum tibi visum est, mortales esse miseros,
cum tute maximè rebaris esse felicem.

VIII.

VIII. Kal. Nouembr.

SS. CHRYSANTHVS, ET DARIA Martyres.

25 Octobr.

Synop. *Chrysanthus à parente, ac Numeriano Cæsare ob religionem exagitatus est. uirgæ, quibus cædebatur, emollitæ prodigiosè sunt. è carcere mirus odor afflatus. Dariam in lupanari leo tutatus est.*

ENCOMION 341.

Flos aureus, & illibatus Cœlitum Chrysanthus
& aureo dignus esset ore dicentis, & florido:
Tullianum Romæ perferre iussus est carcerem,
qui potiùs amplo Tullij dignus erat eloquio,
pro religione primùm cum parente ipso pugnauit; *χρυσὸς Aurum ἄνθος Flos.*
arma mouit hostilia in filium genitor;
scilicet sortitus hic erat nomen à bello, Polemius.
deinde cũ Cæsare Chrysanthus Numeriano cõflixit,
sed plures numerauit laureas ipse, quàm Cęsar. *πολεμιστής Miles.*
obstupuere lictores, cùm duræ virgæ, quibus est cęsus,
visę sunt tactu corporis prodigiosè mollescere.
vbi maduerunt sanguine, penè effloruerunt in rosas.
Tribuno Claudio, à quo est clausus in carcere,
aperuit salutis ianuam:
carcer teter, ac malèolens illi cessit in hortum:
quippe statim inde mirus dicitur odor afflatus.
scilicet nõ aduertit hostis in Chrysãtho vim nominis;
nam nec in abiecto loco vilescere potuit aurum,
nec in graueolente lædi fragrantia floris.
quin etiam ipsius hortamento Daria coniux
intactum tenuit pudicitiæ florem.
hęc in lupanar inclusa
custodem diuinitùs est nacta leonem.
mira res. à leone factum, ne puella esset pręda lenonis;
leo cauit, ne agna fieret lupa.

VIII. Kal. Nouemb.

25 Octobr. S. CRISPINVS, ET CRISPINIANVS Martyres.

Synop. *Etsi nobiles essent, sutores tamen esse uoluerunt, vt alios lucrarentur Deo. pellis eis extracta, & in caligas incisa est. sudes unguibus impactæ resilierunt in lictores. excruciati quoque ad trochleam.*

ENCOMION 342.

Non puduit vos nobili ortos genere
artem exercere sutoriam,
dignè calcatis sidera,
qui calceis conficiendis ideò dediti;
vt ad pietatis iter incitati alij
vestra opera conficerent cursum.
perforastis animantium pelles subula
perforandi vos sudibus,
immanior fuit Iudex ipso Caligula,
cum inaudito supplicio
extractam vestri corporis pellem
incidi, & aptari iussit in caligas;
artis commodum non modò uertit in probrum;
sed in exitium vitæ;
at offecit sibi hostis, cum effecit, ne deessent
in religionis castris caligati milites.
acutæ digitis adactæ sunt sudes,
sed mirè resilierunt in hostem:
vulneratus est hic telis suis.
hoc tantùm acutis accepistis à sudibus,
quod manus acuerunt ad pugnam;
sutrina vobis cessit in campum,
acus in hastam.
alligati ad trochleam voluptatem hausistis è pœnis,
explestis ardentem pro religione moriendi sitim.

VII.

VII.Kal.Nouembr.

S. EVARISTVS

Pont. Max. M.

26 *Octobr.*

Synop. *Titulos templorum, Cardinalium proprios instituit. iussit, Episcopo concionanti assistere hierodulos septem. matrimonij iura sanxit. quo tempore inauguratus est, Iouis fanum sponte corruit.*

ENCOMION 343.

Euaristo Roma debet præcipuum decus.
ornauit: scilicet hic vrbis templa insignibus titulis;
vnde origo magnorum Procerum,
qui nunc sacra fulgent purpura.
minus est quicquid titulis olim superbis
habuerunt inscriptum, aut sculptum
veterum monumenta Cæsarum.
Idem pontificiæ auctoritati consuluit;
iussit, Antistitis lateri à suggestu fundentis oracula
adhærere hierodulos septem.
iussit, & coniuges auspicari nuptias
inter aras, & sacra;
pronubam voluit esse pietatem.
inauguratus est Romæ ipse auspicatò
summus Antistes sacrorum;
statim enim illi faustissimæ arsere tædæ
quasi pulcherrimo religionis sponso.
quippe celebre fanum Iouis Vltoris
diuinitùs misso deflagrauit igni.
Deorum illud commune delubrum
prodigiosè abijt in flammas.
Euaristi hierarchæ ortus, impietatis fuit occasus;
eius celsitudo, superstitionis excidium,
statuit salutis immortale tropheum
inter Deorum cineres.

VI.

VI. Kal. Nouembr.

S. ELESBOAN

Rex Aethiopiæ

28 Octobr.

Synop. *Expeditionem iniit aduersus Homeritas religionis hostes, potitus est victoria diuinitus parta. victor ad vrbem Hierosolymam coronam regiam misit pro donario; seipsum verò cœnobio clausit.*

ENCOMION 344.

Abrogasti, Rex inclyte, fidem communi dicto,
de vano labore, irritoque conatu:
vide adag. Aethiopem lauis:
at tu cum Aethiopiæ latè regnum teneres,
religionis hostes insecutus armis,
turpi eorum cruore lotus es pulchrè.
edidisti maximas diuinitùs strages;
ipsum Homeritarum Regem impium Dunaanum
catena deuinctum aurea
duxisti in triumphali pompa captiuum.
dignas ille rependit audaciæ pœnas,
quippe qui catena pontum intercluserat ferrea,
ne tuæ pateret aditus classi.
sed euocasti precibus coniurata ventorum agmina;
subitò ingenti procella concitati fluctus
fregerunt repagula, aperuerunt iter;
exarmasti pontum, idemque Cœlum armasti,
inde imbrem ardenti prece deuocasti igneum,
miscuisti cum campi puluere hostium cinerem:
per te induit se Bellonæ habitu Pietas,
vt ornaret barbarorum spolijs templa.
Hirosolymam gemmatum capitis diadema misisti,
relinquens frontem solo pudore vittatam.
denique maluisti cum castis viuere, quàm in castris;
nulla res fuit Aethiopi tam expetita, quàm candor.

V.

V. Kal. Nouembr.

SS. SIMON, ET IVDAS

Apostoli.

28 *Octobr.*

Synop. *Apud Persas Soli, & Lunæ diuinos honores exhibere iussi de more, rem abominandam detestati sunt. Cum præstigiatoribus acriter, ac strenuè pugnarunt; semper de impietate extitere victores.*

ENCOMION 345.

Nobile par heroum
fecistis omnem imparem meritis laudem?
alter matrem superstitionis Aegyptum,
alter Mesopotamiæ perscrutatus est fines,
ambo mille Deorum edomitis monstris
victoriam retulistis insignem.
Inde in intimam ingressi Persidem,
sine exercitu, sine infestis armis
soli eos subiecistis nouæ Romæ,
quos cum magnis copijs sępe vetus extimuit?
iussi Principes venerari planetas,
errare dixistis illos à uia,
qui erratica colerent sidera;
nimis hebeti esse acie,
qui cum Solem Aquilæ more obtueri non possent,
venerabundi pronum humi demitterent caput;
dixistis item, eos in nocte versari, qui colerent Lunam;
negastis habenda Cœli lumina inter numina.
Hęc intrepidi ambo fudistis oracula,
inter magica Persidis murmura,
inter horrendos pręstigiatorum susurros.
euocarunt illi monstra ex antris immania,
dracones conuolutos in spiras,
sed dum hi nequicquam sibilis suis strepunt,
vos victis Magis indixistis sibilo vestro silentium?

IV.

IV. Kal. Nouembr.

S. NARCISSVS

29 Octobr. Episc. Hierosol.

Synop. *Insignis cùm virtutibus, tùm prodigijs fuit. In primis fecit, vt aqua esset fomes ignis. quidam, qui ignem ei ipsi imprecatus, igne perijt. alter, qui ei inuidebat, oculorum vsu priuatus est.*

ENCOMION 346

In ea vrbe Narcissus hic præsul effloruit,
in qua Deus olim acutis compunctus est spinis;
sed vt viresceret pulchrius,
nemorosam, & occultam amauit specum:
tametsi eum odore prodidit fama.
fecit hic singulari pudore, & prodigijs miris,
vt Narcissi veteris sileretur fabula.
aqua illi attulit mortem,
huic immortalitatem:
admiranda videlicet est operatus in aquis;
nam cum ad aram lampadi deficeret oleum,
suffecit aquam,
illud elementum hic Narcissus accendit,
quod alterum Narcissum extinxit.
nullę ab aduersarijs concitatæ procellę
infringere hunc potuerunt florem.
quidam imprecatus Narcisso ignem, vt exaresceret;
vnà ipse cum domo exarsit incendio.
alter, qui eius gloriæ inuidit,
amisit visum;
quippe iactatus is inter casus aduersos
tantam vim fudit lacrymarum,
vt iacturam fecerit oculorum,
desierunt videre, quia inuiderunt.
non ipsi fatales fuerunt aquę, sed hosti.

III.

III. Kal. Nouembr.

SS. ZENOBIVS, ET ZENOBIA Martyres. *30 Octob.*

Synop. *Zenobius hic medicinæ artem exercuit, licet è nobilissima stirpe esset, vt quidam putant, hoc est Zenobiæ Reginæ. cancros autem maximè curabat, & mammis medebatur. ignem constanter cum sorore Zenobia pertulit.* *Baronius.*

ENCOMION 347.

Dixisset te Græcia, Zenobi, Apollinis filium,
insignem scilicet medendi arte,
nisi idem, qui medebaris hominibus,
inflixisses vulnera, & ipsi Apollini, & ceteris Dijs.
mira vis. narrant, te solo aspectu, ac præsentia
fugasse morborum agmina;
cancros in primis curare te solitum;
nempe iubebas, cancri more, mala retrogredi.
vlcerosas quoque sanasti mammas,
succurrebas, videlicet, matribus pater ægrorum;
prodigas illas esse voluistis lactis,
cum esses tui prodigus sanguinis.
stratus es vnà cum sorore Zenobia in lecto igneo,
at non interrupit quietem crepitans ignis.
feruentes, qui vos excepere, lebetes,
in delicias cessere thermarum.
stupuit maximè Lysias tantum robur in fœmina,
doluit se constantia vinci.
subire potuit eius mentem vetus Palmyrarum regina,
Zenobia virilis animi mulier. *Ammian.*
galeata illa procedebat in campum,
sed acrior hæc armata, & munita numine;
& hoc dispar, quòd sponte illius gemmas abiecit.
illa ducta est in Aureliani triumpho Palmyris captis,
at hæc triumphalem vnà cum fratre retulit palmam.

IV.Kal.Nouembr.

29 Octobr.

S. NARCISSVS

Episc. Hierosol.

Synop. *Insignis cùm virtutibus, tùm prodigijs fuit. in primis fecit, vt aqua esset fomes ignis. quidam, qui ignem ei ipsi imprecatus, igne perijt. alter, qui ei inuidebat, oculorum vsu priuatus est.*

ENCOMION 346

In ea vrbe Narcissus hic præsul effloruit,
in qua Deus olim acutis compunctus est spinis;
sed vt viresceret pulchrius,
nemorosam, & occultam amauit specum:
tametsi eum odore prodidit fama.
fecit hic singulari pudore, & prodigijs miris,
vt Narcissi veteris sileretur fabula.
aqua illi attulit mortem,
huic immortalitatem:
admiranda videlicet est operatus in aquis;
nam cum ad aram lampadi deficeret oleum,
suffecit aquam,
illud elementum hic Narcissus accendit,
quod alterum Narcissum extinxit.
nullę ab aduersarijs concitatæ procellę
infringere hunc potuerunt florem.
quidam imprecatus Narcisso ignem, vt exaresceret;
vnà ipse cum domo exarsit incendio.
alter, qui eius gloriæ inuidit,
amisit visum;
quippe iactatus is inter casus aduersos
tantam vim fudit lacrymarum,
vt iacturam fecerit oculorum,
desierunt videre, quia inuiderunt.
non ipsi fatales fuerunt aquę, sed hosti.

III.

III. Kal. Nouembr. 30 *Octob.*

SS. ZENOBIVS, ET ZENOBIA Martyres.

Synop. *Zenobius hic medicinæ artem exercuit, licet è nobilissima stirpe esset, vt quidam putant, hoc est Zenobiæ Reginæ. cancros autem maximè curabat, & mammis medebatur. ignem constanter cum sorore Zenobia pertulit.* *Baronius.*

ENCOMION 347.

Dixisset te Græcia, Zenobi, Apollinis filium,
insignem scilicet medendi arte,
nisi idem, qui medebaris hominibus,
inflixisses vulnera, & ipsi Apollini, & ceteris Dijs.
mira vis. narrant, te solo aspectu, ac præsentia
fugasse morborum agmina;
cancros in primis curare te solitum;
nempe iubebas, cancri more, mala retrogredi.
vlcerosas quoque sanasti mammas,
succurrebas, videlicet, matribus pater ægrorum;
prodigas illas esse voluisti lactis,
cum esses tui prodigus sanguinis.
stratus es vnà cum sorore Zenobia in lecto igneo,
at non interrupit quietem crepitans ignis.
feruentes, qui vos excepere, lebetes,
in delicias cessere thermarum.
stupuit maximè Lysias tantum robur in fœmina,
doluit se constantia vinci.
subire potuit eius mentem vetus Palmyrarum regina,
Zenobia virilis animi mulier. *Ammian.*
galeata illa procedebat in campum,
sed acrior hæc armata, & munita numine;
& hoc dispar, quòd sponte illius gemmas abiecit.
illa ducta est in Aureliani triumpho Palmyris captis,
at hæc triumphalem vnà cum fratre retulit palmam.

IV. Kal. Nouembr.

29 Octobr.

S. NARCISSVS

Episc. Hierosol.

Synop. *Insignis cùm virtutibus, tùm prodigijs fuit. in primis fecit, vt aqua esset fomes ignis. quidam, qui ignem ei ipsi imprecatus, igne perijt. alter, qui ei inuidebat, oculorum vsu priuatus est.*

ENCOMION 346

In ea vrbe Narcissus hic præsul effloruit,
in qua Deus olim acutis compunctus est spinis;
sed vt viresceret pulchrius,
nemorosam, & occultam amauit specum:
tametsi eum odore prodidit fama.
fecit hic singulari pudore, & prodigijs miris,
vt Narcissi veteris sileretur fabula.
aqua illi attulit mortem,
huic immortalitatem;
admiranda videlicet est operatus in aquis;
nam cum ad aram lampadi deficeret oleum,
sufficit aquam,
illud elementum hic Narcissus accendit,
quod alterum Narcissum extinxit.
nullę ab aduersarijs concitatæ procellę
infringere hunc potuerunt florem.
quidam imprecatus Narcisso ignem, vt exaresceret;
vnà ipse cum domo exarsit incendio.
alter, qui eius gloriæ inuidit,
amisit visum;
quippe iactatus is inter casus aduersos
tantam vim fudit lacrymarum,
vt iacturam fecerit oculorum,
desierunt videre, quia inuiderunt.
non ipsi fatales fuerunt aquę, sed hosti.

III.

III. Kal. Nouembr. 30 *Octob.*

SS. ZENOBIVS, ET ZENOBIA Martyres.

Synop. *Zenobius hic medicinæ artem exercuit, licet è nobilissima stirpe esset, vt quidam putant, hoc est Zenobiæ Reginæ. cancros autem maximè curabat, & mammis medebatur. ignem constanter cum sorore Zenobia pertulit.* *Baronius.*

ENCOMION 347.

Dixisset te Græcia, Zenobi, Apollinis filium,
insignem scilicet medendi arte,
nisi idem, qui medebaris hominibus,
inflixisses vulnera, & ipsi Apollini, & ceteris Dijs.
mira vis. narrant, te solo aspectu, ac præsentia
fugasse morborum agmina;
cancros in primis curare te solitum;
nempe iubebas, cancri more, mala retrogredi.
vlcerosas quoque sanasti mammas,
succurrebas, videlicet, matribus pater ægrorum;
prodigas illas esse voluistis lactis,
cum esses tui prodigus sanguinis.
stratus es vnà cum sorore Zenobia in lecto igneo,
at non interrupit quietem crepitans ignis.
feruentes, qui vos excepere, lebetes,
in delicias cessere thermarum.
stupuit maximè Lysias tantum robur in fœmina,
doluit se constantia vinci.
subire potuit eius mentem vetus Palmyrarum regina,
Zenobia virilis animi mulier. *Ammian.*
galeata illa procedebat in campum,
sed acrior hæc armata, & munita numine;
& hoc dispar, quòd sponte illius gemmas abiecit.
illa ducta est in Aureliani triumpho Palmyris captis,
at hæc triumphalem vnà cum fratre retulit palmam.

IV. Kal. Nouembr.

S. NARCISSVS

29 *Octobr.*

Episc. Hierosol.

Synop. *Insignis cùm virtutibus, tùm prodigijs fuit. in primis fecit, vt aqua esset fomes ignis. quidam, qui ignem ei ipsi imprecatus, igne perijt. alter, qui ei inuidebat, oculorum vsu priuatus est.*

ENCOMION 346

In ea vrbe Narcissus hic præsul effloruit,
in qua Deus olim acutis compunctus est spinis;
sed vt virescerét pulchrius,
nemorosam, & occultam amauit specum:
tametsi eum odore prodidit fama.
fecit hic singulari pudore, & prodigijs miris,
vt Narcissi veteris sileretur fabula.
aqua illi attulit mortem,
huic immortalitatem:
admiranda videlicet est operatus in aquis;
nam cum ad aram lampadi deficeret oleum,
suffecit aquam,
illud elementum hic Narcissus accendit,
quod alterum Narcissum extinxit.
nullę ab aduersarijs concitatæ procellę
infringere hunc potuerunt florem.
quidam imprecatus Narcisso ignem, vt exaresceret;
vnà ipse cum domo exarsit incendio.
alter, qui eius gloriæ inuidit,
amisit visum;
quippe iactatus is inter casus aduersos
tantam vim fudit lacrymarum,
vt iacturam fecerit oculorum,
desierunt videre, quia inuiderunt.
non ipsi fatales fuerunt aquę, sed hosti.

III.

III. Kal. Nouembr. 30 Octob.

SS. ZENOBIVS, ET ZENOBIA Martyres.

Synop. *Zenobius hic medicinæ artem exercuit, licet è nobilissima stirpe esset, vt quidam putant, hoc est Zenobia Regina. cancros autem maximè curabat, & mammis medebatur. ignem constanter cum sorore Zenobia pertulit.* *Baronius.*

ENCOMION 347.

Dixisset te Græcia, Zenobi, Apollinis filium,
insignem scilicet medendi arte,
nisi idem, qui medebaris hominibus,
inflixisses vulnera, & ipsi Apollini,& ceteris Dijs.
mira vis. narrant, te solo aspectu, ac præsentia
fugasse morborum agmina;
cancros in primis curare te solitum;
nempe iubebas, cancri more, mala retrogredi.
vlcerosas quoque sanasti mammas,
succurrebas, videlicet, matribus pater ægrorum;
prodigas illas esse voluistis lactis,
cum esses tui prodigus sanguinis.
stratus es vnà cum sorore Zenobia in lecto igneo,
at non interrupit quietem crepitans ignis.
feruentes, qui vos excepere, lebetes,
in delicias cessere thermarum.
stupuit maximè Lysias tantum robur in fœmina,
doluit se constantia vinci.
subire potuit eius mentem vetus Palmyrarum regina,
Zenobia virilis animi mulier. *Ammian.*
galeata illa procedebat in campum,
sed acrior hæc armata,& munita numine;
& hòc dispar, quòd sponte illius gemmas abiecit.
illa ducta est in Aureliani triumpho Palmyris captis,
at hæc triumphalem vnà cum fratre retulit palmam.

III. Kal. Nouembr.

SS. ZENOBIVS, ET ZENOBIA Martyres. 30 Octob.

Synop. *Zenobius hic medicina artem exercuit, licet è nobilissima stirpe esset, vt quidam putant, hoc est Zenobia Regina. cancros autem maximè curabat, & mammis medebatur. ignem constanter cum sorore Zenobia pertulit.* *Baronius.*

ENCOMION 347.

Dixisset te Græcia, Zenobi, Apollinis filium,
insignem scilicet medendi arte,
nisi idem, qui medebaris hominibus,
inflixisses vulnera, & ipsi Apollini, & ceteris Dijs.
mira vis. narrant, te solo aspectu, ac præsentia
fugasse morborum agmina;
cancros in primis curare te solitum;
nempe iubebas, cancri more, mala retrogredi.
vlcerosas quoque sanasti mammas,
succurrebas, videlicet, matribus pater ægrorum;
prodigas illas esse voluistis lactis,
cum esses tui prodigus sanguinis.
stratus es vnà cum sorore Zenobia in lecto igneo,
at non interrupit quietem crepitans ignis.
feruentes, qui vos excepere, lebetes,
in delicias cessere thermarum.
stupuit maximè Lysias tantum robur in fœmina,
doluit se constantia vinci.
subire potuit eius mentem vetus Palmyrarum regina,
Zenobia virilis animi mulier. *Ammian.*
galeata illa procedebat in campum,
sed acrior hæc armata, & munita numine;
& hoc dispar, quòd sponte illius gemmas abiecit.
illa ducta est in Aureliani triumpho Palmyris captis,
at hæc triumphalem vnà cum fratre retulit palmam.

Pridie Kal. Nouembr.

31 Octob. S. QVINTINVS.

Martyr.

Synop. *Ex ordine Senatorio fuit. cæsus est acerrimè flagris. sudes, & lampades, & feruens oleum alacriter perpessus. proiectum in fluuium corpus, post multos annos integrum repertum, tremente ripa.*

ENCOMION 348.

Quintini pro religione obitæ morti
certa licet fama vix facit fidem,
magnitudine, videlicet, vel constantiæ, vel prodigij.
senatoria hic de gente prognatus,
lumen curiæ, obscuro clausus est carcere.
tunc se habere ratus est verum purpuræ decus,
cum vidit se cruentum flagris.
infixæ sunt immaniter in eius vngues
acutæ clauorum cuspides,
sed hos lato senatoris præposuit clauo.
cum manarent sanguine digiti,
ferrea claui cuspis illi pro stylo fuit,
vt inscriberet nobilem victoriæ titulum.
Infixæ corpori sudes, admotæ lateri faces
stimuli fuerunt ad cursum;
feruens oleum feruidum fecit athletam.
sed nunquam prodigijs se extulit altiùs,
quàm cum est imo profluente demersus.
mirum dictu. quinquaginta, & amplius annos
latuit inuiolatum cadauer in fundo.
tandem cum cœlesti monitu quæreretur,
fluminis intremuit ripa.
repente hinc caput, illinc cetera enatarunt membra;
candore omnia fulgebant eximio.
hoc tantùm egerat vnda, quòd lauerat vulnera.

FA-

FASTI

veterum Romanorum, atque Græcorum, collati cum nostris.



NOVEMBER.



Ouember apud veteres in tutela Dianæ Virginis fuit. at Innocentius hierarcha Kalendas ipsas virginum principi *Dei Matri*, ac ceteris *Cælitibus* consecrauit. eiecta tunc est è communi delubro Diana, expulsi reliqui Dij, Deæq; omnes. Abstulit Nouembri nomen Commodus Imperator, appellauitq; Exuperatorium, quod nomen meritò, & satis commodè impositum videri potuisset, si respexisset ille ad præstantiã, exuperantiamq; virtutis in nostris. verùm vt Exuperatorius Nouẽber dici possit, non tam facit Commodus, quàm qui in hunc mensem incidit decimonono die martyr inuictus, & præstans *Exuperius*. Hunc mensem apud Græcos quidam Anthisterion dictum putant à floribus; sed cum terra potius hieme deflorescat, ad religionem veriùs hoc nomen pertinere dicendum videtur; hunc quippe mensem ornant, & *Florentianus*, & *Florentius* antistites. præterea *Florentia*, immò verò *Flora* ipsa virgo, incestæ illi Romanorum Deæ prorsus opposita. *Rosinus.* *Alex. ab Alex.* *Gyrald.*

1 Kal. Nouemb. Ornatissimus fuit hic dies Fuluij Flauij Cos. de Vulsinentibus triumpho. L. quoque Sylla bello ciuili Pontium Telesinum ingenti prælio superauit. sed horum exaruere iam laureæ; illæ perpetuò virescunt, quæ nostrorum sanguine irrigantur: nullum tam magnificum Roma triumphum vidit, quàm cum religio victrix, superstitione oppressa, atque deleta, omnium Deorum spolia, ac simulacra tamquam in pompa *Nouemb. A. 489 666* *Goltzius.*

retulit; cum illi è laribus, ac focis eiecti præcipites funt, ductiq; captiui; cum denique † *Cælites* laureati omnes in antiquas eorum possessiones ingressi. Non est cur Roma iactet veterum gloriam triumphorum, quos trecentos, & viginti numerat; nec tamen iis æquantur omnes anni dies: alios habet, quos sola æquat æternitas, multitudine innumerabiles funt recenseri omninò nõ possunt. Primus ex prophanis Romulus triumphauit, Probus Imperator ultimus; sed vera probitas nullum facit triumphandi finem. Porrò ex illo innumerabilium heroũ fortissimo agmine, hunc sibi diem singillatim vẽdicat iure suo præsul *Vigor*, re, & nomine præstans, vigensq; virtutis robore, Offert se ob tempestiuos iam perceptæ beati atis fructus, *Maturinus*. adest præterea, qui Cœlites ipsos cunctos vno velut amoris nexu complectatur, atque constringat, *Benignu*. Denique, vt celeberrimus hic dies gratæ cuiusdã fragrantiæ suauitatem habeat, † *Marcellus* memoratur, qui singulari prodigio effecit, vt pro aqua, quam defundebat, decurrerent balsama.

Alex. ab Alex.

2 *Nouemb.* IV. Nonas Nouemb. Ater dies Romanis fuit; nobis item aliqua ratione ater, dolore videlicet concepto de piorum Manium pœnis, quibus expiantur; quanquam opportunè satis se offert *Elpidophorus* martyr, hoc est spem ferens, vt nomen ipsũ omen habere videatur eius, quę in nobis est certissimæ spei, fore, vt quamprimũ per piacularia sacrificia è flamma emergant, atque ad sempiternam quietem euolent, quod ijs quodammodo † *Pegasius* innuit. Ternouena hoc item die Romæ celebrata decreto Pontificum. iussæ videlicet ternouenæ virgines ad placandum Numen incedere per vrbem canendo; sed harum carminibus silentium indixit vna virgo *Eustochium*, quæ mira cõstantia docuit, Deos nõ prosequendos esse cantu, sed insequendos probro. Porrò quòd ominosum erat olim, atro die manus cum hoste conserere, id metuendum haudquaquam est, cum in hunc diem conueniant, & *Victorinus*, & *Victor*, vt nomine, ita re, ac factis.

Macrob. ἐλπίς *Spes.* φέρω *Fero.*

3 *Nouemb.* III. Nonas Nouemb. Festa Hilaria Romæ celebrata. Habuerunt enim veteres præter illa, quæ Matri Deûm dicata erãt Hilaria mense Martio, alios item dies, quos vocabãt Hilarios. quibus lugere, aut haberi iudicia non licebat, sed partim sacrificijs, partim spectaculis, & epulis indulgebant: nihil igitur opportunius factum, quàm vt in hunc ipsum diem Hilariorum incideret martyr *Hilarius*, qui à Maximiano Cæsare demersus in Ty-

Kal. vet.

in Tyberim, molari licet onustus lapide, enatauit incolumis. neque verò tàm hilariter hunc diem egere veteres inter delicias & blandimenta voluptatum, quàm *Hilarius* inter cruciatus. opposita igitur est futili lætitiæ vera, quæ est de immortalitate concepta; quod intellectum est, cum huic, ceterisq. qui pro religione ceciderunt, adiunctus est *Vitalis*. neque verò † *Malachias* Præsul, quia semper effusus in lachrymas, huius diei hilaritati impedimento est; nam voluptatem habent etiam lachrymæ suam.

Pridie Nonas Nouemb. Quartus quisque mensis dies apud Græcos Mercurio sapientiæ numini sacer fuit. at hunc diem sibi iure vendicant nostri, qui factis docuerunt, quid sit verè sapere; eminet inter hos, vt Romæ purpuratus, † *Carolus Borromæus*; qui Mercurij rapacitati liberalitatē in egenos opposuit. Accedit ad Romanam purpuram Regia, qua religionem exornat † *Emericus* Vngariæ regis filius: vtriq; autem, hoc est tum *Carolo*, tum *Emerico* opportunè offert se *Modesta* virgo, & ipsa insignis purpura pudoris; immò verò accedit *Porphyrius* ipse martyr, cui quasi omen fundēdi sãguinis fecit nomen à purpura ductũ. Accipit prętere a Religio à † *Vitali* quidē spem immortalis, beatæque vitæ; ab *Agricola* suauissimos pietatis fructus; denique ab † *Amantio* gratiã quandam, & condimentũ amoris. 4 *Nouemb.*

Nonis Nouembr. Soteria à salute dicta apud Sycionios celebrata in honorem Arati, quo die patriam à seruitute Macedonica vindicauerat. Atqui ab illis verè Soteria dici debent instituta, quorum opera orbis terræ à communis hostis tyrannide liberatus est. hoc vide icet nostri spectarunt, cum spurijs Dijs clara voce, quasi classico bellũ indixerunt: quamobrem † *Galationi* lingua resecta est. hoc idē præclari illi antistites auctoritate ac virtute effecerunt, *Dominator*, & *Magnus*, vt è ditione non sua pelleretur hostis, & vilis haberetur, ac paruus. In hunc autem Soteriorum diem, qui propter salutem iucundissimus est, aptè incidit vir sanctissimus *Lætus*. Præterea hoc ipso die Neptuno sacra fiebãt; agebantq; illi nautæ grates ob vitata naufragia at nostri in vitæ nauigatione Neptunum non timuerunt iratum, sed secunda velificati sunt aura: quamobrem inter eos se inseruit, & *Felix*, & *Lætus*; qui certè fecerunt, vt dies hic, qui apud veteres inter Aegyptiacos, hoc est inter infelices, ac tristes numerabatur; & felicitate, & lætitia esset insignis. 5 *Nouemb.* *Plut.* *Kal.vet.* *Gyral.*

VIII.

6 Nouemb. *Rosinus.* *Kal. vet.* VIII. Idus Nouemb. Ludi Romæ celebrati, hoc, & sequentibus diebus sex. atqui nobis inter feria ludijs esse non licet; præsertim cum sacer hic dies sit *Seuero*, quamquam is mitissimis moribus fuit; seueritatem, siue potius sæuitiam in eum barbarus exercuit, cum illisit clauum capiti, sed aliud nō egit, nisi quòd propositum firmauit, ac stabiliuit mentis. Ceterùm si locus ludis esset, hic maximè dies voluptatem haberet ex † *Leonardo*, cuius præsidio sæpè carceris custodibus ac lictoribus illusere captiui prodigiosè soluti vinculis, & libertate donati: quam videlicet sortem eis gratulari videtur. qui in hunc ipsum incidunt diem, *Felices* duo, alter in Africa, alter in Latio: adeò vbique religioni occurrit, seque offert prompta felicitas.

7 Nouemb. *Festus.* *Gyral.* VII. Idus Nouemb. Funestus erat hic dies parentationibus inferorum. Mundus patere dicebatur, reclusa putabātur Erebi adyta, & mysteria Manium foras educta; quod ter in anno fiebat; itaque bellicam expeditionem in primis inire religio erat. Atqui apud nos Cœlum potius patet. existit inter Cœlites *Herculanus* inuicti animi pręsul, qui Totilæ barbaro Regi & impio strenuè restitit, memorandus etiā insigni prodigio, quo fractæ ceruices multò post inuentæ sunt cruore ipso agglutinatæ reliquo corpori. *Engelbertus* quoque antistes pro Romana libertate acriter dimicauit. at † *Vuillebrodus* expeditionem in Frisiam, & Daniam auspicatò iniit. quin etiam *Achillas* præsul (habet enim non modò Græcia; sed noua Roma Achilles suos) aduersus vitia, prauosque mores insigni animi fortitudine fuit. Denique opponitur aridis mortuorum cineribus, ac pallidis Manibus *Amaranthus* martyr, religionis quidam quasi flos, perpetuitatem sui nominis adeptus sāguine. cum *Amarantho* autem aptissimè nectitur † *Florentius*; vt constet religionis agro nihil esse pulchrius, & amœnius:

8 Nouemb. *Gyral.* VI. Idus Nouemb. Aegyptiacus, & ater hic item dies fuit. ara Deorum inferorum tertiò in Circo maximo excitabatur. Quamquā hic idem dies multorū Cæsarum natalis fuit, Neruæ, Traiani, atque Constantij. Nobis certè ater esse non potest, qui potiùs sacer est *Claro* viro sanctissimo. Cæsarum verò triū natalia, & intexta fascijs diademata longè superāt gloria † *Coronati quatuor*, nomen adepti à victa sæuitia Cæsarum. à *Coronatis* verò seiungi nō debuere auspicatis victoriæ nominibus insignes, *Nicostratus*, & *Victorinus*; & ille ipse, qui gloriæ lumen accenderet, *Clarus*.

V. Idus

V. Idus Nouemb. Ludi votiui Romæ dari. at nunc Romæ feriis versatur in votis, augustissimi dedicatione delubri, quod Vindici salutis erectum est; nec tamen nulla sunt spectacula. Ludos dant illusores Deorum. excipiuntur plausibus † *Theodorus*, itemque *Alexander*, & *Orestes*. scilicet hic oppositus alteri fuit, nam pro religione, quam veram parentem agnouit, se ipsum neci deuouit. Porrò Martyrum purpuris attexi voluit etiam regia; accedunt enim ad religionis decus nobilissimæ virgines, *Eustolia*, & *Sopatra*, Imperatoris Mauritij filiæ. 9 *Nouemb.*

IV. Idus Nouemb. Hysteria Veneri à Græcis celebrata; & quoniam hæc sine Baccho friget, eodem die Lymnæ, atque Pythegia Baccho agebantur. vini dolia relinebant, idque affatim hauriebant. fuit autem Lymnæ locus in Athenarum arce, vbi ex instituto Thesei Dionysia celebrabatur. At nunc, & Veneri, & Baccho opposita est *Nympha* virgo, nomine videlicet aduerso, vel impudicitiæ, vel ebrietati. Accedunt velut intemperantiæ fræna aliæ item virgines, *Teoctistes*, atque *Florentia*, sed maximè, *Modestus*, & *Monitor*, qui in hunc diem opportunè incidunt, inter quos † *Tiberius* est. ceterùm non tantum ab illis vini, quantum à nostris profusũ sanguinis, quo certè libatum numini gratissimè. Denique ne nos, quia sobrij sumus, suauitate carere videamur, præsto est *Mellitus*. 10 *Nouemb.* *Kal. vet.* *Plut.*

III. Idus Nouembr. Nihil de hoc die scriptum inuenio admodum insigne, nisi quòd ob crebras procellas clausa maria dicuntur ad sextum vsque idus martias. at nostri vitæ nauigatione nunquã vsi sunt tutius; quod maximè † *Martinus* ostendit, cui cum communis hostis, turbo ille, ac tempestas pacis, ausus esset etiam ad littus appellenti concitare fluctus in morte, nihil obfuit. velificati sunt & illi non modò sine naufragio inter euripos, ac syrtes, sed obsecundantibus ventis; *Valentinus*, & *Victorinus*, & † *Menna*; nec mirum, quando, vt omen esset securitatis, se ijs adiunxerat *Felicianus*. 11 *Nouemb.* *Vegetius.* *Gyrald.*

Pridie idus Nouemb. Solemnis fuit hic dies, & Romanis, & Græcis. nobilitatus est enim triumpho M. Aquilij Proconf. ex Asia. Ludi quoque celebrati per dies quinque. Apud Græcos verò Choes festum erat à congijs, & crateribus dictum, itemq; Chytra ab oleribus. inuitabant se inuicem congręcando, & pergręcando. Hoc verò tempore oppositus est Aquilini triumpho ille magnificentior, & augustior, † *Martini* Romani hierarchæ, qui coacto antistitũ cœtu bellum indixit Ser- 12 *Nouemb.* *Goltzius.* *Kal. vet.* *Plut.*

gio,

plebis ob Reges exactos, siue de reconciliata plebe cum senatu, post secessionem factam in Auentinum montẽ. atqui apud nos non plebeium datur, sed nobilissimum spectaculum, à † *Leopoldo* videlicet Austriæ dynasta. præiuit hic exẽplo ceteris in ea gẽte sedẽ Imperij collocatur is, qui Austriaci dicuntur. nobilitauit item hũc diem *Eugenius* Toletanus antistes. multi quidem in religionis nauim cõcitati sũt fluctus, sed quo exitu, indicarunt ipso nomine illi, qui horum consociati sunt gloriæ, *Felix* scilicet, & *Secundus*. 16 Nouemb.

XVI Kal. Decemb. Iterum ludi plebii dati. at nobis spectaculo sunt illusi Dii, tanquam plebeii habiti, etiam illi qui maiorum gentium dicti sunt. huiusmodi ludum dederũt in primis *Valerius*, atque *Marcellus* cum socijs; inter quos maximè spectandus fuit *Elpidius*, spei omen ferẽs in nomine de victoria; quicũ aptè se iungit *Fidentius* præsul. Sed ille gratissimus, & omni plebeio festiuior, quẽ dedit† *Edmundus*, cum superbum hostem humani generis humana specie sibi oblatum nõ modò quasi vnum è plebe, sed quasi mancipiũ, ac reum apprehensum gutture, suffocare aggressus est. 17 Nouemb.

XV. Kal Decemb. Tertius hic ludorum plebeiorum dies fuit, qui dies tã iucunda pariter, & admiranda nobis profert spectacula, vt Natura ipsa hæreat attonita; Thaumaturgi. n. †*Gregorij* memoria est, cui ardua quæque, ac prodigiosa pro ludo fuerunt, montibus ipsis transferendis, quasi pila transmissa vsus Hoc item die Titus Imperator, subiecta Iudęa, in amphitheatro aliquot Iudęorum millia bestijs obiecit nempe eam gentem, quæ bestias superare immanitate conata est, in Deum ipsum parentem impia. At verò nostrorum virtus nulla vi Cæsarum expugnari vnquam potuit, præsertim *Aciscli*, qui, cum pro religione certaret, habuit auspicatò in morte sociam matronam, nomine *Victoriam*. 18 Nouemb.

XIII. Kal. Decemb. Mercurialia Romæ celebrata per dies tres. mercatores sacra faciebant Mercurio. At nobis in honore est *Maximus* Mogũtinus pręsul. virtute, atq; doctrina par nomini; alter Mercurius ob sapientiã videri potuisset, nisi fures odisset, hoc est Arianos, qui Dei filiũ diuinitate spoliare conati sũt. Mercatorũ verò tenacitatẽ, ac parsimoniam compensarunt nostri largitate sanguinis, quẽ prodigè fuderunt, vt immortalitatem emerent; quod in primis egit *Romanus*, & *Barula* puer, acerbus morti, maturus gloriæ. 19 Nouemb.

Kal. vet. Rosinus.

Kal. vet. XIII. Kal.Decemb. Cybele matri Deorum facer hic ... fuit, in cuius honorem cœnæ pontificũ solito lautius apparatæ. nunc facer est † *Elizabethæ* filiæ regis Vngariæ, & pietate,& prodigijs claræ:insignis illa quidẽ victus sui tenuitate fuit, at in pauperes munificentia. Iam Cybeles cultui opposita est religio fœcundior Cœlitum mater, quæ hoc maximè die gaudet numerosa prole natorũ, qui pro aris,ac facris se deuouere. Hauria martyrũ supra centum, & quinquaginta. Roma *Pontiani* hierarchæ sanguine ornatur at † *Barlaam* præconem meruit magnum *Basilium*; hos meritò comitatur & *Felicianus*, & *Faustus*, & ob quandã gloriæ præstantiam *Exuperius*.

20 Nouemb. XII. Kal. Decemb. Tertius hic dies fuit,& vltimus Mercurialium, quæ mercatores agebant Romæ. Atqui nullum potest conferri pretium cum sanguine à nostris fuso, quo & Mercurius, & ceteri Dij quantumuis aurei,viles esse cœperunt; hoc effecerunt in primis *Octauius*, *Anatolius*, atque *Thespesius*.cũ horũ sanguine purpuram iungit regiã† *Edmundus* Angliæ rex, quam item imbuit suo.at verò in Mysia Saturno dicatus erat hic dies, cuius execranda sacra cum *Dasius* religiosissimus præsul incesseret probris, subtractus est per necem tempori, donatus æternitati.

21 Nouemb. Kal.vet. XI.Kal.Decemb.Ludi in honorem Nympharum, & Heroum instituti. opposita deinde Nymphis est magna *Dei mater*, & virginum princeps, sanctissimo delubro dicato.honor verò, qui heroibus exibebatur, cessit *Honorijs* duobus. Illi quoque heroica prẹditi fortitudine fuerũt, *Heliodorus*, *Celsus*,& *Demetrius* cũ socijs.At †*Columbanus*, qui & *Columbus* est dictus, non modò heros, sed heroum parens fuit. neque verò Virgini cãdidissimę ac *Dei matri* aptior adiungi potuit quàm *Columbus*. cuius item Virginis,& pietatem *Clemens*, & excellentiam *Celsus* & decus *Honorius* duplex & felicissimam sortem indicare videtur *Eutychius*; qui omnes ad magnam matrem decorandam hodie conspirarunt.

22 Nouemb. X.Kal. Decemb. Plutoni, ac Proserpinæ viuo homine Romæ olim sacrificatũ est. at euanuit Proserpina,cum † *Cecilia* virgo nobilissima prodijt. nam illius quidem pudor, dũ flores legeret, defloruisse dicitur. hæc argumentosa meritò apis dicta, à côiugio s... per abhorruit.illa Plutonis vim effugere non potuit,hæc Valerianum sponsum ad idem pudoris consi-

consilium traxit. ipsum verò *Plutonem* de regno deiecerũt, in primis *Philemon*, & *Maurus*. abstulit etiam tetricæ fronti diadema ferreum *Stephanus*, alter à primo, lauream adaptãs suæ. Triumphauit hoc olim die Romę M Valerius Co uinus de Marsis & Hetruscis: sed h c triumpho dignior, qui de impietate victor, coronæ auspicium ipso pręfert nomine. 452 *Goltz.*

IX Kal. Decemb. Nemo veterum cum hierarcha † *Clemente* conferri potest; qui non tellurem modò, sed mare consecrauit, quà virtutibus, quà prodigijs. viuens elicuit precibus è rupe aquas, mortuus eas siccauit in maris aras inter scopulos habuit, in arena solidum templum è marmore. Por rò *Lucretia* virgini, quæ se pro religione deuouit, non audet vetus Roma conferre suam; quamquã illa pręcipuum pudicitiæ lumen est dicta: sed enim inobscuratum est *Lucretiæ* nostræ gloria, tum quia hęc se violari passa nõ est seruilis op robrij metu; tùm quia non sua, sed lictoris manu in causa religionis occubuit. quamobrem aptè se huic videtur adiunxisse *Felicitas* ipsa matrona, fœcunda prole fortissima. 23 Nouemb. *Val. Max.*

VIII. Kal Decemb. Aegyptiacus hic dies, & infaustus est habitus; nobis neque ater esse potest, quia auri splendore nitet; quippe † *Chrysogonus* sacer est, qui aureum genus, non opibus, sed virtute prætulit; neque infaustus, qui *Felicissimo* habet etiam coniunctam voluptatem quandam, & gratiam, quia *Floræ*, *Mariæq*; virginibus sacer est: adeò ipsum *Mariæ* nomen, quia virginis est, & virginum principis, gaudet sociari cum flore. Hoc item die Brumalia celebrata, Bacchoq, dicata, qui, & Bromius, & Brumus est dictus. sed Brumalibus quidem opponitur virgo fortissima *Firmina*, quæ ardentibus aduri se facibus passa est; Baccho verò *Crescentianus* in primis, & *Alexander*, quorum è venis sub prælo pœnarum expressus est sanguis. 24 Nouemb. *Th. r. b.*

VII. Kal. Decemb. Ludi Sarmatici Romæ dati per dies septem. sed illud spectaculum tenuit magis oculos, quod †*Catharina* virgo nobilissima exibuit Alexandriæ, cum rotę volubili clauum constantię fixit. illusit Fortunæ, quæ omnia se per lusum peruertere profitetur. vetus sapientia ludibrio ipsi fuit quamobrẽ huic heroinæ philosophanti satis accommodatè videtur adiunctus *Mercurius* martyr, lusitanti verò inter supplicia *Iucunda* virgo. 25 Nouemb. *kal.*

VI. Kal. Decemb. Illustris fuit hic dies triũpho Seru. Tul- 26 Nouemb.

182 lij Romanorũ regis de Hetruſcis, ſed factus eſt illuſtrior multò † *Petri* antiſtitis Alexandrini triumpho, quẽ de Ario ſpo-
Goltz. liis opimis grauẽ tulit, ſcilicet à quo cõſciſſa veſte penè ſpoliatus eſt Deus. Triũphauit & *Marcellus* de eodem hoſte. conſecuti ſunt hos laureati milites, ſupra ſexcentos, & ſexaginta; quibus opportunè ſe, & auſpicatò *Fauſtus* adiunxit; & ſanè Fauſtitas ipſa ſibi depoſcit iure hunc diem, quo die immaniſſimum illud portẽtum, ac religioni ſemper aduerſum, Nero ſibi ipſe crudelis necem manu conſciuit,

27 *Nouemb.* *Plutar.* 715 *Goltz.* V. Kal. Decemb. Hic dies partim funebri, partim triumphali actus eſt pompa. fiebant enim inferiæ Gallis, Græciſq. defoſſis in foro Boario. quo item die P. Ventidius Nepos Proconſ. de Tauri montis accolis, atq; Parthis triumphauit. atqui noſtrorum mors non eget inferiis, quia inferuntur cœlo. *Baſilei* verò præſulis triumphus planè regius fuit, & nomini congruens: nec minor ille qui † *Maximi*. porrò *Iacobi* interciſum ducem conſequuntur penè innumerabiles cum laureis, parta de Ildegerde barbaro, & impio rege victoria. interciſus eſt ille, ſed memoria virtutis non intercidit.

28 *Nouemb.* *Alex. ab Alex.* IV. Kal. Decemb. *Aegyptiacus* hic dies eſt à Veteribus, & inter infauſtos, ac triſtes numeratus, quẽ tamẽ fecere ſibi fauſtiſſimum noſtri, in primis ii, qui pro religione ſtrenuè, atq; alacriter occubuerunt. Eodem hoc die Semideis, & Heroibus honores habiti Romæ. ſed illi potiùs diuinitatẽ, quãtum fas eſt homini, attigerunt, qui virtute maximè excelluerunt. heroes verò cẽſendi sũt, qui rebus pręclariſſimè geſtis, & pugnis pro religione ſtrenuè pugnatis inſignes fuerũt. infinitus apud nos horũ eſt numerus. Bizantium hoc vnò die ſupra trecentos, & quadraginta recenſet, quos ardor animi in Conſtãtinum Copronicum, ſacrarum iconum hoſtem armauit; quemadmodum & † *Gregorium* in Leonem Armenũ. adde eos Præſules, qui Ariano regi Genſerico acriter reſtiterũt. adde deniq; auſpicata illa nomina, & cultiſſimo religionis agro maximè congruentia, *Hortulanum*, *Florentianum*, & cum *Creſcente* *Creſcentianum*. ecquis enim neget, Chriſtianam religionem eſſe inſtar amœniſſimi horti, in quo excolẽdo ſanctiſſimorũ hominum deſudet induſtria? fons, quo hic hortus irrigatur, non vnus eſt, & ipſe videlicet ſudor, & ſanguis; vt mirũ non ſit, quòd iacta pietatis ſemina
Plin. tam ſubitò, ac tam pulchrè erumpãt in germina, atque ſuc-

cre-

crescant.nam si tam scitè Natura cõsueuit in agris pingere, quid de hoc agro dicemus, vbi id, quod diuinis honoribus colitur, Numen est cultor? præ hoc illi ipsi Adonii, & Alcinoi celebres horti, aut qui apud Indorum reges esse dicebantur, steriles, inculti, atque horridi videntur. mira profectò species, & venustas horũ est florum; sed Virginum in primis lilia admireris & Martyrum rosas; nequè enim tantum habet gratię lilium siue id, quod candicans est foliis, & stamine luteo; siue id quod cruentum appellatur, cui rutilus color, & ardens; quantum habet gratiæ in virginitate candor, & pudor. sit lilio maiestate regia cinctum caput. sint argenteorũ foliorum striati ordines; radiet in eo aurum, fulgeat purpura, crocus accendatur in flammam; at cum pudicitia virginũ certare nõ audeat, nã & ideò illi cernuum Natura caput, & collum inflexit, vt hanc veneretur. Neq; verò illa ipsa, quæ quasi purpurea se palla vestiuit, vt florum reginam ostentet, rosa, cum Martyrum sanguine vel de decore, vel de honore contendat, nisi velit non modò picta rubescere, sed victa erubescere. nostris certè Martyribus pœnarum aculei pro vallo fuerunt; germinat illa primum granoso cortice tumescente, & in virides alabastros fastigiato rubescens dehiscit, ac sese pandit, in calycis medio sui stantis complexa luteos apices, ac sicubi latet, odore se prodit; Martyrum verò fama, qui attigerũt fastigium gloriæ, orbem terræ virtutis fragrantia complerũt; nec vllus turbo eiusmodi florem, aut decussit, aut infregit. vidimus alias in religionis horto vernantes *Anthusas* plures. & *Liliosam*, & *Rosam*. occurunt sæpe *Florentii, Florentini*; sed haud scio an vnquã accommodatius, quã hodierno die, quo cõuenit cũ *Hortulano Florentianus*; & vt florũ ad coronamẽta vsus appareat, etiam *Stephanus*. 27 *Iul.* 22 & 37 *August.* 4 *Sept.*

III. Kal. Decemb. Ludi Sarmatici Romæ continuati. sed nulla spectacula dies hic sibi dari postulat à veteribus, quia à † *Saturnino* Tolosano præsule gratiora dantur, qui, vt funus in pompam verteret triumphalem, pro religione occubuit in Capitolio. habuit enim Tolosana vrbs, ad Romani similitudinem, Capitolium suũ. ex eius arce deiectus resiliuit quodammodo sublimior gloria. ornant autẽ eius triumphũ, qui in hunc diem incidunt *Paramone* duce trecenti septuaginta quinque cum laureis, tanquam ereptis signis, & aquilis deuicto præside Aquilino. ornat itẽ *Basilius*, atq; *Demetrius*; 29 *Nouemb.* *Gyral.* *Kal. vet.*

deni-

denique auersatur hic dies priscarum imaginum fumum; exsplendescere nouo vult igne, eo videlicet, quo *Philomenus*, quo *Saturninus* alter, & *Sisinius* hierodulus exusti sunt. atque vt clarissimus omni ex parte sit dies, inter illustres horum flammas occurit *Illuminata* virgo.

30 Nouemb. Alex. ab Alex. Pridie Kal. Decemb. Athenienses, vti diximus, vltimũ cuiusque mensis diem Demetrio sacrarunt, à quo liberati essẽt de Macedonica seruitute. at prçuenit religio cultu, & honore suos: hesternum enim diem *Demetrio* martyri dedicauit, hodiernũ fortissimo religionis duci † *Andreæ*, nempe ei, qui orbem terrarum, Thraciã præcipuè, ac Scythiam à communis, & immanissimi hostis tyrãnide liberauit cũ *Andrea*, qui à fortitudine sortitus est nomen. congruenter se *Constantinus* iungit, qui Pelagianis etiã cum vitę periculo acriter se opposuit, quanquam fortitudinis, & constantiæ laus in puellis etiam locum habuit, vt in *Maura*, & *Iustina* virginibus, pro religione sponte deuotis, quibus ob decus pudoris se societate necis *Castulus* libenter adiungit.



Kal.

Kal. Nouembr.

COELITES omnes.

1 Nouemb.

Synop. *Cælitum gloria apud ipsos eorum tumulos ostenditur ex KaKodæmonum fuga. Martyrum præsertim constantia commendatur in perferendis supplicijs varijs, quæ ijs potius cesserint in decora.*

ENCOMION 349.

Quid calamus audeat in communi panegyri Cœlitũ,
qui in singulorum deficiens laude,
se fecit illaudabilem?
sit aureum os,at id virtute vincetur,quæ ferrum vicit;
sit ferrea vox,at eam vilem ostendent mores aurei.
quis eloquentiæ orbis tot circumplectetur coronas?
quæ circũducta periodus orbitã æternitatis æquabit?
Quantum stygij hostes eos exhorruere viuentes,
quos nunc exanimes horrent ad busta?
non timent campi, sed tumuli puluerem;
apud arentem eum puluerẽ viridius germinãt laureæ,
pulchrius efflorescit gloria.
aspectu pallidi cineris expallescunt metu.
dum è corporibus abire coguntur,solutis catenis,
tum maximè fatentur se captiuos.
apud muta marmora fremunt, exclamant,
scilicet veriti, ne tumulus pro Capitolio habeatur,
cum gemitu funestant suo, sed frustra,
siquidem lætior fit ex ipsis triumphatis plausus.
ipsæ stygis Vmbræ, dum fugiunt, faciunt hos illustres.
Nimirum ferro hi sibi fecerunt planum iter ad gloriã.
quas gestant manu lauros, ac palmas,
amputauit ille idem, quo cæsi sunt, gladius.
Orioni similes dicas stellato, atque fulgenti,
sed cœlũ serenũ,& pacatũ, contra quàm ille, reddunt.

cum

Cum ex eorum vulneribus,& multis,& amplis
cessauerat manare sanguis exhaustus,
non cessabat vberius vel gaudium manare, vel gloria;
adeò plus vtriusq; elicitũ est ab hoste,quàm sanguinis,
Illustrior his carcer,quàm Capitolium fuit,
quia solitus cælesti sæpe luce perfundi.
quò arctioribus sunt clausi cancellis,
eò se religio, & longius fudit,& latius;
manibus captiuorum more deuinctis,
triumphauere de Regibus.
At cum ad latomias sunt,& metalla damnati,
effoderunt ipsi sibi lapides
ad sua mausolea, immò ad aras.
quò duriora secta sunt saxa,
eò firmius obduruere supplicijs.
inter marmora non modò sunt visi marmorei,
sed ad vanos ictus adamantini.
certarunt in pœnis de gloria,& sudor,& sanguis;
vterque fons cõfluxit fertilem religionis in campum;
quò hic rubentior, eò viridior fuit.
porrò cum è natalibus eiecti sunt sedibus,
fecerunt sibi patriam orbem terræ.
nunquam pietas aut flagrauit ardentius,
aut germinauit lætius,
quàm cum interdictum est & igni,& aqua.
mitescere ab ijs didicerunt vel tauri,vel scorpij.
tametsi pro veris inuenit impietas fictos,
vt veritatis præcones perderet.
Acciderunt sępe ad inermium pedes
exarmati leones non vngui, sed ira,
vicerunt Libyę monstra maiore monstro,sed grato;
quia stimulatas ab hominibus feras fecerunt humanas.
veneno homines tumuere,non angues.
inter circumplicatas serpentium spiras, & orbes,
imago æternitatis est obuersata,non mortis.

Cum

Cum parceret acies ferri, hostis ipsum acuit plumbum:
quanta in solido duritas, tanta in liquido diritas;
sed effecit infusum gutturi plumbum,
vt de religione vox edita ponderosior esset, & firmior;
distenti sunt in machina nerui,
sed resonuerunt, velut in cithara, dulciùs,
in equuleo impositi, cataphractos egerunt equites:
nihil in his habuit Fortuna virium,
qui volubiles eluserunt illæsi rotas:
infixi aculei acuerunt ad tolerantiam animos;
defixit rotas clauo non necessitas, sed libertas.
Insilierunt vltrò in flammam, immò exilierunt
alacriore motu, quàm flamma.
crepitantes, ac strepentes ignis linguæ
mutos stupore fecerunt tyrannos,
quòd lamberent, non amburerent membra:
coronauit eos luce flamma, cum cingeret;
pyræ scintillæ in claros abierunt pyropos.
additus igni fomes,, pix, oleum, resina
non supplicij fuerunt alimenta, sed gloriæ.
subiecta ligna materiam, ac siluam suffecere laudum.
Inserti sunt cruentatis digitis calami,
sed his illi sibi titulos inscripsere victoriæ:
tantò elegantiore stylo scripserunt,
quantò acutiore acie fuere calami.
sed nihil prope Sol vidit immanius,
quàm sibi exponi corpora, ideò inuncta melle,
vt pœna esset amarior felle.
lictor ipse, quà constãtia, quà prodigijs sæpe cõmotus,
suas subiecit ceruices alterius securi lictoris:
laureatos abiecit fasces, vt acciperet lauream.
sæuierunt, an seruierunt Cæsares cæsorum gloriæ?
hebes, vt plurimùm, in ceteris membris ferrum fuit,
à capite tantùm non abstinuit, & à collo,
ꝗ illud triumphali lauru ornandum esset, hoc torque.

Kal. Nouembr.

1 Nouemb.

S. MARCELLVS

Episc. Parisien.

Synop. *Ex ardenti camino illæsus exiuit. cum in sacrificio deesset vinum, aquam in hoc conuertit. cum Antistitis sui manibus aquam infunderet, balsamum fluxit. draconem necauit sepulchris insidiantem.*

ENCOMION 350.

Illustris hic fuit ab ipsa, quam subijt, flamma:
iussus extrahere ferrum è camino candens,
impunè extulit, nec incanduit.
prodigiosus etiam in aqua fluminis fuit.
verti eam iussit in necessarium sacris vinum;
vnda fuit in Sequana, in manibus vinum.
mirari omnes, quomodo sit ortus palmes in palma;
florente simul, & expressa prælo vindemia.
vidit in famulo Gallia, quod in hero Galilæa;
at hoc est factũ ex aqua vinum, vt fieret sãguis diuinus.
illud præcessit tempore, hoc honore:
inter hæc maximè vina abstemius ipse, ac sobrius fuit,
nec minus mirandus ipse, quàm vina.
alienus à delitijs, præterquàm in prodigijs;
cum enim infunderet Antistiti manus abluenti aquã,
decurrere cœperunt balsama.
miratus est ille, pontificias iterum sibi inungi manus;
alteram quæsiuit aquam, vt priorem elueret.
mira vis huius, cui aqua vel flagrauit in vinum,
vel fragrauit in balsamum.
idem abegit draconem insidiantem sepulcris;
plus baculo potuit, quàm balista;
exangues est tutatus ab angue.
quantus fuit hic, qui immortale adeptus est nomen
etiam à defensis mortuorum tumulis;

IV.

IV. Nonas Nouembr.

S. PEGASIVS

Martyr.

2 Nouemb.

Synop. *Pegasius hic in morte recitauit vatis carmen, quo dicitur, apud Deum esse fons vitæ. contemnitur præ hoc Pegasus eliciens aquam. pertulit uirgas, & ignem. Saporis matrem ad martyrium accendit.*

ENCOMION 351.

Euolasti non fictis alis in Cœlum, Pegasi,
lapideam in pœnis prætetulisti constantiam,
ex hac elicita est vnda sanguinis.
satis idoneam edidisti illam moriens vocem;
Quoniam apud te est fons vitæ.
consecrasti factum, exaugurasti fabulam.
nunquam magis tyrannus desipuit Sapor,
quàm cum admoueri iussit tuo lateri virgas;
non sensit, à se vrgeri currentem, immò & volantem;
non considerauit te alis instructum tuis
non egere stimulis alienis.
cum te neruis extentum suspendit in aere,
no bilem alitem fecit.
cum igne adussit, accendit ad cursum;
mirus è tuo rogo dicitur odor afflatus;
ita non modò Pegasus es visus, sed etiam phœnix.
Iouem calce deturbasti, antequam peteres astra,
concussisti pedibus terram,
vt simulacrum rueret eius, qui Cœlum quatit.
multos prodigio ritè initiatos
erexisti in Cœlum alis tuis,
ipsam inprimis Saporis regis matrem.
iniecit hanc pro religione Sapor in ignem,
hoc Nerone sęuior, q̃ Naturã oppugnauit indignius,
quippe opposuit materno amori furoris flammam.

III, Nonas Nouembr.

S. MALACHIAS

Episc. Connerthen.

3 Nouemb.

Synop. *Lunaticos in primis sanauit, ac surdos. sibi vitam eripere conantes subita tẽpestate absterruit. Regi captiuum sibi creditum detinenti oculorum vsum eripuit; mox resipiscenti oblato pomo restituit.*

ENCOMION 352.

De natali barbarie non traxit hic magis,
quàm de sale materno piscis.
si negotiosum videres, diceres patriæ natum,
si feriatum, Deo.
secum semper erat, nisi cum amori velificaretur suorũ.
in Lunaticis maximè sanandis fuit mirus,
scilicet quasi Sol Hyberniæ sub se habuit Lunam.
aperuit & surdorum aures, digito pro claue vsus.
mitissimus, sed concussit elementa, cum voluit.
sicarijs eripere lucem conantibus opposuit nubes,
ex S. Ber. corusco gladio fulmen igneum;
iterum solo aspectu lictores exterruit:
vidisses paratam hostiam, & victimarios cum ferro;
defuit ceruicibus vulnus, non ceruices vulneri;
stupuerunt carnificũ lacerti, ne eum lacerarent telis;
Regi auferenti captiuum sibi cõmissum, abstulit lumẽ;
clausit eius oculos, donec reclusit carcerem;
caligine damnauit, donec illum extulit è tenebris;
fecit, vt sceptrum cæco Regi pro vili baculo esset,
sed eundem resipiscentem oblato pomo sanauit;
scilicet vitale pomum opposuit primo lethali.
tandem ipse viuenti similior, quàm mortuo fuit;
non est morte ipse mutatus, sed mutauit ceteros,
quia cessit planctus in plausum;
elatus est in tumulum feretro, in Cœlum laudibus.

Pri

Pridie Nonas Nouembr.

SS. VITALIS, ET AGRICOLA Martyres.

4 *Nouemb.*

Synop. *Alluditur ad vtriusq; nomẽ, Agricolæ serui, & Vitalis heri. pietatis officia mutuò inter se præstita commendantur. inter Iudęorũ tumulos primò sepulti sunt; deinde honorificè aliò translati.*

ENCOMION 353.

Accepit Agricola ferrum, vt meteret gloriam;
fudit libenter & sanguinem,
vt meritorum suorum plantaria irrigaret.
Crux, quam pertulit, pro aratro fuit, claui pro rastris.
At Vitalis tum se viuere verè putauit,
cum mortem obiret cum hero;
sed ambo pro illo hero, cui vnà seruirent.
serui constantia domini disciplina fuit,
secutus est hic, certus de fide serui, *ex S.*
quòd præiret paraturus locum. *Ambros.*
certarũt inuicẽ beneficijs herus, & seruus, nouo more,
nempè hic magisterio pietatis, ille honore.
miles imperatorem inflammauit ad pugnam:
Imperator militem præmisit ad lauream.
adeò nulla conditio affert impedimentum gloriæ;
non dignitas generis meritum, sed firmitas fidei facit,
æqua apud Superos lance penduntur
& libera seruitus, & serua libertas.
Inter Iudæorum sepulcra primò sunt conditi,
vt inter vepres purpureæ legerentur rosę.
ambijt superba illa natio
sepulturæ societatem habere cum seruis,
quorum dominum impia, & negauit, & perdidit.
inter arentes ipsos hostium cineres
accepit immortalitas sanguinem triumphalem.

Pri.

Pridie Nonas Nouembr.

4 Nouemb.

S. EMERICVS

Filius Regis Angl.

Synop. *In coetu religiosorum hominum accurrens ad vnum ex ijs iuniorem, osculum dedit, quòd diuinitùs cognouisset, integro ipsum esse pudore. quidam scriptum in pagella suum scelus cum in eius tumulum intulisset, deletum inuenit.*

ENCOMION 354.

Osculo, Emerice, distinguis pudicos;
nempe apis es, accurris ad florem;
imprimis labella, & exprimis nectar.
præfers videlicet te Stephani Regis filium;
cum floridam adaptas pudoris coronam,
non contentus regni aurea.
Herodot. re declarasti, quod prisci Reges typo,
quia sceptri apicem ornare sunt soliti lilio.
flagras amore pudicæ fragrantiæ.
vnum non delibasti florem, sponsæ,
ne se iactaret Venus.
illa tibi arrisit venustas, quæ caret Venere;
idē, præ regia, amasti purpuram, quam tingit pudor;
ostendisti te Regem apum sine aculeo,
cum absoluisti crimine catenatum reum;
delesti plenam dedecorum syngrapham;
ignouisti labenti, qui non noueras labem;
è tumuli solio edictum veræ pronunciasti vitæ;
nihil inuenit mollius reus,
quàm tribunal tui sepulcri marmoreum:
ibi protulisti sententiam,
vbi putabaris iacere sine sensu.
apud mortuum reus reperit vitam.
ibi deletas sensit vitæ maculas,
vbi ceteri habent mortis sordes.

Pridie Nonas Nouembr.

S. CAROLVS

Borromeus Card. 4 *Nouemb.*

Synop. *In eius ortu cubiculum subita luce perfusũ est. liberalis fuit in egenos, & ęgros, prasertim pestis tempore. pila plumbea ictus, nec læsus. crucifixi Christi imaginem fortè inuentam inter delitias habuit.*

ENCOMION 355.

Oriente Carolo prodigiosa oborta lux dicitur:
ceteri infantes à matre proferuntur in lucem,
hic infans parienti matri peperit lucem.
ceteri accipiunt lucis vsuram, hic etiam dedit.
piè colendus est odorati fragrantia thuris,
qui in graue olente peste tam pius fuit.
eius virtus nunquam enituit purius,
quàm sub infecto aere.
pallor insitus auro tunc maius accepit decus,
cum hoc Carolus effudit in pallidos.
elusit pilæ ictum, licet non assuetus loricæ, sed loris
nullum mollius pectus, quàm quod liquesceret Deo;
nullum durius, quàm quod impenetrabile fuit æri.
nimirum nihil illi erat commune cum puluere,
cui cognatio fuit tanta cum Cœlo.
noxius puluis ei adhærere non debuit,
qui alienus à noxis non inhæserat terræ. *Horat.*
fumosas maiorũ imagines despiciendo fecit illustres;
non ex luce fumum, sed ex eo fumo protulit lucem;
pręposuit ijs imaginibus apud Verallum montem
sculptam Dei è cruce sanguinem fundentis imaginẽ.
eam ambijt purpuram, quã tingit aut amor, aut pudor.
nondum accepto insigni galero, sed nuncio,
ad ipsum Romani muricis nomen erubuit statim.
ita cõtulit illi decus purpurę virtus antequàm Roma.

Pri-

Pridie Nonas Nouembr.

S. AMANTIVS

Episc. Rhuten.

4 Nouemb.

Synop. *In alios mitissimus, in se asperrimus fuit. Tempestatem excitauit, & procellam, qua idolum euertit: mel ipsius aluearis à fure raptum, versum est in picem; sed illo resipiscente, mirè in mel rediÿt.*

ENCOMION 356.

Nihil habuere tui ciues amantius, quàm te præsulem;
nihil habuisti tu hostilius, quàm te ipsum
sponte excruciatum fame, siti, laboribus.
odere Stygij hostes maximè omnium Amantium,
accepta videlicet non semel strage.
sumpsisti horrendas de impio simulacro pœnas,
cum iustam ob iram turbato tuo vultu turbasti Cœlũ,
euocato per ardentes preces ardenti fulmine:
arsit ara igne non suo, sulphure afflata pro thure;
accepit ipsius simulacri, cui calebat, cinerem.
Titanes cum impetũ aduersus eosdẽ Deos fecissent,
percussi dicuntur fulmine;
tu non Titanibus modò, sed Dijs visus es fortior,
quia ipsos impunè fulminasti Deos.
pars simulacri excussa est in Lauanæ riuum,
scilicet vt nefarij cultus elueret sordes;
pars im campum, vt se victum hostis agnosceret.
vltus es Deos honoris diuini raptores,
vltus etiam homines alienæ rei prædones;
nam qui iniecerat in tuum aluear manus,
obstupuit, mel intuens versum statim in picem,
dulcedo in amaritiem cessit, flauus color in atrum.
visus est ipse sibi reus piceo dignus incendio.
sed quia dolore arsit, dulcem meruit veniam;
pix, fomes ignis, pari prodigio in mel redijt.

Pri-

Nonis Nouembr. 5 *Nouemb.*

S. GALACTION

Martyr.

Synop. *Alluditur ad græcum nomen, hoc est ad cœli galaxiã, seu lacteam viam. Pertulit flagra, & acutos calamos vnguibus insertos. lingua quoque illi, & manus, pedesque amputati.*

ENCOMION 357.

Sortitus haud fortuitò nomen à lacte Galaction *γάλα*
fecit, ne religionis Cœlum careret galaxia. *γάλα-κτος.*
sed vt pulchriorem ostenderet ad Superos viam, *Lac.*
sua sponte fuso cruore purpuream reddidit. *lactis*
habuit tamen in reliquis præclara candoris auspicia, *γαλαξίας*
nempe natus Leucippe matre apud Libanum montẽ, *Lacteus*
at celsior ipse animo fuit, quàm Libani cedri. *orbis.*
inuidit liuidus tanto candori Præses, *λευκός*
concidi totum iussit in orbem flagris; *Albus.*
sed lacteum orbem tot insigniuit astris,
quot sanguinis aspersus est guttis. *Libanus.*
infixit idem hostis acutos vnguibus calamos; *hebr. albus*
mira vis: metuit accipiter albę columbæ vngues,
metuit fieri præda prædator.
amputauit ferro linguam
ne scilicet pæana caneret religioni victrici.
sed quod lingua non potuit, scripsit calamus,
qui cruentis insertus est digitis.
tulit graue supplicium in leui calamo;
at nunquam constantior, quàm sub arundine visus.
amputari Præses iussit & manus;
nempe timuit ipsam, quã ferro exulcerauerat, dexterã.
denique ne ille curreret victor ad metam,
cruentauit pedes,
sed incessit pulchrior purpureis pedibus in galaxia.

VIII. Idus Nouembr.

6 Nouemb.

S. LEONARDVS

Lemouic.

Synop. *Beneficus in primis fuit erga captiuos; & carceri addictos, quos prodigiosè solutos liberabat. in occulta specu clausus diù delituit. cæcis lumen infudit. aquam ex aridis saxis elicuit.*

ENCOMION 358.

A Clodoueo Rege hic sacro fonte susceptus
spiritus hausit regios.
non aliam ab eo mercedem sui obsequij petijt;
quàm vt captiui abirent soluti.
ceteri aulici auro, ipse delectatus est ferro;
deuinxit arctissimè sibi eos, quos soluerat Regi;
illustrior factus, cum miseros eduxit è tenebris.
quin etiam eius absentis voluntas pro iussu fuit;
clarum ipsum fecerunt decora gentis, ac lumina,
clariorem nemorum vmbræ.
nunquam felicius se Rex venatum putauit,
quàm cum Leonardum occultam inuenit prædam;
feras insequens, in domitorem incidit ferarum.
extulit hic regium partum ex uteri vinculis,
qui extulerat subditos è carceris.
idem eduxit apertis vndas è rupibus;
clausos aliorum aperuit oculos,
etiam tum, cum ipse ab obitu clauserat suos.
mirata est Natura sui sibi regni claues ereptas.
vilia fuerunt anathemata Delphici templi
collata cum huius suspensis è tholo catenis.
cesserunt aurea Capitolij spolia ferreis ocreis;
nihil aut magnificentius visum est, aut iucundius,
quàm in Leonardi victoria laureata libertas
cum captiuis, sed ferro solutis.

VII. Idus Nouembr.

S. FLORENTIVS

Episc. Argentin. 7 Nouemb.

Synop. *Abdidit se in specum, ibiq; se exercuit opere rustico. feras nemoris sub potestate habuit, mutam, & cæcam Regis filiam sanauit. Solis radio per fenestram inserto mirè vsus est pro pertica, vbi suam suspenderet vestem.*

ENCOMION 359.

Ver fuit illud religionis,
quo Argentinensis effloruit præsul.
purpureum huius adolescentiæ florem
non sibi vendicauit Venus, sed venustior pudor;
vt tutiùs efflorescere posset, & pulchriùs,
nemorosa petiit loca;
patrio relicto auro tractauit ferrum.
vnà & coluit ritè Deum, & excoluit scitè humum;
scilicet edebat Florentio libentiùs tellus flores.
conatæ quidem sunt ferę siluestres vastare agellum,
sed repetijt pœnas, nutu eas cõpulit ad suũ tribunal.
Interim mirantur regii venatores vacuũ feris nemus.
stupent magis, cum vident consistere omnes ad specũ.
circumdatæ licet venabulis haud ineunt fugam.
Adducitur ille ad Dagoberti regiam;
qui vinctas tenuerat feras, statim soluit os filiæ;
muta hæc ignotũ antea salutat nomine ipso Florẽtiũ.
quin etiã eiusdẽ oculis à natura negatũ lumen infũdit,
versatus inter vmbras nemorum peperit lucem.
quinimmò habuit in ipsum fontem lucis imperium,
allocuturus. n. Regẽ, cũ, & ministro, & paxillo careret,
palliũ suspendit ad Solis radiũ per fenestras infusum.
nil curata puella primò pulchriùs, quã Florẽtiũ vidit,
nil admirabilius, quàm ipsum pietate emollitum
sed obdurantem radios Solis.

VII Idus Nouembr.

S. VVILLIBRORDVS

7 *Nouemb.*

Episc. Traiect.

Synop. *In eius conceptu sibi visa est mater videre Lunam miré in vterum suum se ingerentem. aquam hic vertit in vinum. aqua lustrali pestilentem aerem correxit. laxauit loculum, qui sibi mortuo erat angustus.*

ENCOMION 360.

Proditus es à luce, antequam editus in lucem,
quippe Luna de Cœlo sponte delapsa
per visum in os se matris ingessit;
hausta luce rutilauit vterus,
fratrem igitur habes Solem, si tu Luna.
Eusebius Iactauit olim se fratrem Solis, ac Lunæ
maximè omnium insipiens Sapor.
obstetrix tam lucidi partus
virtus nè fuit, an gloria?
iam tum fulgentis eius Lunæ cornibus
expressa est lunata, quam gessisti, tiara Pontificis.
nondum nato concessum, quod seni quondam heroi,
curuatos Lunæ instar habere radios circa tempora.
similis es visus, nisi quòd ille aquas fecit dulces,
tu dulciores, quia vertisti in vina.
vterque saxa soluit in vndas; sed ille virga, tu nutu.
promptior tibi Natura obsequens paruit.
aerem ille infecit ad pœnam,
tu infectum correxisti ad vitam,
non vsus (vt fit) igne, sed aqua.
nimirum est & Lunæ in aquas imperium.
denique emollijsti saxa, etsi parente genitus Saxone,
angustum tuo corpori marmor fecisti laxum.
immò solutum illud esset in lacrymas,
nisi voluptas excipiendo laxasset in gaudium.

VI.

VI. Idus Nouembr.

SS. QVATVOR CORONATI Martyres.

8 Nouemb.

Synop. *Plumbatis acerrimè cæsi sunt, quòd Aesculapium Medicinæ Deum colere noluissent. in arenarijs positi, & canibus obiecti, vt lacerarentur, qui tamen ipsos reueriti, lædere, aut tangere ausi non sunt.*

ENCOMION 361.

Numeretur vel hoc in prodigijs vestris,
q; plus vobis cōtulit obliuio, quàm ceteris memoria:
nisi enim diù latuissetis sine nomine,
essetis, non etiam diceremini, Coronati.
plumbeis cæsi globis, coronas adepti aureas.
accommodatè satis est adhibitum plumbum,
vt stabilior esset gloria.
sed illud ignaris maximè mirandum est visum;
quòd venerari iussi Aesculapium medicinæ parētem;
dixistis, ideò vos ei negare cultum,
ne periretis.
vulnera prætulistis curatori vulnerum.
scilicet cum eum in serpente coli vidistis,
metuistis meritò virus;
nouum consilium: vt religio splendesceret clarior,
illusistis Apollinis, hoc est Solis, filio.
nacti estis à nece sepulchrum in arenarijs,
nobiles videlicet habiti estis athletæ vel mortui.
iurè non gestis modò rebus Coronati, sed nomine.
ostentet, ac iactet Cœlum inter stellas coronas duas;
Roma inter Cœlites, quibus emicat, quatuor,
immò quæ occidant nunquam.
Abstinuerunt à vestrorum corporum laniena canes:
nempe agnouerunt in vobis hoc tantùm affine,
fidem in herum Deum, latratum in exteros Deos.

V.

V. Idus Nouembr.

S. THEODORVS

9 Nouemb. Martyr.

Synop. *Clarus antea militari disciplina fuit: ignem iniecit in fanum Cybeles siue Berecynthiæ, quæ mater Deorum est dicta. in carcere ab Angelis visitatus, & confirmatus est. ignem, & ferri aciem constanter pertulit.*

ENCOMION 362.

In Oriente primùm stipendia meruisti, Theodore,
vt tuorum fulgor armorum cum Sole certaret:
præclarus, cum ferrum hostili cruore tinxisti,
præclarior, cum tuo.
Incēdisti Berecynthiæ delubrū, hoc est matris Deùm;
vbera matris igne siccasti, vt omnes perirent nati.
sponte sanguinem profudisti tuum,
ne illa lac infunderet suum.
turritum eius caput victor subiecisti iugo;
è curru eā deturbasti; leonibus, quibus vehitur, fortior;
Mithol. clauis, quam illa gestabat, aperuit aditum tuæ gloriæ;
tympanum illius insonuit famæ tuæ.
par erat, eam, quæ haberi etiam volebat Vesta,
conijci à te in ignem.
admotum ad lacerandum tuo lateri ferrum
fortiorem te fecit, quia latus armauit.
exuri te iccircò siuisti,
vt cineribus tuis seruares ignem,
quo iterum fana flagrarent
non modò Berecynthiæ matris, sed natorum.
Inter militum tubas, ac lituos es versatus in campo,
inter Cœlitum citharas, & lyras in carcere;
circumfusus luce diuinitùs
prodijsti quasi bellator in Solem,
nec tamen puluerem collegisti, sed decus.

IV.

IV. Idus Nouembr.

SS. TRYPHON, RESP. ET NYMPHA Martyres, 10 *Nouemb.*

Synop. *Tryphon equuleo tortus est, & vngulis ferreis excarnificatus: lampadibus quoque adustus. passus est vnà cum Respicio, & Nympha: corruente Iouis simulacro, quod iussi venerari, spreuerunt.*

ENCOMION 363.

Insaniuit tyrannus, cum, vt te infirmaret, Tryphon,
equuleo torsit;
vt faceret eneruem, tetendit neruos.
scilicet arcum in se hostis armauit.
vngulæ ferreæ te munierunt ad cursum,
faces admotæ incitarunt.
tanquam in Lampadiphorijs facem alteri tradidisti, *Lucret.*
cum te Respicius tribunus inspiciens
secutus est eadem religione, eademq; constantia.
effecistis precibus vestris, an minis?
vt Iuppiter ex ara corrueret:
vestra vox fulmen veriùs fuit,
quo fractum est fictum Iouis.
quod montibus congestis conati sunt frustra gigantes,
sola vis vestri nutus effecit.
cadere tandem voluistis non ferro, sed plumbo,
nempe vt hoc possent obsignari facta præclara.
sit socia vestræ gloriæ Nympha virgo,
quæ æmula fortitudinis fuit.
expiauit hæc sanguine Nympharum nomen incestum,
quod fontibus ipsis inquinauerat fabula.
ceteræ Nymphæ ad liquidos amnes ducant choros,
hęc ad riuos, & vestris cruoris, & sui,
omnium hæc est visa pulcherrima,
quia lymphæ Nympha purpureæ.

IV.

IV. Idus Nouembr.

10 Nouemb.

S. TIBERIVS
Martyr.

Synop. *Aparente in ipsum, præter Tyrannum, sæuitum est. probatus est in lupanari. feris obiectus, sed illæsus. lictoris manus exaruit. dum in catasta torqueretur, fanum terræmotu corruit.*

ENCOMION 364.

Nondum liquet, vter Tiberio iniquior fuerit,
tyrannus, an pater.
conati sunt eum à vera religione reducere
ille supplicijs, hic blanditijs.
sæuior hic, qui filium in lupanari conclusit,
quàm ille, qui Libycis obiecit feris.
facilius fuit leones superare, quàm lupas.
traditus est (prò facinus) lacerandus homini
is, cui pepercerant belluæ.
sed aruit lictoris manus, ne maderet sanguine,
stupuit manus vanitate ictus,
obstupuit animus securitate constantiæ.
vt cæderetur acrius, in catasta est altè suspensus,
sed interim fanũ torræmotu horribili corruit;
altior ipse, atque sublimior factus
sub se despexit hostilis ruinæ puluerem.
non indoluit ipse cæde,
sed Dij excidio.
terram trementem vnus vidit immotus,
constantia fecit, ne superstitio staret.
Hæc admirata nobilis matrona Florentia,
sponte se sociam mortis adiunxit.
scilicet inter tot procellas, ac turbines
lictoris manus exaruit,
Tiberij virtus efflloruit.

III.

III. Idus Nouembr.

S. MARTINVS

Episc. Turon. 11 *Nouemb.*

Synop. *Militarem primò artem strenuè exercuit. pauperem parte sui pallij gladio discissa induit. tres excitauit a mortuis: moriens KaKodæmonem ad se accedere audentem elusit, atque abegit.*

ENCOMION 365.

Salue auspicio tui nominis victor,
galeatusnè miles, an infulatus præsul?
nobilior quòd inopi consulens spoliaueris te ipsum;
quàm quòd opulentis victis aliena detraxeris spolia;
quòd obtuleris indusiũ, quàm quòd retuleris exuuias.
non tàm illustres fuerunt, quas accepisti, manubiæ,
quàm lacinia, quam largitus es manu;
laudabilior gladius, cum abscidit chlamydem tibi,
quàm cum caput hosti.
habuit Mars nomen tecum commune, non decus;
illius caput illuminarunt Acidani radijs fictis, *Mithol.*
tu igneo, & radiato orbe ad aram verè fulsisti. *Gyral.*
sed hoc à Marte quàm longissimè distas,
quòd nulla tibi res cum Venere fuit.
non tam hostis barbarus militarem extimuit lituum,
quàm Stygius pontificium tuum;
quippe ter reddere iussus est Manes.
sed in Morte maximè prætetulisti Martem;
nunquam visus es animosior, quàm agens animam.
didicit te ille etiam timere languentem:
graues illius minas, leues veluti nubes
tenuissimo, qui superar, halitu, extremoq; difflasti.
stratus in cinere, pro arena, cruentã appellasti belluã. *θήριον Bellua.*
quàm martiali fuisti robore, *μάχομαι Pugno.*
qui thiriomachus esse voluisti etiam moriens?

III. Idus Nouembr.

S. MENNA Martyr.

12 Nouemb.

Synop. *Diù arma tractauit, tùm ad amphitheatrum venit, vbi in honorem Deorum ludi celebrabantur, eosque increpando interturbauit: quamobrem taurinis neruis est cæsus, & igne combustus.*

ENCOMION 366.

Spectabilis miles hic fuit in campo;
spectabilior athleta in theatro.
accessit ad theatrales ludos,
vt Dijs illuderet;
ad certamen se contulit equestre;
vt inijceret fræna licentiæ.
è campi puluere feliciùs venit
ad theatri arenam.
nouus athleta non est perfusus oleo;
sed cruore suo;
hoc pulchrius certamen, quòd in turpes initum Deos,
vt haberent, pro ludis, ludibria.
serium factum est certamen ex ludicro:
maiores dati sunt plausus
huic ictus ferenti fortiter,
quàm ceteris inferentibus immaniter.
nemo celebriores dedit ludos,
quàm qui supplicia lusit.
cum taurinis cæsus est neruis,
gauisus est, addi sibi constantiæ neruos.
acrior fuit cum occisis tauris pugna, quàm cum viuis;
substrati quoque sunt murices ferrei,
sed suis aculeis eum stimularunt ad pugnam.
denique cõbustus est in theatro, sed auspicata flãma;
nam cinis ipse commistus arenæ visus est pugnax.

Pri-

Pridie Idus Nouembr.

S. MARTINVS
12 *Nouemb.*

Pont.Max.M.

Synop. *Sacris operantem ad aram Virginis, quæ à præsepi dicitur, dum lictor necare aggreditur, repente fit cæcus. tandem in exilium eiectus est à Cōstāte Imperatore, qui deinceps infelix fuit.*

ENCOMION 367.

Desiste, Roma, custodem imperij iactare Martem,
veriùs fatere Martinum.
non hic pro te caput deuouit hostile, sed suum.
à Marte fingis genus, meliùs effinge à Martino mores.
obiecit iugulum ad aram Virginis à præsepi dictæ,
quia mors ipsi natalis fuit.
infulatam victimam, ouemq; se fecit pastor,
tametsi lictor impiè, non ritè mactauit;
cæcus subitò effectus in ictu errauit;
lucis vsuram eripere conatus, amisit lucem;
sensit tenebras, nec tamen extinxit hunc Solem.
Audiat quisquis Romæ non paret;
qui ter verendum parentem insequitur, cæcutit.
non siuit Deus, vices tenentem suas addici morti
apud cunas, in quibus ipse auspicatus est vitam,
noluit ibi exhauriri sanguinem, vbi lac hausit.
cernebat interim hic versatilis aciem gladij
acie oculorum immota:
non defuit ipse ferro, sed carnifex;
gladius non teli vsum præbuit, sed bacilli,
non vt hunc cæderet, sed ne ille caderet.
at hic stabilior fuit, cum exul errauit.
constantia vicit Constantem Cæsarem,
nihil illi deinceps, hoc à sede demoto, firmum fuit;
inconstātē postea fortunā Cōstās sēper est questus.

13 Nouembr.

Idibus Nouembr.

S. HOMOBONUS
Cremonensis.

Synop. *Cum noctu accedebat ad templum, clausæ fores ei sponte patebant. aquam vertit in vinum, vt pauperibus subueniret. cum totus occupatus esset in precibus, interim, pro ipso, vestes elaborabant Cœlites.*

ENCOMION 368.

Apertam hic semper habuit Dei regiam, templum,
quippe qui nunquam pauperi domum clauserat suam.
eius nutu aquæ mirè cesserunt in vina,
solebat scilicet miserorũ lacrymas vertere in gaudia.
manus extẽdebat aut ad indigentes, aut ad Indigetes.
acum tractauit, acuens nobiliùs mentem.
miraculo fuerunt elaboratæ vestes sine labore;
siquidem adhibuit ad operis ministerium Cœlites,
succedens ipse precando muneri Cœlitum.
exercebant illi artificio manum,
dum hic pietate animum, fletu oculos.
vt indueret pauperem,
non dubitauit inuitare ad societatem artis
magnos, ac diuites Cœli Proceres,
qui purpuram attexerent suam.
quin etiam vita functus miserorum consuluit vitę;
opertus ipse tumulo aliorum aperuit oculos,
qui viuens nemini suam clauserat manum.
cum fila tractasset, vt prorogaret inopi vitam,
etiam secto vitæ filo, stupentibus Parcis,
fuit munerum prodigus.
intra mutum sepulchri marmor inclusus
tribuit ceteris vsum linguæ;
aptam videlicet illam fecit libenter ad preces:
quid precibus lingua posset, expertus.

XVIII.

XVIII. Kal. Decembr. 14 *Nouemb.*

S. LAVRENTIVS

Episc. Dublensis.

Synop. *Cædere se solitus erat sponte flagris acerrimè. lixiuio cibum condiebat. patriæ incōmodis succurrit. mare placauit. anathemate percussum furem pene consumpsit frigore. in Augensi castro obijt.*

ENCOMION 369.

Gaudet nō modò Hispania Laurentio, sed Hibernia.
Regis hic filius obses tyranno datus impio,
malè vexatus, regia exutus est purpura,
at ipse ter in diem flagris se purpureum fecit.
tunc maximè laureatus, cum fuit apud hostem.
lituus postea pro sceptro obtigit.
neutrum voluit, sed est occupatus ab altero.
panem lixiuio mistum edebat.
nēpe vt candorem, & mundiciam conciperet mente.
In patriæ vastitate plus ipse lacrymarum fudit,
quàm hostis ignium.
coniecit eū pietas inermē inter arma media, sed fortē.
damna, quæ intulerat ferrum, reparauit auro.
composuit non modò patriæ, sed Oceani fluctus:
obsecundarunt eius suspirijs venti;
cessit gemitibus vndarum fragor, ac murmur.
At prædonem bonorum, quæ ipse reseruabat inopiæ,
percussit acri anathematis fulmine.
mirum dictu. percussus igni prædo obriguit frigore,
frustra villoso se munijt tegmine.
didicit reus etiam timere fulmen à lauro.
scilicet ne eius ignis metu careret, obriguit.
obiturus hic tandem in castrum abijt Augense.
luce post obitum locus effulsit immensa;
nempe ostendit, se vel ab occasu, esse Solem in Auge.

XVII.

XVII. Nouembr.

51 Nouemb.

S. LEOPOLDVS

Austriæ Marchio.

Synop. *Dictus est cognomento Pius. templa ornauit, totus pietati deditus. prole foecundus fuit in religionis bonum. Austriæ Dominus Austriacorum Regum, ac Cæsarum pietati praire visus est exemplo.*

ENCOMION 370.

Cognomentum, Leopolde, adeptus es Pij;
si Magnum dixisset fama, dixisset minus.
ne te illaquearet aurum,
templorum laquearia deaurasti, non aulæ.
deuouisti aurum pietati, ferrum impijs.
penè totus occupatus in excitandis delubris,
ostendisti, has esse arces, & propugnacula vrbium.
coniugis tuæ peplum à vento in siluam raptum,
dedit auspicium templi fabricandi loco.
docuisti scilicet templum esse pudoris regiam;
coram Cœlitibus obnubendum caput.
excubare leones solent ad delubra, sed ficti;
excubuisti tu, Leopolde, verè ad pietatem factus,
illi marmorei, tu colliquescens lacrymis.
militarunt in hostes non minus oculi, quàm manus;
fuisti numerosa prole Principum felix,
vt disceres esse plurium miserorum parens.
coniugem habuisti Cæsaris Henrici filiam,
fausto omine inferendę in Austriam purpuræ.
Habent Imperatorum aquilę quem intueātur Solem;
illustrior fuisti prodigijs mortuus,
ne subijsse videreris occasum.
Val. Max. Iactet se Roma, quòd licet Cœlites acceperit,
tamen Cæsares dederit;
at Austria dedit vtrosque.

XVI.

XVI. Kal. Decembr.

S. EDMVNDVS

16 *Noutmb.*

Episc. Cantuar.

Synop. *Editus in lucem est mira munditie. corpus vexauit reti aspero, & plumbea tunica. videre eum sibi visa est mater cum corona ignea, sed aspera. despondit ipse se magnæ Virgini. pellicem, &* KaKodamonem *abegit.*

ENCOMION 371.

Ab inusitata munditie nascentis dictus Edmundus;
nihil tamen metuit magis in vita, quàm labem.
mirum genus ortus miro præsidio tueri voluit;
corpus implicuit asperrimo reti,
prȩda pudoris factus, ne fieret Cupidinis,
vel fortior ipso Marte, vel castior,
quem vnà cum Venere captum dixerunt reti; *Mithol.*
quin & plumbeam induit tunicam:
munijt se in procellas libramento pietatis.
videre sibi visa est mater Edmundum
aspera præcinctum corona, sed ignea;
intellexit ardens filij studium in morientem Deum;
quinetiam hic magnam Dei parentem virginem
annulo tanquam arrabone sibi despondit,
inscriptis Cœlestis nuncij auspicatis notis.
ausus est Stygij hostis insidiantis sibi
apprehendere manu guttur horrendum:
compressit tumidum superbientis spiritum;
nullum honorificentius munus exercuit,
quàm cum præstitit se lictorem,
pellicem sibi lenocinantem cædens acriter virgis;
laureatos inde victor retulit fasces.
lycèum, in quo docebat, subita refulsit luce,
eadem refulsit & tumulus.
nimirum clarè docuit, & viuere sapienter, & mori.

XV.

XV. Kal. Decembr.

S. GREGORIVS

17 Nouemb.

Thaumaturgus.

Synop. *A miris prodigijs ita dictus est, cum Iride comparatur, & præfertur. montem, qui tẽpli aedificationi impedimento erat, retroegit. vndantem fluuium ac latè vastantem agros virga compescuit.*

ENCOMION 372.

Dicitur & Iris ab admiratione Thaumantias,
similem Thaumantiæ dicerem Thaumaturgum;
nisi illi decor esset fictus, huic verus:
hoc certè inter se similes,
quòd iratum terris conciliant Deum.
expauit Natura ad imperium hominis,
non tantum in alijs comminisci potuit fabula,
quantum prodigiosa in hoc egit veritas.
Titanes collegerunt montes, insecuturi Deos,
hic reiecit, obsecuturus Deo.
Amphion cautes compulit ad ædificium muri,
hic repulit ad ædificium templi.
mouit Orpheus saxa testudinis sono,
hic remouit precum,
Xerxes domuit ferro montes, hic nutu.
Diuinus olim heros fluuium elicuit virga,
hic procurrentem absterruit:
ille aquas exhibuit, hic inhibuit.
refloruit & huius virga,
sed fortasse admirabilius, quia post repulsum humorẽ:
Lycus rapaci fluuio nomen fuit, hoc est lupus.
quàm prouidus fuit hic pastor?
qui non gregem modò, sed pascua defendit à lupo?
quia magnam habuit fidem,
egit maxima supra fidem

XIV.

XIV.Kal.Decembr.

S. ROMANVS

Martyr. 18 Nouemb.

Synop. *Ignis cruciatum magna cum voluptate pertulit. ne alios ad religionem hortaretur, præcisa est ei lingua; sed nihilominus eadem constantia prodigiosè verba fundebat hortando.*

ENCOMION 373.

Nemini dignius Romana seruire debet oratio,
quàm Romano.
quamquã ipse elinguis factus, oratorem facit elinguẽ,
sed vna res dicentem animat, ꝙ idem elinguis orauit.
dictum est à quodam iactanter,
& facere, & pati fortia Romanum est.
dicendum veriùs, proprium id Romani est. *Val. Max. de M.*
Palæstinus genere, nomen accersiuit ab vrbe Roma,
vt se ostenderet magistræ religionis addictum.
cremari iussus, bustuarios increpuit tardos;
ignis, quo nihil leuius, ac velocius,
ipsi visus est morari.
nondum admota flamma, constantia fit illustris.
fieri eum iubet tyrannus elinguem,
scilicet timuit eius linguam loquentem,
qui non timuerat in flamma vibrantem.
fecit immanius, quàm si abscidisset caput:
nam occisus non doleret de ceterorum pugilum lapsu,
hoc egit, ne elinguis alios excitare posset hortando.
at ò prodigium. excisa est lingua ferro,
sed verba fluunt aurea.
mira res. germen sine radice, riuus sine fonte; *ex S.*
citharæ modulatio sine plectro. *Chrysost.*
prodigiosum est, mutos soluta lingua fieri disertos,
prodigiosius elingues.

XIII. Kal. Decembr.

S. BARLAAM

Martyr. 19 Nouemb.

Synop. *Nerui, ac flagra ei voluptati fuerunt. igni adusta est manus, & thus impositum, quod adolere Diis videretur, sed inuictam præsetulit mentem. Mutio Scæuola constantia, & virtute præfertur.*

ENCOMION 375.

Mirum spectaculum. pugil simul, & lacer, & acer;
in emortuo penè corpore vigor viuidus.
neruos, quibus est cæsus, musicè putauit intentos,
crepitus plagarum ei harmonicus fuit.
cum se nudatum vidit, existimauit athletam,
cessit in oleum cruor.
pertimuit tyrannus fortem pugilis manum,
iniecto thure cum prunis, & acerram eã, & arã facit.
quia mentem non potest flectere, conatur manum:
luctatur cum igni dextera, solutior, quia feruens.
hoc tantùm agit ignis, ne obtorpescat dextera,
dum flamma per mediam excurrit manum,
viget hæc porrecta semper ad luctam.
hæret calamus in tantæ appellatione virtutis,
statuam nè dicat æneam?
at hanc ignis emollit, & eliquat.
Scęuolæ faciat parem?
at ille finistram iniecit in ignem, hic dexteram:
omine scilicet dexteriore victorię.
flagrat vtrique manus igni,
at huic & thure fragrat.
planè inuictus heros, qui ardenti dextera
impegit quodãmodo superbo Diti alapam: *ex S. Chrysost.*
tametsi indignę fuerunt tam putidę genę,
quæ attingerentur tam odorata manu.

XII. Kal Decembr.

S. EDMVNDVS

20 Nouemb. Rex Angliæ.

Synop *Pro religione, ac suorum salute necem subijt: sagittis est confossus. caput resectum, & inter spinas proiectum cum lateret, mirè prodidit se voce. corpus inuentum sine vestigijs vulnerum.*

ENCOMION 376.

Edmundo Rege ex antiquorum genere Saxonum
nibil mollius ad pietatem religio habuit;
sceptrum illi contra vitiorum monstra pro claua fuit.
tunc se Regem putauit, cum suo rubuit cruore.
habuit Britãnia meliorẽ, quàm Gręcia Codrũ Regẽ,
qui pro suis se sponte deuouit.
A Danico tyranno affixus arbori, confossus est telis;
reliquit arborem posteris cruentam,
vt inde desumerent virgas regias
propagatas exemplo pietatis.
purpureum caput proiectum est inter vepres;
nouus Britannicis vepribus accessit decor in rosa,
in cuius purpura nihil se iactaret Venus.
ferrea telorum seges, quibus est confossus,
cessit in auream religionis messem.
abditum inter dumos caput
prodigiosè se patefecit voce;
nempe latere non potest virtus:
clamauerat & olim humo defossus cruor;
sed Edmundi cruor index sui maluit esse, quã vindex.
nulla post necem vestigia inuenta sunt vulnerum,
integris se viribus ostendit, vt pugnaret pro suis,
ex ipso tumulo progressurus in campum.
quinimmò vngues creuere mortuo,
nempe iis lacerare parato religionis hostes.

XI.

XI. Kal. Decembr.

S. COLVMBANVS
Abbas.

21 Nouemb.

Synop. *Visa sibi mater est, Solem edere. duodecim arreptitios curauit. liberauit alios cæcitate, alios carcere. mitigauit feras. futura præuidit vates. terra, marique prodigijs insignis fuit.*

ENCOMION 377.

Non nisi candido notandus fuit calculo dies;
quo editus est Columbanus in lucem.
candidus fuit, nisi quòd ministrum habuit coruum;
mirum spectaculum, coruus columbam colens.
ex Hibernia in Gallias se cōtulit, nempe allectus lilijs,
nihil illustrius eius natali fuit;
visa sibi est mater edere rutilantem Solem.
vter clarior hic, an Alcides,
cuius ortus oriri vetuit Solem?
labores exantlauit ille duodecim,
totidem hic Erebi monstra in obsessis edomuit;
primos quoque pietatis socios duodecim habuit;
ita tanquam per Signiferum Sol excurrit.
geometriam in primis edidicit,
emensurus videlicet radijs orbem terræ.
sibi deuotos carceris eripuit tenebris,
sibi insidiantes corripuit cæcitate;
hebetauit scilicet impiorum oculos luce natali.
lupos idem, & vrsos mitigauit in silua,
Solis instar gradiens impune per belluas.
aquas elicuit è rupe, pisces è mari,
Sol in aquario, Sol in piscibus.
Clotario Regi Francorum triumphum prædixit.
dedidicit Gallia consulere Dodonæ columbas.
nouum auspiciū victoriæ, quod Columba dat Aquilæ.

X.

X.Kal.Decembr.

S. CÆCILIA

22 Nouemb.

Virg.& Martyr.

Synop. *Apis est dicta. ab Vrbano hierarcha Deo dicata. alluditur ad apes Vrbani VIII. stemma. musica organa Cœlitum audijt. ignem elusit. caput reuelli non potuit securi. inuentum corpus, & honorificè conditum.*

ENCOMION 378.

Argumentosa dicta est apis Cæcilia,
studiosa floris, inimica Floræ,
versata circa rosam, auersata Deam rosæ.
aculeum solùm in impios exacuit.
Vrbani hirarchæ auspicijs egit omnia,
solent libenter apes aduolare ad Vrbani nomen.
alludit ad Stemma Vrb. III. sonuerunt huic api musica de Cœlo organa,
vt alias ad aluear secum adduceret fidei;
tametsi apem fumus exterret,
hanc neque ignis læsit.
contempsit ignes balneares,
quæ contempserat nuptiales.
in delicias huic vni thermæ verè cesserunt.
dicta esset ob pudicitiam virgo Vestalis,
nisi extinxisset ignem, qui ipsam excepit;
sed immortalem sponsi Dei
seruauit in ara pectoris custos sedula.
quòd non potuerint ceruices abscindi ferro,
argumentum fuit integræ fidei.
accepit tamen libenter ceruicibus vulnus,
vt gemmasceret cruor in torquem.
Diù post mortem latuit,
quæ castè latuerat viuens.
tandem sepulta in se Roma
protulit ex ruderibus hanc penè spirantem.

IX.

IX Kal. Decembr.

S. CLEMENS

Pont. Max. M.

23 Nouemb.

Synop. *Ad latomias damnatus, laborantibus aqua succurrit, quam agnus pede elicere visus est. in mare cum anchora proiectus. recessit mare, & mirè ibi inuentum marmoreum sepulchrum martyris.*

ENCOMION 379.

Effudit se tota tyranni sæuities in Clementem:
lapicidam fecit religionis petram;
iussit, à communi patre scindi viscera cõmunis matris.
aureis ablatis clauibus, dexteram onerauit ferro.
stultè putauit, eum posse ad latomias flecti:
tractatione marmoris, quid nisi firmitatem cõciperet?
inter metallorum venas patefecit aquarum venas;
vt lapicidarum lacrymas siccaret, marmora liquauit.
nulla sit fontis Caballini fabula,
crystallinus hic fons est elicitus agni pede.
fudit pes ille fixus sanguinem ex se, aquas extra se.
cessit in amœnum Heliconem supplicij locus.
Mergitur deinde Clemens in mare onustus anchora,
amaris damnatus aquis, qui exhibuerat dulces.
accepit libenter ille anchoræ omen,
vt eluderet procellas.
sed recessit subitò mare pacatum Clementi.
non exposuit in littus, vt maius esset prodigium,
nam nouum ostendit mausolèum.
marmoreum apparet delubrum intra marmor.
respondit labori merces, sed plane mira.
scilicet cum excidebat in latomijs saxa,
extruebat sibi ipse aras, ac templa.
quàm feliciter hic religionis gubernauit nauim,
cui scopulos in vsum delubri obtulit mare?

VIII.

VIII. Kal. Decembr.

24 Nouemb.

S. CHRYSOGONVS Martyr.

Synop. *Allusio est ad aureũ Chrysogoni nomẽ. apud profluentẽ pro religione necatus est. cum corpus in mare proiectum esset, elatum est mirè à piscibus: & redditum, vt sepeliri posset, littori.*

ENCOMION 389.

χρυσὸς aurum. γόνος generatio

Aureũ prętulit genus, & re, & nomine Chrysogonus.
quippe nobilem habuit virtutis prosapiam,
hòc laudabilior, quòd seculum nactus ferreum,
armatis in religionem tyrannis.
cum Cæsare Diocletiano pugnauit,
Suet. qui dormiens aureum habere sibi visus est tergum;
nempe reiecit post se veræ Sapientię decus,
quam Chrysogonus condiderat pectore.
àuri habuit omnia, præter pallorem,
non enim expalluit districti acie gladij.
hoc vnum, cum eum produxit, egit impietas,
quòd cauit, ne illius virtus lateret;
hoc egit ferrum, quòd eruit aurum.
necatus est ad aquas Gradatas,
vt ibi poneret gloriæ celsissimum gradum.
apud proflentes aquas stabilior constantia fuit.
sed nullis potuit aquis tantum paricidium elui.
proiectum cadauer est piscibus,
sed extulere illud in arenam fluctus.
desijt mare vel inuidere Pactolo,
cum in littus euoluere cœpit aurum;
vel Gangi, cum stillantis sanguinis gemmas.
statim eum in continentem vnda deuexit,
quia tam constanti viro, tam firmo
statio non fuit idonea inconstans mare.

VII.

VII.Kal. Decembr.

S. CATHARINA

Virgo, & Martyr. *25 Nouemb.*

Synop. *Ab vrbis Alexandria, eius patria, forma ducitur laus. eius constantia maximè in rota apparuit. victi ab ea philosophi, & martyres facti. ipsa post mortem elata est ab Angelis in Sinai montem.*

ENCOMION 381.

Nil Catharinæ accidit illustrius, quã inferi rotę radijs.
Alexãdria fuit patria, instar chlamydis Macedonicæ
condita orbe gyrato: *Plini.*
omen habuit bellatrix puella de orbe rotæ vincendo.
elusit Fortunæ tela, quę ipsi Fortunæ illusit;
effecit, vt eius inconstantiæ simulacrum rota
constantiæ deinceps esset suæ.
ostendit re, quod dicebatur à sapientibus verbo,
beatam vitam ascendere posse etiam in rotam. *apud M.*
clamosum hæc lycèum loquendo reddidit mutum. *Tul.*
Platonis vetus illa platanus
fulmine huius icta verborum concidit,
Zenonis picta porticus huius pugnę
posthabuit Marathoniam.
erubuerunt scilicet eloquentiæ candidati,
palluerunt philosophico tecti pallio.
parum his fuit inflammari sermone Virginis,
nisi ipsum sponte subirent rogum;
philosophati sunt clarius in flamma,
quàm sub opaca porticu.
puella vna multos fecit Calanos. *Plutar.*
meritò triumphi fuit illi pompa, non funeris.
duo per aerem baiulis sunt elata Cœlitibus,
domus magnæ virginis Lauretanæ,
& corpus Alexandrinæ virginis laureatæ.

VI. Kal. Decembr.

S. PETRVS

26 Nouemb. Episc. Alex. M.

Synop. *Acerrimè oppugnauit, & insecutus est Ariū. Christus ei per visum se obtulit conscissa impiè ab Ario veste ipse pro religione, quam tuebatur, libenter, & constanter oppetiyt mortem.*

ENCOMION 382.

Nemini acrior ineunda fuit pugna, quàm tibi
ἀρης Mars Marte degenerante in Arium.
ausus est Dei filio eripere imperij clauum,
patrem contraxit Deum, cùm Deo detraxit filio:
vt se faceret maiorem homine,
fecit illum minorem numine.
nemo se magis aut hostiliter armauit, aut impiè.
sed dum Romæ parentis effodit viscera, effudit sua.
olim ne à Macedone patria incenderetur,
Laert. Alexandrinus philosophus effecit Arius;
vt deflagraret orbis terræ impietatis incendio,
alter effecit Arius, nisi quòd stultus.
vulnerauit, vt aiunt, Diomedes Martem, tu Arium.
Homerus Martis nomen in Ario, sed maior audacia;
quippe ille barbarorum partitur spolia,
hic spoliato conscidit vestem Deo.
quod non accepit, cum è cruce pependit, probrum,
accepit, cum in Cœlo regnabat.
tunicam, quam reliquit integram lictor,
superior impietate lacerauit Arius:
sed scissam vt tu, Petre, committeres,
ceruices sponte scindi passus es tuas;
vt nudatum indueres Dei filium,
paternis regni detractis insignibus,
tuo illi cruore imbuisti purpuram,

V.

V. Kal. Decembr.

S. MAXIMVS

Episc. Rhegien. 27 Nouemb.

Synop. *Cœlestiũ rerũ contẽplationi deditus nõ abstrahebatur aliis curis. Lirinensi Cœnobio se addixit, insigni ob seuerã disciplinam. mortuos excitauit. rabidum canem mirè extinxit. à morte suauissimè fragrauit.*

ENCOMION 383.

Da veniam pietati, ne videar stultus,
qui Maximum coner facere laudando magnum.
inquilinus à puero fuisti simul, & profugus,
cum tuis manens, excesseras, quærens Cœlites;
Mirata est patria te ciuem intra sinũ pregrinari suũ.
in luce seculi positus
extra luxum seculi fuisti.
exulasti legibus non alienis, sed tuis.
non agnitus, imposturam fecisti vafritiæ.
agnitus, non cœpisti esse, quod non eras,
sed prodidisti, quod latuit.
statuisti victimam deuouere te Deo
impositam disciplinę Lirinensis arę.
clariorem te fecere vmbrę nemorum, quam lux vrbis.
nihil tuo vultu serenius fuit,
vel cum sub nudo Cœli axe vapulabas imbribus.
patriam fugis frustra; fatigas eius vota, non effugis.
plus illi tua virtus reddidit, quàm amor promiserat.
quippe vidit non semel excitatos ab Inferis Manes
non alio cantu, quàm precum.
rabie percitum canem solo extinxisti spiritu,
maior Alcide, qui Cerberum domuit claua.
exanimauit illum tuę vis animę.
quid mirum, quòd vita functus exhalaueris odorem,
qui tantum potuisti halitu?

IV. Kal. Decembr.

28 Nouemb.

S. GREGORIVS III. Pont. Max.

Synop. *Imaginum cultum defendit acerrimè. restitit Leoni iconomacho. erigi statuas Coelitum iussit, quantumuis oblatrantibus aduersariis, quo tempore terræmotu multæ Cæsarum statuæ corruerunt.*

ENCOMION 384.

Inter icones Cœlitum triumphales
prçcipuum sibi locum Gregorius vendicat,
quia de hoste iconomacho triumphauit.
aurea dignus statua, qui pro statuis se prestitit ferreum.
pastor populorum pugnauit cum imperatore Leone;
vngues, quibus lacerabat Cœlitum vultus, retudit;
vastantem aras pontificijs absterruit iaculis.
ornare templorum fores marmorei solent leones,
at ille durior ornamenta templorum sustulit,
in euertendis signis, impiorum signifer.
putauit, delere se posse iconum colores
innocentium sanguine,
sed eas purpurisso colorauit pulchrius.
falsò credidit, se in solio stare firmius posse,
si sacras deijceret statuas.
reclamauit immani audaciç ipsa Natura;
totus repente Oriens ingenti terrçmotu contremuit;
Constantini, ac Theodosij in primis statuç corruerũt,
visi sunt hi etiam post mortem pij;
noluerunt enim stare sua, deiectis Cœlitum signis;
confracta dolorem in ipso declararunt marmore;
passi sunt, vittata capita in puluerem solui,
dum sacri calcabantur cineres.
sed tamen habuit solatij plurimum spoliata religio,
quòd parentem onustum vidit victi Leonis spolio.

III.

III. Kal. Decembr.

S. SATVRNINVS Martyr.

29 *Nouemb.*

Synop. *Necatus est pro religione Tolosæ in loco, qui Capitoliũ dicebatur, Romano simile. muta fecit Deorum simulacra. constrictum est illi pro religione, atque compressum reste guttur.*

ENCOMION 385.

De Saturno, quem præfers nomine, habuisti nihil,
nisi quòd & aureum religioni retulisti seculum;
& Iouem perdere voluisti, immò Deos omnes.
In Tolosano Capitolio fudisti cruorem;
hostis ipse & purpuram tibi obtulit, & triumphi locũ;
desijt laurus in sinu Iouis deponi,
tuo iam capiti debita.
ex arce illa Capitolina præceps actus
tuo eam dedicasti sanguine:
fecisti, vt augustior esset Tolosana, arce Tarpeia.
illi caput ignoti hominis dedit auspicium,
huic interempti pro religione Præsulis.
in causa fuit, quod silentium indixeris Dijs.
mirata ciuitas est Deos repente Pythagoricos factos:
obstupefecisti in primis Apollinem mutum.
desijt ambigua reddere oracula,
te certa de eius exitio, & vera dicente.
frustra dicarunt linguas Mercurio iam elingui. *Mithol.*
sed dum te colligatum distrahunt reste,
ipsa reste magis Deorum constringis guttura.
infelix sors, vt Dij fatum nequeant lamentari suum.
fecisti de te disertas Rhetorum linguas,
cum iussisti Deos silere mendaces.
habeto vel hanc pro beneficio gratiam,
vt Saturnus tempori, Saturnine, præsis æternitati.

Pri-

Pridie Kal. Decembr.

S. ANDREAS
Apostolus.

30 Nouemb.

Synop. *Frater fuit Apostoli Petri, imbuit religione barbaras gentes. de cruce biduò pependit magna cũ mentis constantia, & animi voluptate. ibi ei lux oborta de Cęlo. eius ossa scatent prodigiosè nectare.*

ENCOMION 386.

A fortitudine sortitus es nomen,
quamquam solitus non gladium tractare, sed remum.
immò nemo Imperatorum fortior piscatore.
subiecit se vrbs Romana Petro, barbaries tibi.
Vrbem cessisti fratri, tu domiturus orbem,
sed quem ille regeret clauo.
solus, ac primus impios domuisti Thraces,
Achæos, & Epirotas.
fecisti, vt instabiles tentorijs Scythæ
in vna firmi consisterent fide,
erexisti, pro nobilissimo omnium trophæo, crucem.
det Imperator veniam, si fortè præferam militem.
tulit ille paucis horis crucem, tu biduo;
quamquam vt diù ferres, præstitit, qui breui tulit.
tenebræ illi pendenti obortæ, lux tibi.
quod luminis Sol subtraxit Deo; restituit tibi.
tunc maximè in lucem edi visus es, cum obijsti.
cum auferre conatus est hostis lucis vsuram, attulit.
moriens, apud Barbaros effudisti sanguinem,
mortuus, apud nos nectar;
quamquam, & sanguis, quia fuit amantis,
nectareus fuit.
hæsit Natura prodigio,
cum ex te inter salsas maris vndas educato
dulcissimum vidit elici fontem.

FA-

FASTI
veterum Romanorum, atque Græcorum collati cum nostris.



DECEMBER



Decembri nomen eripuit, vt nonnullis aliis mensibus, Commodus imperator, appellauitque Amazonium: præclarum verò nomen, ac plenum fortitudinis, nisi illud contaminasset causa; quia inditum est ex incesto amore scorti Martiæ, quam in Amazone pictam deperibat; quapropter & ipse habitu Amazonico in arenam Romæ aliquando processit. libenter certè December suum dedisceret nomen, vt Amazonius diceretur, si ratio haberetur nostrorum: nam sub initium mensis occurit *Barbara* virgo nobilissima, cui inter ceteros cruciatus, Amazonum more, abscissæ sunt mammæ, quo fortior, & expeditior euasit ad pugnam. Fuit autem December, quanquam gelidissimus mensis, in tutela Vestæ, & insignis cultu Vestalium. apud nos hoc mense ingens est numerus virginum. sed illa chorum ducit, quæ princeps, & parens est virginum, siue sine labe communi *Concepta*, siue sine probro pudoris pariens. illustris verò mensis est non tam illo igne Vestalium, quam eo, quo cum multi intra hunc mensem, tum penè innumerabiles intra capacissimum templum natali die Liberatoris nostri combusti sunt. Possidoniõ hunc mensem appellauere Græci, ob certamen inter Mineruam, atque Neptunum. at nostri inter se non nisi amore decertant. Apellæum appellauere Macedones: certè virtutum colores abundè suppetunt, nisi quòd facta nostrorum nullus potest Apellæus labor æquare. quanquam & ἀπελλαῖα Græci Lamprid.

sacra-

sacraria vocant;religione enim, ac pietate maximè abundat hic mensis, qui natalitius est Deo.

1 Decemb. Liuius. Kal. Decemb. Fortunæ muliebri sacer hic dies fuit, quo die bellum à Coriolano indictum deferbuit matronarum opera, cum Valeria sacerdos creata, auctor fuit maternæ legationis ad filium. nunc sanctissimæ matronæ sacer est *Nataliæ Adriani* martyris coniugi. Fuit hic item dies olim illustris nauali triumpho Cn. Octauij propr. de Perse rege Macedonum; sed multò illustrior apud nos factus *Olympiadis* viri consula is triumpho, quem de Diocletiani Cæsaris furore perdomito retulit cum fascibus, quas præferre solebat, laureatis adde alterum à *Diodoro* cum sociis actum: quo honore nec † *Eligius* præsul caret, opimis onustus spoliis de communi hoste deuicto. ac ne desit candidus calculus, quo lætissimus signetur dies, *Candida* ipsa opportunè se offert.

Onuph.

2 Decemb. Macrob. IV Nonas Decembr. Ater dies Romanis fuit, cùm aliarum calamitatum, tùm maximè Alliensis memoria cladis, & vulnerum, quæ acceperat postridie, siue Kal. siue Nonarum, siue Iduum: ex atro autem aureum fecit hunc diem certè *Chrysologus*, & moribus, & dicendi lepore verè aureus; quamquam *Bibiana* ex parte etiam purpureum fecit. Sed cur cum atrum appelles, quem vendicat sibi Oriens? † *Francisco* videlicet *Xauerio* Orientis Apostolo sacer est, viro clarissimo, & virtutibus, & prodigiis, qui meritò cum *Chrysologo* conuenit, quia non nisi aureo sermone laudandus hic, vt nouum orbem terræ subderet Romæ, multò maiorem de laruatis Diis stragem fecit, quàm quæ olim, licet omnium maxima apud Alliam fluuium Romanum nomen penè deleuit; cuius insignis victoriæ quasi omen *Francisco* dedisse videtur is, qui hodiernæ gloriæ socium se adiungit, *Victorinus*. Dicarunt secundum diem huius mensis, sicut & ceterorum, Græci Semideis, at verò *Franciscus* Deos ipsos sustulit, nisi quòd illos dum in partes fregit, Semideos fecit.

Χρυσὸς aurum λόγος sermo;

Alex. ab Alex.

3 Decemb. III. Nonas Decemb C. Marius procos de Liguribus triumphauit. atqui eo potius triumpho, & nobilitata, & gauisa Roma est, quem *Claudius* tribunus vnà cum familia, & septuaginta militibus laureatis de Numeriano Cæsare reportauit. nec potuit hic triumphus esse non lætus, cum triumphatori coniux adiuncta esse *Hilaria*. interest verò eius celebritati opportunè *Victor*. ac ne arescant laureæ est qui lati-

636 Goltz.

laurerum,& excolat, & suo irriget sanguine, martyr *Agricola*.at verò † *Birinus* presul non minùs pulchrum dedit spectaculum de triumphatis turpibus Saxonum Dijs. denique ne trabeæ desit purpura, eam satis fulgentem rex Britannorum offert *Lucius*.

Pridie Nonas Decemb. Quartus mensis dies apud Græcos Mercurio sacer fuit, qui ex quadrato lapide fingi solitus,quę figura index est stabilitatis, atq; constantiæ. at nostri hanc in eo maximè ostenderunt, quòd Mercurium ipsum cum ceteris Dijs spreuerunt. hanc firmitatem pręsetulerunt etiam puellę:testis est † *Barbara* virgo, in qua plus ornamentorum inuenit noua Roma,quā in barbaricis spolijs vetus.mammas hæc abscissas religioni obtulit, vt adolesceret lacte. porrò *Theophanis*,sociorumq;sanguinē *Bernardus* Parmēsis antistes ornat etiam Romana purpura, quā ei meritò detulit virtus. 4 Decemb. *Alexan.ab Alex.*

Nonis Decemb. Faunalia celebrata in pratis,ac filuis.sed inquinata superstitione nemora † *Sabbas* vir sanctissimus cū suis expiauit, & consecrauit. obsoleuerunt hæc monstrosa nomina,Fauni capripedes,Panes cornigeri,biformes Satyri, Nysigenæ Sileni, hirsuti, hispidiq; Siluani. quamquam non modò hos,quos dixere Semideos,sed quos integro Deorum cultu venerati sunt, nostrorum virtus exterminauit. ac *Pelinus* quidem Brundusinus antistes tanta vi præstitit, vt solo nutu fanum Martis ipsius euerterit, oppresso, ac tumulato intra puluerem simulacro. quæ animi fortitudo in huiusmodi monstris domandis etiam in fœminis viguit, vt in *Potamiæna*, quæ, vt res optatum haberet euentum, socios sibi adsciuit, & *Gratum*, & *Felicem*. 5 Decemb. *Rosinus.*

VIII. Idus Decemb. Genio Fausto libabant Græci, quo die nos † *Nicolao* præsuli magno vota facimus, quem, & religio sibi faustissimum experta est in Arij, & pudor in pro eorum pugna. fuit etiam, & ipse ad libamenta liquorem sanè mirum. fuit *Nicolaus* ex vrbe Patara, in qua Apollinis delubrum celeberrimum erat; quamobrem & Patareus Apollo est appellatus. in quo illud est magnopere aduertendum, videri quasi diuino consilio factum, vt *Nicolai* festum in brumæ initium incideret. nam Apollo ita sese partitus erat in tempora, vt sex mensibus æstiuis Deli oracula ederet, totidē autem hiemalibus in Lycia Pataræ. oppositus est igitur *Nicolaus* superstitioni etiam mortuus, vt ad huius potiùs tumu- 6 Decemb. *Plutar.*

lum populi confluerent, vnde certiora redderentur oracula, quàm ex illius cortina: dictus quippe est idē Apollo ob dubia, & ambigua responsa, Loxias. obmutescere cœperat hoc nascente, omnino siluit moriente. At verò Iudæis infaustus fuit hic dies, quo die Antiochus, appellatus Epiphanes simulacrum Iouis Olympij super altari collocauit in templo; contra apud nos non profanatæ, sed potius consecratæ sunt aræ *Polychronij* sanguine, quem, dum sacris operaretur, ad aram fudit. *Dionysia* quoque virilis animi matrona, cum filium adolescentulum ad necem constanter esset hortata, domum ipsam in templum, cunabula in sacrarium vertit, ad vnam filij tanquam ad aram supplicare solita.

7 Decemb. *Gyral.* VII. Idus Decembr. Dictus est hic dies à veteribus Aegyptiacus, hoc est infelix, & inominatus, ob certum quendam siderum positum, & horoscopum: sed hanc anilem superstitionem grauibus verbis perstrinxit, ac sustulit præsul† *Ambrosius*. inter apes est versatus in cunis, vt aculeos erigeret in impios. naturam apis expressit in multis; odit fucos, & fucatū principum fastum, templa pro aluearí habuit, abegit inde aculeato sermone accedentes, etiam Cæsares. Incidunt in hunc diem sanè quàm aptissimè festa apud Iones, quæ Ambrosia dicebantur, nisi quòd illa Dionysio dedicata ebrio sūt, contrà hæc abstemio, & sobrio præsuli: ceterùm nihil tam commodè cecidit; quàm vt cum nectare coniungeretur Ambrosia. hesterno enim die à *Nicolao* propinatum est religioni suauissimum, quo diffluit, nectar; hodierno degustatur Ambrosia.

Gyral.

8 Decemb. 681 *Goltz.* VI. Idus Decemb. Nobilitatus est olim hic dies L. Aurelij Orestis procos. ex Sardinia triumpho, sed omnis illa Capitolij pompa, omnia opima spolia cœperunt haberi vilia, cum futura Dei mater, vix materno † *Concepta* vtero, de primigenio monstro, vnde mali labes omnis exstitit, triumphū egit speciosissimum. plaudit laureatum agmen eorum, qui tantum decus illi obtigisse iure gratulantur. quamobrem tam felici sorte potitæ (quamquam beneficium non agnoscit à fortuna, sed à filio) adiungit se *Eutychianus* Pont. Max. ad religionis parentem pertinere ratus, summi honoris insigne, ac bonæ sortis omen magnæ matri deferre. sed nihil magis apposité accedere potuit, quàm vt is gratularetur, qui à bona gratia sortitus est nomen, *Eucharius*. fuit quidē

ἀγ bene τύχη Sors. Fort.

octauus

octauus cuiusq; mensis dies apud veteres Neptuno sacer, sed nihil Neptuno debet ; quæ nihil marinæ Veneri debet ; & quæ nullum est passa naufragium, ne commune quidem. ... narrant, Arcades primos iccirco gestasse in pedibus insigne Lunæ, vnde accepere Romani, quòd ingenti eluuie regionē vastante, cum subterraneis speluncis se defodissent, postea egressi putarint, præter se ipsos, omnia demersa fuisse naufragio, etiam Lunam; itaque cum eam oriri viderunt, alteram à prima putarunt, & nouam; ac propterea, vt suum genus antiquius Luna significarent, ac se immunes fuisse naufragij, insigne illud gestarunt. non igitur mirum, in sacris libris adumbrari Dei matrem per mulierem, quæ Lunæ insigne sub pedibus gestet, cùm communis naufragij exsors fuerit; quod etiam indicari videtur, irrito illo Draconis conatu, qui vt ipsam obrueret, frustra ingēs flumē euomuit. Laquo que Aurelij triūpho illustriorem retulit † *Patapius* heros, qui malum dæmonē instar fumi euanescentis exegit. *εὖ bene χάριν Gratia*

V. Idus Decemb. Puellæ, matronæq; Romanæ Iunoni donaria offerebant; quo die *Valeria* & *Leocadia* nihil arbitratę sunt religioni donare se posse magnificentius, aut gratius, quàm sanguinem pro illa profusum. quod † *Gorgonia* quia consequi non potuit, donauit certè pudoris purpuram. *9 Decemb. Kal. vet.*

IV. Idus Decemb. Hic dies clarissimum sibi gloriæ lumen accendit ab † *Eulaliæ* virginis flamma, quę vt eam victricem ostenderet de tyranno, in coronę modū vtrumque latus circūsepsit. non eget, inquam, dies hic vetustatis laude, cum eā satis largè sufficiat *Abundius*. digna sunt acta in quibus elaboret scriptoris, & ingeniū, & calamus; ac proinde aptè cōuenerūt sanctissimi viri, & *Mercurius*, & *Epigraphius*; quorum alter sapiētiæ omen, alter elegantis scriptionis nomen præfert. *10 Decemb.*

III. Idus Decemb. Septimontia festa Romæ celebrata ob septem colles, quibus regina vrbium quasi coronari videtur. sed maius illi decus attulit pontificia † *Damasi* tiara, viri, & doctrina, & virtute præstantis. Agonalia quoque celebrata Romę, dicta, quòd victimæ, quę multę immolabantur, vi agerentur ad aram; nec sponte venirent. nostris verò victimis nihil ad necem prōptius fuit; actæ sūt, sed impetu numinis: ritè litatū est. ritè victima à victis hostibus nomen habuit, imò & adfuit omē, nec victoriæ modò, sed felicitatis. nam alteri nomen *Victorio*, alteri fuit *Eutychio*. *11 Decemb. Kal. vet. Rosinus. Ouid.*

12 Decemb. Alex. ab Alex. Pridie Idus Decemb. Indi vnà cum Rege ad flumen egre-di soliti, equos, ac nigros tauros Dijs immolaturi; quo sacrificio peracto, omnia sibi deinceps fausta, ac prospera futura, cum incremento imperij, persuadebant; quod potius apud nos religioni euenisse constat, mactatis alumnis eius tanquã hostiis, alueoq; sanguinis impleto. hoc enim fortitudinis exemplo mirum illa accepit augmentum; quod indicare visi sunt eade m secuti, & vna mactati *Constantius*, & *Crescentius*. nec deerant auspicia nominum ad pugnam, atque victoriam † *Alexandri* videlicet, & *Epimachi*.

13 Decemb. Kal. veti Idibus Decemb. Equi cursu probati; victor equus dexteriorum bigarum immolabatur Marti. Hoc item die delectata Roma est spectaculo illustris planè triumphi, quẽ Q. Cn. Fabricius Lucinus de Lucanis, Brutijs, Tarentinis, & Samnitibus, præter illum, quem Q. Pedius procos. de Hispania, reportauit, sed inobscurauit omnino Lucini triumphum † *Lucia*; in cuius triumphali curru non tam leones, quàm domiti lenones sunt visi: proinde frustra boues adhibiti à quibus trahi non potuit. at verò altero Q. Pedii triumpho nobilior est ille, quem *Eugenius* vnà cum *Eustratio*, ac ceteris laureatis de Diocletiani Cęsaris victa immanitate retulit.

14 Decemb. Thr. h. XIX Kal. Ianuar. Aegyptiacus dies, & ater fuit. nobis autem candidum nè, an purpureum fecit *Dioscorus* puer? qui penè cum lacte nutricis sanguinem fudit, flagris acerrimè cæsus, cuius & alii multi prodigi fuerunt. facit etiam ne ater dicatur, † *Agnelli* candor; & simplex quoddam, sed quod garrulæ indixit philosophiæ silentium, † *Spiridionis* ingenium.

15 Decemb. Rosinus. XVIII. Kal Ianuar: Consualia celebrata Romæ, Conso dicata consilii Deo, at cuius consilii? de Sabinarum virginum raptu. sub tellure latebat ara, quæ in Circo non nisi Consualibus ludis patebat. sed illud optimum consilium, ac diuinitùs menti inditum, quod inierunt nostri de hac, ceterisq; superstitionibus defodiendis, ac tumulandis: quod cum alii assecuti sunt, tum † *Ancilla* quædam, atque captiua trans pontum Euxinum, quæ miro consilio, atque virtute sola Iberiam, Regemq; ipsum à Deorum seruitute liberauit; cui religionis incremento gratulari videntur adiuncti *Fortunatus*, atque *Faustinus*; quamquam ex altera parte uideretur ater hic dies, quia Neronis atrocissimi natalis fuit, nisi eum, &

Lu-

Lucius illustraret, & *Candidus* fortunaret. 16

XVII.Kal.Decemb- Hierosolymitano tẽplo infaustus fuit hic dies, quo die Antiochus Epiphanes temerè in adyta ipsa ingressus dicitur. nihil horum apud nos, immò pro aris, atque delubris, præter *Valentinum*, qui magnoanimi robore Maximiano Cæsari restitit, puellæ ipsæ plurimæ instructo tamquam Amazonum agmine aduersus Hunericum Arianũ Regem, ac religionis hostem strenuè decertarunt. quid verò illis mors attu erit, ostendit is, qui se socium adiungit gloriæ, *Natalis* nomine, & quæ diem fausto notare calculo possit † *Albina*. *Decemb.* *Iosephus* *Th.v.h.*

XVI.Kal.Decemb. Saturnalia celebrari cœpta, quòd Saturnus culturæ agrorum præesse crederetur. quamobrem falcem gestabat insigne. immolabatur antea humana victima; suffecta deinde sũt sigilla quædã arte fictilia; cerei quoq; dati. tùm quia φῶς & lumen, & homo ipse φὼς dictus; tum, quia Saturnus ab inculta, & quasi tenebricosa vita in bonarum artium lucem putabatur euocasse mortales. domini feriatis seruis ministrabant; quiescebant arma. sed hæc laus cultioris, & quodammodo splendidioris vitæ, non tam Saturni, quàm propria nostrorum est, qui incultum orbem terræ, atque ignorantiæ tenebris obductum, & excoluerunt, & illustrarunt. hoc scilicet spectauerunt, effeceruntq; in primis *Callinicus*, & *Florianus* cum socijs multis; hoc & in Massilia † *Lazarus*, cui ab obitu prodigiosè viuẽti aptissimè se adiũgit insignis prodigijs virgo *Viuina*. 17 *Decemb.* *Varro.*

XV.Kal.Decemb. Aesculapij festum Athenis fuit, & Arcadicum munus veteri Romæ datum; sed nullũ gratius, quàm quod nouæ dederunt nostri; quod *Rufus*, ac *Theotimus* cum socijs præstiterunt. neque verò hi cum consolerentur vulneribus, Aesculapio, qui adiumento esset, egebant; quod ille ipse indicat, qui se adiungit opportunè, *Adiutor* nomine. atq; vt constet, eos & immortalem per vulnera vitam adeptos, & inpugna vicisse, in communionem gloriæ veniunt *Victor*, *Victorinus*, atque *Victurus*. auget numerum † *Auxentius*, paratus potiùs è venis sanguinem, quàm ex vuis Baccho vinum exprimere. 18 *Decemb.* *Beuther.*

XIV. Kal. Decemb. Opalia Romæ celebrata, supplicatum vnà cum Saturno Opi Deæ, quæ item frugibus, ac fructibus præesse putabatur, ac mortalibus adiumento esse. 19 *Decemb.* *Varro.*

apud

apud nos satis opportunè, vt hesterna die Aesculapio *Adiutor*, ita nunc Opi oppositus est *Adiutus*, ambo nominibus auspicatis. at verò illa non modò non ceteris, sed neque sibi opitulari potuit, quin omni cultu spoliaretur, virtute nostrorum. quod in primis præstitit † *Nemesius*. porrò nihil sinistrum accidere posse religioni, quæ metuat extingui, cum ceterorũ tutela Cœlitum prestat, tũ ipsius *Adiuti*, & duorum *Secundorum*, & *Faustæ* matronæ.

20 Decemb. XIII. Kal. Decemb. Sigillariorum dictus hic dies est. Oscilla pro hominibus Saturno offerebantur. at nostri se ipsos obtulerunt in victimas, datumque id summę pietati, quia pro veri numinis cultu: hoc *Eugenius*, hoc *Ptolemæus*, aliiq; propositum habuerunt. † *Philogonius* itẽ relicto foro, accepta solius religionis clientela, Arianorũ secures penè ceruicibus intentas intrepidè vidit. Neq; illud omittendum videtur, hũc diem Epicuri fuisse natalem, celebratumque à suis, qui eius imaginem, & in annulis, & in poculis ferebant insculptã. sed commodè satis Epicuri natali proximè ille nostri Liberatoris opponitur: parata est quidem Deo pro cunis hara, sed vt ex Epicuri hara ceteri extrahantur.

Macrob.

21 Decemb. XII. Kal. Decemb. Herculi sacer hic dies fuit simul, ac Cereri: vtrique de mulso libatum. oppositus est apud nos, & Herculi, & Cereri † *Thomas*, qui monstra Deorum confecit innumera; qui *Parthos*, Persas, Hircanos, Bracmanas adiit, atque ipsas Herculis columnas prætervectus, fractis naturæ claustris, nouum orbem terræ nouæ Romæ subiecit, multa religionis messe collecta. opportunè verò *Glycerius* occurrit, nomen sortitus à suauitate, atque dulcedine, quam ipse quoque est in pœnis expertus; vt videlicet *Glycerius* opponatur mulso, quo libabatur Herculi, atq; Cereri. Agebantur hoc item die Romæ Diualia, siue Angeronalia Angeronæ Deę sacra in Volupię fano, quòd præsto fuisse Romanis putaretur, cum angina, quæ fauces oppresserat, laborarent. at nostri veritatis præcones liquidissima voce, atque clarissima semper fuerunt, quod *Themistocles* in primis præstitit, longè præstantior Atheniensi illo inter bellicas tubas, lituosque versato, qui hausto tauri sanguine sponte, sed temerè suffocatus est.

Kal. vet. *Glycerius dulcis.* *Varro.* *Macrob.*

22 Decemb. XI. Kal. Decemb. Laribus feriæ dicatæ, & Compitalitii ludi dati; pro quibus spectacula nobiliora dat religio, in pri-

mis

mis *Ischirionis*, qui à fortitudine sortitus est nomen; † *Zenonis* item militis Diis illudentis; aliorum quoque triginta, quorum triumphales cineres meritò gemina laurus excepit, vt iure optimo in societatem eorum gloriæ conuenisse videantur, & *Honoratus*, & *Florus*. Numerabatur hic dies olim inter Aegyptiacos, hoc est inter infaustos, quo nihil se agere posse putabant, vnde manaret honor, ac decus. at docuerunt hi, nullum diem non esse posse triumphalem; nullum, quò virtus non possit efflorescere, etiam in media bruma. *Macrob.* *Ierusal.* *Fortis,* *Cyral.*

X. Kal. Ianuar. Fuit hic dies nobilis triumphis duobus: altero, quem M. Fuluius, Nobilior dictus, Proconf. de Aetolis, & Cephalenia; altero, quem Cōmodus Imperator de Marcomannis, Quadis, Sueuis, & Sarmatis reportarunt. verùm haud dubiè ille nobilissimus dicendus videtur triumphus, quem † *Victoria* ipsa de Decii Cæsaris sæuitia victa retulit. Romuli conceptus in hunc diem incidere creditus est, ac Laurentalia celebrata, ita dicta ab Acca Laurentia, quæ Romulum ipsum infantem vel excepit, vel aluit. At verò Accæ Laurentiæ, quæ insigne scortum fuisse dicitur, quamobrem & lupa vocata, opponitur eadem *Victoria* virgo; cuius studium, atque cura in eo potissimùm versata est, vt plurimas virgines vno parthenone concluderet, Deoq; dicaret. 23 *Decemb.* 364 929 *Geltzius.* *Plut.* *Varro.*

IX. Kal. Ianuar. Præter septem, octauus dies Saturnalibus additus, qui Iuuenalis est dictus, eo Iuuenales ludi dati, in quibus cuilibet licuit, etiā magistratibus, ac puellis, iuuenili licētia vsque ad mimicos gestus, & leuitatem scænicā lasciuire. at habuit postea Roma quas his opponeret; quadraginta videlicet numero virgines, quæ vel pudicitiæ, vel cōstantię mira dedere spectacula; quibus accedunt virgines etiam nobilissimæ duæ, *Tharsilla Gregorij* hierarchæ amita, & *Firmina* Dagoberti regis filia: quæ iccirco videntur puigilio magni Liberatoris, vnà conuenire plurimæ, vt quasi choream instituant virginū principi pariturę, ac testes sint integritatis. Illud autē multò magis visendum spectaculum fuit, quàm Iuuenales ludi, cum † *Gregorius* Spoletanus inter immites belluas, quibus obiectus est, placidissimè lusit. 24 *Decemb.* *Suet.*

VIII. Kal. Ianuar. Theseo fiebant Athenis sacra, tum, cum Deus humano ore se obtulit terris: scilicet memorabant ab illo Creontem immanissimum regem occisum; in Attica 25 *Decemb.* *Kal. vet.*

taurum; in labyrintho minotaurum oppressos. Scironem, Procustē, Schinin, latrones infestissimos neci deditos, ac cetera eius acta. quę omnia sileri cœperũt, cũ orbis terrę Liberatorē suum verũ, cuius hic natalis est dies, agnouit. quę nimirũ cogitatio impulit, præter † *Anastasiam*, viginti hominum millia, vt mortem potiùs inter flammas subirent, quàm Iouē agnoscerent dominum, mũdiq; rectorem: sed quòd in Insula Palmaria hæc acta sint, indicat eos cecidisse victores. scilicet meruit puer Deus etiam gelu constrictus, vt tam multi tolerarent ignem, obsesso delubro, quò se ad sacra receperant. tot videlicet, tamq. illustres faces collucere oportuit natalitijs summi Imperatoris. in quo visũ est Cœlum à terra vinci, cum ab illo vnicum sidus, ab hac penè innumera sint accensa. Soliti porrò sunt Imperatores, ac Reges ab hoc natali Christi die auspicari imperium, atque regnum. nam & Carolus magnus Romæ coronatus, & Carolus II. & Othones duo, & Henricus III. & Constantinus XII. Imperatores inaugurati sunt; & Polonorum Dux Regium nomen vsurpare cœpit; & Balduinus tertius Rex Hierosolymitanus inunctus, & consecratus.

Th.v.b.

26 Decemb. VII. Kal. Ianuar. Nihil admodum insigne de vetustatis ruderibus erui potest. nemo scilicet heroum, ac ducum in dimicationem gloriæ venire est ausus: quippe omnia illa coronarum genera ac nomina, muralis, obsidionalis, ciuicæ, castrensis, atque naualis; & si quæ sunt alia, vni † *Stephano* cedunt; Capitolinę omnes exaruerunt laurèę, cum vna hæc euiruit. Iam vt huius glorię partem aliquam degustaret *Marinus* Senator, posthabuit purpuram, & latum clauum. dedit de se uterque amphitheatrale spectaculum: *Stephanus* inter Solymeas aspides, *Marinus* inter Libycas feras.

27 Decemb. Kal. vet. 664 Col. 2. VI. Kal. Ianuar. Phœbo per triduum Romę sacrificatum; quo item die illustrem egit G. Pompeius Sext. Cos. de Aesculanis, ac Picentibus triumphum atqui succedere Solis festo certè nemo dignior potuit, quàm † *Ioannes*; non modò quia aquila cũ Sole conuenit, sed quia hic Sole clarior fuit; dubiũq; reliquit, an adhuc subierit occasum. triũphũ uero idem maiore cum pompa, quàm Pompeius, egit, opimis spoliis Asiaticis onustus; Cerintho etiam, Ebionitisque perdomitis. Fuit & illa uisenda triumphi species, quam postea exhibuere *Theodorus*, atque *Theophanes* fratres, ductis in pompa signis,

ignis, & imaginibus Cælitum · adiuncti verò sunt currui atq; subiecti non Africani leones, sed qui ad immanitatem addidit impietatem, Imperator Armenus Leo.

V. Kal. Ianuar. Alter hic dies etiam Phœbo sacer fuit Romæ; quo die postea à Iustino Imperatore in vrbe Byzantina augustum illud templum dedicatum est D. Sophiæ, vt diuina sapientia magnitudine sui luminis obrueret superstitiosum, & stultũ Phœbi cultum. At Solis cultui successere † *Innocentes* pueri, quamquam vixdũ Solis aspectu, ac lucis vsura potiti ab impio rege videbantur extincti, sed quia occumbẽdo vicerunt, iis se *Victor* adiungit. quàm verò felici sorte ceciderint, indicare videntur ipso nomine, qui in hunc diẽ vnà incidunt *Eutychij* duo, deniq; quoniã hi dicuntur flores Martyrum, associat se iis opportunè satis, & pulchrè *Florentius*. 28 Decemb. τὸ βενὲ. Fortuna. τύχη

IV. Kal. Ianuar. Tertius etiam hic dies Phœbo sacer fuit Romæ; illustris præterea factus est ob triumphum L. Munatii Planci Proconf. ex Gallia: sed illustrior ob illum, quem ex eadẽ Gallia retulit *Trophimus* præsul Deorum spoliis grauem. Triumphauit & † *Thomas* Anglicus de sæuitia impiorum, Romanæ libertatis assertor. atque vt horum auspicatissimus sit triumphus, & omni ex parte perfectus, accedunt illi laureati, *Victor* ad plausum, *Callistus* ad pulchritudinem, *Secundus*, & *Felix* ad omen, *Honoratus* ad gloriam. 29 Decemb. 700 Golt. pulchritudo κάλλος

III. Kal. Ianuar. Triumphauit Q. Cæcilius Metellus Proconf. ex Hispania. sed haud dubiè ille dicendus est triumphus ornatior, quem egerunt cum ceteris laureatis † *Venustianus*, & *Honorius*; alter enim decorem contulit, alter decus. 30 Decemb.

Pridie Kal. Ianuar. Q. Fabius Max. in consulatu Romæ obiit, itaque vnus, idemq; visus est, & tanti ducis, & anni ipsius occasus. iacuit tunc in luctu Roma, indixit atrata iustitium. at verò nunc dies hic nobis nec ater esse potest, quia candidissimæ virgini *Columbæ* sacer est; nec funestus, ac tristis, quia *Hilariæ*, ei videlicet, quæ inter acerbissimas pœnas vim nominis ostendit sui. Habet verò Roma solatium, quo emortualem Q. Fabii diem compenset, *Fabiani* videlicet sanctissimi viri, ac præstantioris ducis natalẽ. Non est autẽ omittendum, diem anni vltimum, immò cuiusq; mensis primũ & vltimũ ab Hebræis veri Numinis cultoribus, sanctè, ac piè fuisse diuinæ prouidentię dedicatum & consecratũ: cõtra quã fuit in more positũ apud exteros, præsertim Alexandrinos, ꝙ 31 Decemb. Plin.

Hieronymus refert, vt vltimo die anni ponerent Fortunæ mensam refertam varii generis epulis; & poculum mulso mistũ libarent cum pro præteriti anni frugibus gratulantes, tũ ineũtis fertilitatẽ auspicantes: tantũq; roboris ea superstitio sumpsit, vt apud Hebræos quoq; idest Dei populũ vigeret: quamobrẽ à magno Vate acerrimis minis exagitatur. cum cõmoda omnia prou do nũini referẽda sint accepta quãtò igitur æquius institui gratulatio debet pro anno tàm frugifero, tàm fœcundo õni genere virtutũ exacto, vt vidimus? ecquæ mensa tàm lauta extrui potest, quæ tàm iucũdæ recordationi possit æquari? aut ecquod mulsum gratius & suauius tot Martyrum sanguine? nec ne in huiusmodi symposio Attalicis opibus, deliciisq; inuideas, præsto est hoc ipso vltimo die inter ceteros *Attalus* martyr. nihil Fortunæ debemus, quanquam nihil *Christiana* religione fortunatius, ac felicius, etiã in aduersis quid cum *Siluestro* hierarcha tanquam regina augustissimè inaugurata est? totum enim illud decus quod magnus Constantinus ei detulit, huius auspiciis detulit, quapropter efflorescenti iam tum per ambos religioni aptè hoc ipso die adiungitur memoria *Floris*, sed tamen martyris; adeóq; illi aptè etiam adiungitur *Stephanus*, alter à primo. & hic *Stephanus*, & *Flor*, ex Sicilia sunt, nempe ex Hybla & flores, & corollæ leguntur: sed non nisi diuinitùs factum videtur, vt sese offerrent brumali tempore, vt consteт, religionem perpetuo frui vere. quanta singulis ferè anni diebus tempestas tonuit? quàm horribilis procella sæuiit? quot turbines excitati? quæ fuit lucta ventorum, vt religionis agrum illa florum specie, illo decore spoliarent? hoc tyrannorum furor, hoc totus Erebus est conatus, atqui sibi fraudi fuit impietas. actum est præclarè cum nostris. ferrum illud excolendæ religioni vsui fuit: en sæuissimo anni tempore corollæ cum floribus: en quantum in decus, ac voluptatem illa omnia, vel probrosa vel aspera reciderunt. *Rustica* verò insigni virtute matrona ad se pertinere rata est, sacrum irrigare ius sanguine, quem, ut illud lætiùs efflorescéret, *Mineruinus* quoque, aliique multi vnà cum *Flore* fuderunt. Denique nihil accommodatius accidere potuit, quàm vt, cum Vates faustá precetur *Corona anni*, annus ipse desinat, & in *Stephanum*, & in *Florem*. psal.

Kal.

Kal. Decembr.

S. ELIGIVS

Episc. Nouocom, 1. Nouemb.

Synop. *Oblatus per speciem est matri aquila instar · barbaros religione imbuit. anathematis vim prodigio confirmauit. cognouit sibi condonata delicta, balsamo è sacris lipsanis in caput lapso. solium ipse Galliæ Regis struxit.*

ENCOMION 387.

Qua te, Eligi, consequar ingenij penna,
qui nasciturus dormienti matri prætetulisti aquilam?
abstinuerunt à præda, te insequente, Stygis accipitres,
timuerunt fulmen tuum gigantes obsessores corporũ;
timuit & apud barbaros cultus Iuppiter tonans.
abluisti sacris aquis, quos alluebat Oceanus.
Iaculante te præsule anathematis fulmen,
non semel concidit exanimis ante pedes reus.
cum interdixisses ritè sacris,
campana æra pulsa abstinuerunt sono;
muta fuere delubra,
attonita tuę sententiæ tonitru.
at contra tibi obsequentes, ac deuotos reos
fractis compedibus è carcere euolare iussisti.
cognouisti prodigio deletas tibi vitæ labeculas,
mirè stillante in caput vnguento è Cœlitum lipsanis;
felix reus, cui flagrans supplicium ignis
cessit in fragrantiam opobalsami.
Clotario Regi Francorum tua manu soliũ elaborasti;
quid mirum, quòd tales nunc Gallia Reges habeat,
qui regium decus putant, fauere sacris?
quando tu sacrorum antistes ijs fabricatus es solium:
Demum obortum è Cœlo est tibi animã agenti lumẽ;
expressisti videlicet intentam Soli aquilam moriens,
quam prætetuleras oriens.

IV. Nonas Decembr.

2 Decemb.

S. FRANCISCVS XAVERIVS

Apostolus Indiarum.

Synop. *Petri fabri cõsuetudine delectatus se Ignatio tradidit. Orientis maximè bono natus: terra, mariq; prodigijs inclytus, & multis, & magnis. diù post mortem erutum è calce corpus inuentum est integrum. immò fragrans odore.*

ENCOMION 388.

Quam constituã, heros magne, tuę laudationi metam,
qui constituisti religioni nullam?
excitaturus altissimum ędificium gloriæ
commodè incidisti in Petrum Fabrum,
qui, & firmitatem afferret materiæ, & artificium operi.
cum frater esses Magdalenæ, sed virginis,
non modò nullas contraxisti sordes in tumulo,
sed inde extraxisti plurimos,
in primis vnum penè quadriduo ante defossum.
At tibi parum fuit sepulto esse spiranti similem,
nisi etiam spirares odorem.
Vnus implesti maria, terrasq; prodigijs.
euocasti è montium ignitabulis cinerem,
non abiturus in tuum.
imperasti ventis, quos superasti cursu.
nouus Atlas noui orbis, pressus licet ingenti pondere,
attolli tamen sępe es visus è terra,
libratus in aere lance pietatis.
cum sal esses terræ, abstulisti salsedinem mari,
fecisti fluctus dulces, vt alliceres socios:
totum Oceanum quasi oram fecisti piscariam,
cum ille lacrymas excepit tuas.
ceteri ex Oriente vniones efferunt, tu intulisti:
Vt ventis excitatum sopires mare,
iniecisti in illud morte sopitum Deum.

Xerxes

Xerxes dementer inflixit irato mari plagas,
tu ſapienter illud diuinis placaſti plagis.
ſeruauit muſicum hominem in mari delphin,
ſeruauit tibi penè naufragum Deum cancer.
fuiſti tunc Sol in Cancro, nec deſijſti eſſe in Virgine!
mirum dictu: piſcis expiſcatus eſt Deum.
Petro piſcis argentum, tibi quiddã attulit auro maius.
vltra Cancrum non licet in luce progredi Soli,
at tu, præter cancrum, ad alia progreſſus es ſigna;
nempe in tuo Signifero terminus non eſt ſignis.
proiectus eſt à Conſtantino in mare vnus è clauis,
confixit eo mare, ne commoueretur in fluctus;
ſed ſuperaſti tu Imperatorem, vel pietate, vel facto:
ſtetit tibi mare firmius, quia clauis confixum tribus.
feciſti tutum, ac facile iter Oceani,
niſi cum in laudibus excurritur tuis.
implicuiſti te loris, explicaturus puerperas partu;
tuo illæ pudico conſtrinxere ſe balteo,
vt opponerent hunc inceſtæ Veneris ceſto.
nempe tibi committi hominum debuit ortus,
cui comiſſus eſt Oriens.
non pateris, fœtus vel in vtero morari, vel mori;
vt quã plurimos poſſis, & quã ocyſſimè piè cõplecti.
niſi veterum deſiperet ſapientia,
nulla de re philoſophatus eſſes libentius,
quàm de innumeris Democriti Mundis.
amantis cordi nihil fuit ſatis,
precantis ori nihil crebrius, quàm ſatis:
potuiſti cruri inijcere vincla, non cordi:
ſeuerus in te, nullum admiſiſti laxamentum,
niſi cordis:
tunc hoc laxius fuit, cum inter rerum anguſtias.
ideò ſaltui fuiſti aſſuetus à puero,
quia daturus eras lętæ religioni tripudium.
tibi crura deuinxiſti, ceteris manus,

quia

quia duxisti nationes in triumpho captiuas.
tulisti tecum in bellum, quas ijs inijceres, compedes,
quasi certus victoriæ, more Laconum.
Plut. Fuisti vndique candore pulcherrimus,
tametsi dormientis humeris niger insedit Aethiops:
auspicatior tamen fuit is coruus,
Val. quàm quę Claudij Cæsaris humero insidens aquila
auspicium olim dedit imperij:
at te, quem non terruit Aethiops teter,
perterruit vel in somnis Venus blanda,
Inuenustior tibi Venus est visa, quàm Aethiops.
Virgil. sed falsum somnium fuit illud, & vanum,
quia porta exiuit eburna.
cessit videlicet somnij fœditas in candorem,
quamquam ad decus fecisti florē cruore purpureum.
scilicet maximè imbellem declarauit se Cupido,
quia te aggredi non est ausus, nisi somno languentem;
sed cęcum superasti, & aptè, & facilè, clausis oculis:
nemo tàm strenuus fuit vigil, quàm tu dormiens.
sub maculosæ Lunæ curriculo
nocturni spectri effugisti labem.
Potuisti à domitis barbaris dici Indicus,
sed illustrius à deuictis Dijs dici Diuinus.
spoliasti Erebum, destinatam eripuisti prædam,
pauperem fecisti Ditem.
post profana delubra diruta, & aras euersas,
calcis meruisti gratiam,
quia eripueras eam vsui profanorum.
inumeris signis confractis, & comminutis,
delectatus es in vita Deorum puluere,
ideò in morte caruisti diuinitùs tuo.
mortuis multis mirè produxisti vitam,
iussisti (nouum prodigium) Parcas esse prodigas.
meritò tu quoque, postquā humatus, visus eò viuere,
integer à morte, quia integer vitæ.

III.

III. Nonas Decembr.

S. BIRINVS

Episc. Dorcest.

3 Decemb.

Synop. *Nauigans ad Saxones religione imbuendos, cum oblitus esset in littore sacra supellectilem, è naui in vndas insiliens mare traiecit, tum rediit mirè ad nauem: surdos in primis, ac cæcos sanauit.*

ENCOMION 389.

Pauca de Birino fert fama, sed mira:
missus à hierarcha Romano ad occidentales Saxones
molles fecit Saxones, duras vndas.
conscensa naui oblitus sacræ supellectilis in littore,
insiliit in mare, salum ei pro solo fuit.
fecit, vt verè diceretur maior
rediit victor, sacris onustus spoliis.
pace dixerim tua, religionis princeps, Petre,
calcasti tu pede vndas, sed angustas Galilææ,
at hic superauit ampli Oceani fluctus;
tu leuis, hic sacrorum instrumentis grauis.
interea nauis steterat turgidis frustra velis,
Birini præstolata reditum,
nec echeneide retenta, nec anchora,
præter firmam præsulis fidem.
vix ille appulerat ad oras Saxonum,
cum lapidei corruerunt Dij,
eodem Birini pede calcati,
quo fuerat vnus ex præcipuis, Neptunus.
statim cæcis lucis largitur vsum,
vt spectaculo pascant oculos pulcherrimo,
casu videlicet ruentium Deorum turpium.
aures quoque surdorum aperit,
vt plures habeat auditores,
qui sibi de religione loquenti plaudant.

Pridie Nonas Decembr.

4 Decemb.

S. BARBARA

Virgo, & Martyr.

Synop. *Patrem infestum, & sibi, & religioni habuit: in turrim inclusa, Deorum simulacra inde deiecit crucis signũ impressit marmori. saxum se aperiens eã excepit ad tutelã. pater impius ictus est fulmine.*

ENCOMION 390.

Mithol.

Nullus est sermo tam comptus in Latio,
qui par sit ornamentis Barbaræ.
rectè hoc sortita est nomen
à deuicta barbarie, vel paterna.
In turri clausa seruauit pudorem tutiùs,
non est ausus Iuppiter, vt olim Danae,
illabi turpiter imbri aureo:
ne timeret hoc probrũ, signum eius cõminuit aureum.
quos Deos deturbare de Cœlo non potuerunt gigãtes,
egit præcipites de turri puella.
hæc verè dici debet turrita, non Cybele.
illa procaces edidit Deos, hæc perdidit.
tot hæc currui subegit leones,
quot carnifices, quot tyrannos.
nouum prodigium: necari virgo non poterat,
nisi patrem nacta esset paricidam.
scopulos hæc molliuit, & marmora,
durities tota abijt in parentem;
excepit enim marmor impressam digitis crucis notam,
excepit ad tutelam virginem se aperiens cautes.
meritò qui extincto amore obriguit pater,
supernè iacto arsit fulmine.
at contrà ab alijs auertere dicitur fulmina,
non est, cur huius præsidio tecti timeant fulmina:
quæ fregit Iouis in simulacro fulmen.

No-

Nonis Decembr.

S. SABBAS

Abbas. 5 Decemb.

Synop. *Mansuefecit leones. KaKodæmones laruatos elusit. Canobium Lauram nomine condidit. aquas ex arido elicuit saxo. ignem vagantem compescuit precibus ad Deum fusis. multa vaticinatus est verè.*

ENCOMION 391.

Vt virtus virescceret pulchriùs tua, petijsti siluas:
vrbe relicta, vrbanas fecisti feras.
leones, quos Roma per vim iunxit in curru,
ad ministerium nutu habuisti paratos.
quin & Stygiæ laruæ ferarum forma cesserunt,
belluas spreuisti fictas, qui domueras veras.
felicius Roma triumphasset,
si tales imperatores fuisset nacta,
qui fictas feras acriores veris subijcerent iugo.
Iure virtutis asceterio, quod condideras,
nomen indidisti Lauræ,
tam immanium videlicet monstrorum domitor:
assuefecisti sociorum oculos ad lauri ramos,
vt assuescerent triumphare de Styge.
significasti diuino addictis obsequio,
non timenda Cœli fulmina laureatis.
elicuisti eodem in loco mirè de rupe aquas,
vt & ipsi discerent rigare lacrymis lauros.
vicisti inter religionis hostes gigantem alterum
nomine Mimantem, ausum obniti Deo.
Siluano quoq; vaticinatus es dignũ nomine suppliciũ.
prædixisti, paullo post subito arsurum incendio.
at te impunè accenso subeuntem camino
reueritus est ignis: metuit scilicet extingui,
quia prodigiosè aquas eduxeras nutu.

VIII. Idus Decembr.

S. NICOLAVS

6 Decemb.

Episc. Myræ

Synop. *Adbuc infans abstemius erat à lacte. sexto hebdomadę die. clam proiecto auro tutatus est pudorem virginum. hæreticos insectatus est. mortuos suscitauit multos. ossa prodigiosè diffluunt nectare.*

ENCOMION 392.

νίκη Victoria

Victoris meritò nomen assecutus es nascens,
qui à sinu matris vicisti amorem vberum,
eo inprimis die parcus fuisti ducendi lactis,
quo Deus prodigus fuerat educendi sanguinis.
maior es orbe, qui miracula orbis septem
effecisti, vt essent innumera.
cauisti pallente auro,
ne purpureus pallesceret metu pudor:
puduit te interdiù largiri opes;
at nihil hoc est illustrius factum,
tot enim oculi noctu spectauere, quot sidera;
gauisus est tamen pudor,
tutorem sui nactus pudentem.
fecisti auro, ne pudor esset venalis.
eripere quodāmodo visus est virginē Plutoni Plutus.
viuens effudisti aurum, mortuus nectar.
desijt perennibus scatebris suis
siticulosa dici Apulia.

Horatius

Arius te amarum habuit, nos nectareum;
acerbus fuisti ore, sed impijs; dulcis osse, sed pijs.
opposuisti Acherontis vndis Cœlestes tuas,
reuexisti inde non semel Manes.
dignum esset & tuum nectar, vt illud vetus,
quod vrna conderetur aurea,
nisi malles, aurum seruire pudori, quàm nectari.

VII.

VII. Idus Decembr.

S. AMBROSIVS
Episc. Mediol. — *7 Decemb.*

Synop. *Apes insederunt in eius infantis labello, quod eloquētię omen fuit. hæreticis restitit. Theodosio Imperatori ob cædem immaniùs factam aditum templi interdixit, ac sibi supplicem prostrauit.*

ENCOMION 393.

Omnem Natura pingendi artem in Ambrosio vicit;
in labellis, & genis rosas, in ceruicibus expressit lilia.
accurrerunt apes, vt componerent mella.
fecerunt, ne sola Græcia de suo iactaret Nestore,
quòd ex eius ore melle dulcior manaret oratio;
ne soli Romæ suus videretur Cethegus,
medulla Suadæ, flos illibatus populi. *Ennius*
Apem se ostendit, cū insectatus est religionis fucos,
cum odit fumum, & fastum ptincipum.
Theodosius in primis aculeum sensit impressum.
expalluit ipsa purpura ad vultum irati:
victricem, ac generosam Cæsaris aquilam
hic in pauidam vertit columbam.
timuerunt etiam triumphales lauri
Pontificium fulmen.
scilicet ei aditum delubri clausit,
cui imperanti claustra patebant Oceani.
vidit illa ætas inusitatum spectaculum,
hærentem antistitis infulati pedibus
frontem diadematam.
plus ad Imperatorem humi abijciendum potuit
pondus verborum, quibus ab hoc est pressus,
quàm imperij, quod sustinebat.
nulla maior ad aras infulata cæsa est victima,
quàm Cæsar ipse vittatus.

VI. Idus Decembr.

8 Decemb.

S. PATAPIVS.

Aegyptius.

Synop. *Patria relicta in solitudinem abijt. ibi caeco visum reddidit. multis aliis prodigijs clarus fuit, in primis malum demonem expulit instar fumi. hydropē sanauit lacrymis, & in mammis cancrum.*

ENCOMION 394.

Infœcundus sibi visus est Nilus,
cum tu, Patapi, vir frugi
tam amplam collegisti virtutum messem.
desijt absurdè oblatrare Anubis,
ne canoris tuis obstreperet votis.
voluit virtus latere, nec potuit:
in occultam secessisti specum,
sed ibi curasti cęcum:
nouum testem habuisti virtutis:
frustra lucem hominum fugis,
qui lumina accendis in fuga.
fuisti Stygio formidolosus hosti:
te iubente, ex adolescentis correpti ore
euanuit instar fumi:
nempe exarsit ira quòd abijt,
eneritus est abhorrentem ab inanis gloriæ fumo.
quin etiam hydropem mirè sanasti,
aquæ videlicet affundens aquam,
hoc est lacrymas tuas.
meritò ægri detumuit corpus
ad iussa tumidum auersantis fastum.
muliebres item liberasti papillas
insanabili cancro:
iussisti corporis vitium retrogredi,
qui studebas animi virtute antegredi.

V.

V. Idus Decembr.

S. GORGONIA

Soror Greg. Nys. 9 Decembr.

Synop. *Alluditur ad eius nomen. opposita Gorgonibus dicitur. ornamenta virtutum, quibus affluxit, non alio laudatore digna fuere, quàm fratre. succumbit omnis aliorum oratorũ vis dicendi.*

ENCOMION 395.

Nihil habuere infestiùs Gorgones, quàm Gorgoniā
odit hæc voluptatum illecebram æquè, ac Medusam:
æneum opposuit clypeum fortitudinis.
hòc ipsa præstantior Perseo,
quòd nec illius speciem intueri voluit in clypeo.
confodit Medusam tamen, ac vicit.
non opus Mercurij talaribus fuit, *Mithol.*
virtus illam pennis extulit suis.
quos Gorgones circũdedisse dicũtur angues crinibus,
hos elisos manu substrauit pedibus.
non studuit auro flauescere,
sed ferro liuescere:
non opere cinerarij vibrare capillum,
sed versare mente naturæ cinerem.
vnum habuit Gorgonia proprium Gorgonis,
quòd spectatores tantæ virtutis
stupentes reddidit, & quasi lapideos,
tametsi pietate mollitis erũpebant lacrymæ.
nempè digna Gregorio fratre germano;
nam hic quoque attonitos reddidit populos,
quà spectaculo virtutum, quà magisterio doctrinæ.
inchoatam ab hoc Apelle picturam sororis,
perficere audeat nemo.
sed hòc Gregorii, quàm Apellis, pictura venustior,
quòd hic Venerem, ille aduersariam Veneri pinxit.

IV.

IV. Idus Decembr.

S. EVLALIA

Virgo, & Martyr.

10 Decemb.

Synop. *Martyrii cupidissima clā inscia matre domo profugit. tyrannum adijt, religionē professa est. ignem constantissimè pertulit. visa est à morte instar columbæ candidissimæ in coelum euolare.*

ENCOMION 396.

Patriam habuit hæc Emeritam nomine,
adhuc puella stipendijs virtutis emeritis,
in rudimentis ætatis iam rude donata.
clara natalibus, sed clarior pugnis;
prætulit crepundijs sonitum tubæ,
aureis monilibus ferrum.
penè è sinu matris prodire gestiuit in campum;
non alienæ cædis amore, sed suæ,
ruit in pretium sanguinis.
leænæ similis inhiauit ad prædam,
vix à lacte depulsæ.
noctu, solùm Cœlo teste, domus effringit fores,
Horatius
manè generosa se sistit tyranno,
palam spurios execratur Deos.
stupet ille exardescentem in vna puella
omnem veterum gigantum audaciam.
stultè agit. ardens religionis tuendæ studium
extinguere conatur igni.
ilicet alacris in paratum insilijt rogum;
trepidos terruit atrocior ipsa lictores.
Apotheosis illa, non ignominia fuit.
quippe euolare in Cœlum è pyra visa est columba,
altius, quàm olim è Cæsarum bustis aquila.
at rogus extingui solitus, vt ebriis gloria, mero,
Rosinus.
extinctus est virgini candidæ, ac sobriæ, niue.

III.

III. Idus Decembr.

S. DAMASVS

Pont. Max.

11 Decemb.

Synop. *Cælitũ templa ornauit carmine. hæreticis acre bellum indixit, Eunomio in primis, & Macedonio. Arij in Dei filium impii fraudes, & perniciosa doctrina venena Græcis literis tecta retexit.*

ENCOMION 397.

Profectus hic ab Occidente religioni attulit lumen:
insignior fuit Hippocrenes fonte, quàm Tago.
inseruit Pontificiæ tiaræ etiam lauream,
simul & fidei magister, & fidium.
sceptra habuit infra se, plectra secum.
sacram dedicauit ædem Laurentio laureatus;
apud Pompeij theatrum excitauit templa Cœlitum,
quorum videlicet virtus proposita spectaculo fuerat,
sed maiore cum plausu. *εὖ bene*
præscriptas ab Eunomio religioni leges, *νόμος*
falso nomine bonitatis ornatas damnauit. *Lex.*
Macedonium fregit arma mouentem Romæ.
audacior Macedo, quàm rex Macedonum fuit,
dictus est magnus, sed cum maximo non pugnauit.
potuit Damasus à victoria Macedonicus dici,
nisi maluisset pastor, quàm Imperator dici.
orbi terrarum ingemiscenti,
quòd circumuentus esset Arij fraude,
abstersit lacrymas & sapienter, & cautè.
illum tendentem insidias Græcis notis *vide*
notauit impium Græca fide. *adag.*
scilicet similitudine vocis dissimilem fecerat *ὁμοούσιον*
Deo parenti filium. *ὁμοιούσιον*
sed qui aras insecutus est Arius inuidè,
apud haram crepuit turpiter.

Pri-

Pridie Idus Decembr.

12 Decemb.

S. ALEXANDER, ET EPIMACHVS
Martyres.

Synop. *Alexander hic præfertur alteri Macedoni. coniectus est in vincula, subiit acumē nouaculę, & mucronem gladii. tandem vnà cum Epimacho in ignem magna cum animi constantia coniectus est.*

ENCOMION 398.

Alter habitus esset hic Alexander,
nisi ille maluisset dici filius Iouis, hic hostis.
at non impius modò, sed amens fuit,
qui hunc cum Epimacho lacessiuit ad pugnam;
quorum alter pugnam præfert nomine, alter re victor.
scilicet Alexandrum coniecit in vincula,
cui auspicium fuit imperij nodus;
admouit & gladium, quo impleret oraculum.
nouacula quoque vsus, factus ex tyranno tonsor,
scilicet expoliuit potiùs, nouauitq; virtutem s
stupuit olim Roma cernens præcisam nouacula cotē,
sed maius fuit hìc, quod stuperet,
& obtusam nouaculam, & procusam in cote virtutem.
plus hi egerunt in carcere, quàm Alexander in campo:
plus hi in rogi cinere, quàm ille in belli puluere.
admiratus est olim Macedo
Calanum philosophantem in pyra,
at Alexander hic sapientior in igne, quàm Calanus.
cum tyrannus coniecit in ignem hūc cū Epimacho,
contra se procudit duo belli fulmina.
qui inter carceris tenebras tam peritè pugnarunt,
quid egerunt in luce flammæ?
profuit ad victoriæ decus certamen illustre;
nam alter factus est magno maior,
alter ex Epimacho nicomachus.

[Margin notes: ἐπὶ μάχας pugnas (beside line 3); Plut. (beside line 5); Val. Max. (beside line 11); νικομάχος Victor in pugna. (beside line 23)]

Idi-

Idibus Decembr.

S: LVCIA

Virgo, & Martyr. 13 Decembr.

Synop. *Expenditur beneficium, quo in tutela habet oculorum lumen. nequicquam igni damnata est. ad lupanar duci nulla vi potuit, licet adbibitis bobus, vt eam traherent. tandem ferro percussa.*

ENCOMION 401.

Acuenda est in eius laudem acies mentis,
cuius in tutela est acies oculorum.
humani corporis partes impiè commiserant Dijs,
Soli cor, Mercurio linguam, Marti sanguinem.
at nemo certè Deorum præesse potuit oculo,
quia ipsi vnà cum cultoribus cæci.
eius est tutari lucem, cui inditum est nomen à luce.
cùm hanc tyrannus consumi iussit igni,
non solùm egit immaniter, sed stultè,
siquidem ignem armauit in lucem,
sed exsplendescere cœpit illustrior.
Eutychia hæc matre nata, hoc est bona Fortuna, εὖ bene τύχη Fortuna.
nihil tamen Fortunæ debuit,
quia nihil habuit commune cum rota.
ad lupanar trahi non potuit
nequicquam adhibitis plustri rotis,
quasi columna stetit immobilis.
erexisset illi posteritas eiusmodi monimentum,
nisi se ipsa fecisset columnam.
sed vt insculpi possent laudis notæ, subiit ferrum.
nunquam sponso Deo magis incaluit,
quàm cumstabilis obriguit in marmor.
qui ad illam trahendam admoti sunt boues,
hoc vnum sunt operati prodigio,
quòd exculta religio magis est facta frugifera.

14 Decemb.

XIX. Kal. Ianuar.

S. AGNELLVS

Abbas.

Synop. *Recens natus concinuit salutationem Virgini dictam. tutatus est Neapolim ab hoste viuens, cum vexillo visus, deinde post mortem cum face. duos in primis sanauit ægros ambos Leones nomine. fures acerbè odit.*

ENCOMION 402.

Pulchrè auſpicatus es, Agnelle, prodigia.
trimeſtris infans balatu ſalutaſti Dei matrem;
nempè debuit tam candida virgo ore ſalutari lacteo,
præcocem habuiſti pietatem.
nihil nomine mollius, nihil re fortius.
teſtis patria tuis tecta præſidijs.
manu, quam erectam in preces armaueras,
viſus es in hoſtes efferre vexillum.
vnius ſigniferi vultus
barbaros fugauit innumeros;
agni aſpectus Africanas exterruit feras.
aureum tibi meritò fuiſſet vellus,
niſi vltrò reſpuiſſes aurum;
candidus videri maluiſti, quàm aureus.
multa geſſiſti mira: hoc in primis edidit fama;
quòd duos curaris ægros, ambos Leones nomine:
quæſierunt opem ab vno agno Leones duo.
alterum ore in terram prono
excitaſti ad Cœli conſpectum, iucundum tibi,
alterum ſolidaſti paralyſi ſolutum.
etiam ab obitu barbarorum fregiſti impetum,
ſed prætuliſti pro vexillo facem,
ne videlicet hoſtis te putaret extinctum.
nihil magis odiſti, quàm furem;
mira res: repetiit pœnas agnus à lupo.

XIX.

XIX. Kal. Ianuar.

S. SPIRIDION

Episc. Cypr. 14 Decemb.

Synop. *Cyprius patria fuit. amauit pauperes. eorũ vni pignoris loco anguem dedit, in aurum mirè conuersum. Arianum doctrina tumidum confutauit sola pietate nixus. erutus est illi impiè oculus ab aduersariis.*

ENCOMION 403.

Natus hic in insula Cypro multos eripuit Veneri;
venustam fecit Cyprum, cum turpem fecit Cypriam;
abstulit illi cognomentum Aureæ,
cum in egenorum vsum sacrauit aurum. *Gyral.*
in primis vni subuenit inusitato prodigio;
nam cum pignus illi non suppeteret diuiti dandum;
suffecit ipse ad Naturæ stuporem:
accepit è sepibus conuolutum in se anguem,
manus contactu eum mirè conuertit in aurum;
ablatum est quod læderet, remansit quod alliceret,
scilicet aurum collectum in spiras.
datum est pignus; quo reddito, aurum redijt in anguẽ.
hoc non potuit Midas; minor est Regis fabula.
miretur Aegyptus, Mosis virgam in anguem verti,
at mirabilior forma anguis in aurum versi.
vtrumque appendatur in lance prodigium,
illud erit ligni pretium, hoc auri.
quamquam cum aureum fecit colubrum,
metuendum esse ostendit aurum, non colendum.
attamen idem in cœtu Antistitum infensus Ario,
non aureo dicendi genere sophistam egit,
sed rudi pietate eos, qui sapientes habebantur, erudijt.
nihil stultius egere aduersarij,
quàm cũ eruto oculo, facere eũ voluerunt Cyclôpem;
quippe habuerunt, qui cõtra ipsos fabricaretur arma.

XVIII. Kal. Ianuar.

S. CHRISTIANA.

15 Decemb.

Captiua.

Synop. *Ancilla hæc in bello capta tantæ virtutis, atque animi fuit, vt sola religione vera imbuerit Ibericam gentem vnà cum Rege, cuius filium ab ægritudine corporis miro modo curauit.*

ENCOMION 404.

Tuum vetustas nomen pressit ad gloriam,
vt vel captiua dicereris, vel Iberica.
nobilis, quòd captiua triumphum egeris,
illustris, quòd vna subieceris Iberiam.
capta es in Iberico bello pia mulier,
vt captiuos faceres impios Deos.
parum dixi, vt de Dijs faceres stragem.
experti sunt in fœmina bellum Titanico maius;
erubuerunt illi ante pudore, quàm strage,
quòd caderent à serua Dij.
principi religionis fraudi fuit ancilla,
tu in ea amplificanda fuisti auxilio.
cófirmasti quoque rem prodigijs.
ægrum Regis filium, frustra imploratis Dijs,
diuinitùs ipsa curasti;
sed eum auro ante spoliatum, ac purpura
in lacero, ac vili abijci iussisti linteo,
scilicet, vt esset soli religioni pretium.
abluisti ritè Regem, coniugem, regiamq. prolem
ijs manibus, quas cum capta es, onerauerat ferrum.
non tam se diuitem putauit Iberia
aurifluo Iberi fonte, quàm, quo lustrata est, tuo.
vnam te agnoscunt eius gentis Academiæ magistram,
vnam delubra, atque aræ antistitam;
Ibericam te dicerem, nisi præstaret dici captiuam.

XVII.

XVII. Kal. Ianuar.

S. ALBINA

Virgo, & Martyr. 16 Ianuar.

Synop. *Dum membratim ferro secaretur, subitò terra mouit. per testacea fragmenta, tracta, & excruciata. tum oleo peruncta, & in ignem iniecta. ad vulnus porrecta impij lictoris manus repentè exaruit.*

ENCOMION 405.

Felix Campania cœpit etiam dici victrix,
cùm Albinam Formijs eduxit in campum.
vicit Amazonum gloriam generosè certando.
puella inter aulæ blandimenta, & aurum nata
vidit irretortis oculis vibrantem aciem ferri.
non putauit, se dignè triumphare posse,
nisi Albina indueret purpuram
hòc pulchriorem, quòd tinctam cruore suo.
ferocior ipsa fuit animo, quàm parens Natura.
quippe risit ipsa ad pœnas suas, Natura horruit.
dum membratim dirum in modum secaretur ferro,
stetit puella, tellus intremuit;
se quoque motu facto secuit rimis:
at illi membris incisis virtus integra mansit.
super fragmenta fictilia trahi iussa,
frangi ipsa non potuit.
nunquam gauisa dicitur magis,
quàm cum perfusam se vidit oleo,
vt inijceretur in flammas:
putauit, sibi athletarum more pugnandum,
cinerem rogi datum pro theatri arena.
non potuit in illam distringere ferrum lictor,
prodigiosè siccata est eius manus, & meritò,
quia tam crudele spectaculum
videre voluit siccis oculis.

XVI.

XVI. Kal. Januar.

S. LAZARVS.

Frater M. Magdal.

17 Decemb.

Synop. *Ostenditur magnitudo prodigij, cum ad Christi vocem prodijt è sepulcro, inuolutus licet, & colligatus fascijs sepulchralibus. Galliam deinde adijt, vt eam vera religione imbueret.*

ENCOMION 406.

Renatum hunc è suis penè cineribus
dixisset Fama phœnicem,
nisi phœnix inter flammas, hic inter lacrymas
nouam esset auspicatus vitam.
aridus stipes, immò iam putris
refloruit ad vberes lacrymas Dei,
sed terruit simul ille vocis imperio Inferos;
infremuit more leonis ad prædam.
refixit, fletu mollitus, adamātinū necessitatis clauum,
citius est hic excitatus à morte,
quàm si fuisset à somno.
non potuit mors tenere, quem vita vocabat;
surda omnium votis non cœpit audire,
nisi Deo vociferante.
moram nullam fecit, scilicet sibi metuens,
ne vno negato, iacturam faceret omnium.
liberum statim reddidit, antequam cōpedes solueret.
nisi nomen fuisset expressum,
ad vocis imperium cuncti adstitissent Manes.
ex s. Aug. quid illa magnificentius, aut potentius voce,
quæ ante corpori reddidit animum,
quàm aeri sonum?
amauit hic maximè Gallias,
ibi versari voluit, qui refloruerat vita,
vbi futurum erat, vt regia efflorescerent lilia.

XV.

XV. Kal. Ianuar.

S. AVXENTIVS. 18 *Decembr.*

Episc. Mopsuest.

Synop. *Iussus ab Imperatore diuinos honores tribuere Baccho, expressa ad eius aram vua, & oblata, parere noluit; quamobrem ad ignominiam discinctus est balteo militari, quod ei cessit in decus.*

ENCOMION 407.

Apud accensam Baccho aram exarsisti ad pugnam,
scilicet nemo bellatorum aptior aduersus ebrium,
quàm tu sobrius,
nunquam tam liberè verba fudisti,
quàm cum increpuisti Liberi sacra.
iussus apud eius simulacrum exprimere vuas,
malle te dixisti, tuum exprimi sanguinem,
vicisti vltimæ barbariæ domitorem primum;
triumphalem illi abstulisti hederam;
adhærens tu religioni firmiùs;
palmam optasti manu præferre, non thyrsum;
non implere insano vlulatu nemora,
sed pio gemitu templa.
ablatus est tibi ad probrum militaris balteus;
hòc illustrior fuit victoria, quòd velà discincto parta. *Vegetius Michol.*
cum Bacchum inter Gratias coli vidisti,
habuisti videlicet tyranno gratiam,
quòd te imperatorem fecit ex milite,
discinctus captiuum in triumpho traxisti Liberum;
soluentem animos mero deuinxisti victor.
versatus inter Martis cornua, fregisti Bacchi,
damnasti orgia, quæ armantur in iurgia.
Trieterica æterno suggillasti dedecore.
subiecisses, dignior quàm ille, triũphali currui tigres,
nisi pastor factus vertisses tigres in agnos.

XIV.

XIV. Kal. Ianuar.

18 *Decembr.*

S. NEMESIVS.

Martyr.

Synop. *Calumniam ei falsò imposuerũt Ethnici, inflammati religionis odio, quòd rapto viueret. itaque impiè igni damnatus est vnà cum prędonibus. alluditur ad* Nemesis *nomen, quam scelerum vindicem putarunt.*

ENCOMION 408.

ipsa sibi fraudi est semper impietas,
in ipsam recidunt tela, quæ iacit.
vt Nemesium sibi infensum de medio tolleret.
calumniam imposuit, eum rapto viuere;
sed qui sibi quicquam ereptum doleret,
inuentus est nemo, præter Deos;
hi sibi diuinos eripi honores acerbè conquesti.
cultum finxere suum, quem Numini rapuerant vero;
ipsi potius vafri diuinitatis fures.
quia ardent ira, ardere & hostem suum volunt;
curant igni damnandum inter prædones.
nihil fuit seruo gratius, quàm imitari herum
nam & latrones ille socios mortis habuit;
idemq. amoris flamma æstuauerat moriens;
siti illi ardebant viscera, huic igni venæ.
vnum fuit discrimen (det magnus herus veniam)
mors Nemesij videri potuit certè illustrior,
quia ille inter subitas occubuit tenebras,
hic in media luce flammarum.
lætissimus obijt, nisi quòd vnum doluit,
quòd neuter ex prædonibus socijs resipisceret.
sed cinis ipsius minatus est puluerem Dijs;
nam fregerunt alij signa, eius exemplo constantiæ.
fictè dicta est vltrix reorum Dea Nemesis,
verè vltor Deorum Nemesius.

XIII.

XIII. Kal. Ianuar. 20 Decembr.

S. PHILOGONIVS

Episc. Antioch.

Synop. *Causidicus hic antea fuit, postea Episcopus creatus. vtrũque munus confertur, & vtriusque proportio indicatur, sed pontificatus præfertur. insectatus est hæreticos acerrimè.*

ENCOMION 409.

Factus es, Philogoni, ex causidico præsul;
patronus fuisti, vt disceres fieri pater;
quos habuisti clientes, adoptasti in filios.
voluisti priùs alijs prodesse, quàm præesse.
defendisti antea sordidatos reos,
postea eluisti reo sordes animi rei.
fulgurasti dicendo, Pericle acrior,
metuendus in primis anathematis fulmine;
tutatus es multos è rostris,
tutos à salutis naufragio reddidisti plures:
faueras innocentiæ verbo, deinde & re fouisti,
Pontificatu illustrior, quàm clientela,
non iam clamosus in foro, sed suasor in templo:
deprecatus es calamitates à tuis
efficacius prece, quàm schemate;
laudabilis, quòd animos flexeris,
laudabilior, quòd direxeris.
perturbationes felicius sopiisti, quàm excitasti.
fuit oratio melle dulcior, vita Sole clarior.
incidisti in Arium, Catilinæ audacia parem,
extorsisti è manu intentam delubris facem,
expulisti eum non ex vrbe, sed ex orbe terrarum,
patriæ pater tu potiùs dicendus, an gentium?
par Tullio; nisi quòd auguralem lituum ille, sed leuior,
tu Pontificium gestasti, sed grauior.

21 XII. Kal. Ianuar.

Decembr.

S. THOMAS

Apostolus

Synop *Ostẽditur magnitudo beneficii quòd in Christi vulnera digitos, & manum inseruerit. narratur prodigium de vitis palmite, quæ in eius manu quotannis germinare, & fructificare dicitur.*

ENCOMION 408.

Numeretur hoc in prodigiis Thomæ primum,
quòd in fide occidens attulerit Orienti fidem.
qui voluit mortis adsciſci socius, à redeuiuo desciuit;
post Imperatoris victoriam deseruit castra.
ad signa non rediit, nisi post visa vulnerum signa.
recrudeſcere voluit vulnera matura iam gloriæ;
sed dum ea refoderet loca, confossus est telo.
Dei filius eũ, quẽ impensè amabat, admouit pectori,
at Thomam inseruit.
penitùs hic cor ipsum pertentauit manu;
meritò Reges ritè lustrauit aqua.
digna manus fuit cordi admissa diuino,
cui se capita submitterent Regum;
iis maximè Regibus testatus est rediuiuum,
qui munera detulerant auspicanti vitam.
meritò ei donatum, vt lancea caderet,
cuius obiuit munus, cum subiit manus latus.
tametsi lancea cor inuenit languidũ, manus vegetum,
lustralem vndã petijt è corde, vnde morienti manarat,
vt abluti candorem acciperent Aethiopes.
Ribad. fama est, quotannis arentem palmitem in eius manu
subitò vireſcere, gemmaſcere, botros edere;
Mithol. desiit primus Indorum domitor celebrari Bacchus;
cœpit hic celebrari de Dei corde ebrius;
dignus calamo, qui tàm constanter obiit Calaminę.

XI.

XI. Kal. Ianuar.

S. ZENO

Martyr. 22 Decemb.

Synop. *Præfertur duobus Zenonibus philosophis. increpuit Imperatorem in castris, quòd Cereri sacra faceret; quamobrem maxilla, & dentes ei euulsi, & ceruices immaniter abscissæ securi.*

ENCOMION 409.

Vtri Zenonum veterum dicemus te similem
Cyttiænè, an Eleatæ? an neutri?
quia vtrique præstitisti longè.
Stoicos non sensu doloris carere putasti, sed mente;
non te adamantinum fecit natura, sed virtus.
non latuit tua sub porticu sapientia,
sed in Solem prodiit, philosophatus es in campo;
Imperatorem erudiisti miles,
cum increpuisti eum in castris immolantem Cereri;
negasti ab hac frugum esse prouentum.
non modò crudelis, sed amens tyrannus fuit,
cum tuis admouit ceruicibus ferrum;
quippe cessit securis in falcem,
vt meteres segetem gloriæ.
vouerunt olim Metapontini Dijs messem auream;
messuisti tu potiùs ferro desectum aurum,
an pretium sanguinis?
vicisti quoque singulari constantia
Zenonem alterum Eleatē;
excruciatus ille in tyrannum sectam expuit linguam,
tu maxillam ipsam, ac dentes fortius deuouisti pœnis,
quibus in impietate mordenda, & increpanda vsus.
ille dialecticis acuminibus se, suosq: compunxit;
at maius tibi magisterium detulit M. Tull.
gladij, quem subiisti, mucro, quàm linguæ.

X. Kal. Ianuar.

S. VICTORIA

23 Decemb

Virgo, & Martyr.

Synop. *Eiecta est ex vrbe in exilium, auctore Capitolij Pontifice, quòd Deos sperneret. ibi draconem, qui regionē infestabat, occidit precando. interfecta est pro religione, vulnere constanter accepto in corde.*

ENCOMION 412.

Sęuit nè tyrannus, an ludit?
de medio Victoriam tollit, vt vincat.
Victoriam conatur vincere, ne vincatur,
at illa nequit ab altero vinci,
nisi à seipsa,
dum supra ætatem, supra Naturam agit.
abire iubet ab vrbe Roma Victoriam
Capitolij Pontifex;
vilem fecit Romam, vilius Capitolium,
quia spoliauit ornamentis,
secum illa tulit & palmas, & laureas.
scilicet timet Capitolinus Iuppiter, ne victus cadat
victrice Victoria.
altera timetur virgo Tarpeia, ne prodat arcem;
sed illa auro victa, hæc neque ferro.
cum exulauit, tunc maximè prodiit in campum,
nam cum monstris iniit bellum.
nacta draconem vastatorem loci,
exulare iussit exul ipsa.
vnus inuentus est carnifex dracone crudelior,
qui ferrum adegit in cor virginis
impius, & excors.
at hoc virgini semper fuerat cordi,
pro sponso emori, quem habebat in corde:
potita est Victoria voto; icta, non victa est.

IX.

IX. Kal. Ianuar.

S. GREGORIVS

24 Decemb.

Episc. Spoletatus.

Synop. *Cum iniectus esset in ignem, statim consecutus est tremor, & hiatus terræ. spreuit simulacra, præsertim Iouis, Mineruæ, & Asclepij. feras, quibus est obiectus, elusit. voce inuitatus è Coelo obijt.*

ENCOMION 413.

Illustris appellari cœpit Vmbria,
cum Gregorium peperit Spoletanum.
coniectus in ignem, iucundius, quàm sub vmbra sedit:
ipse potius alijs metuendus fuit igni,
cum Pontificium vibraret fulmen.
non incanduit Præsul in flamma,
sed excanduit rei indignitate Natura:
statim horrendum in modum tremuit tellus,
labem fecit, vt expiaret paricidij labem:
quadringẽtos, & quinquaginta oppressit ex barbaris:
tres iussus Gregorius colere, spreuit Deos,
Iouem, Mineruam, Asclepium.
at vt verus sapientiæ partus existeret,
non caput tantùm, sed totum confregit Iouem;
mirum: vt saperent ciues, Mineruam abstulit;
vt medicinam adhiberet impietati,
de medio sustulit Asclepium,
Machaonis filium, Aesculapij nepotem:
in amphitheatrum deinde productus illusit Dijs,
immissæ in eum belluæ
non ad suplicium accurrère, sed supplices.
cum admoueretur capiti gladius,
supernè demissa vox ipsum acciit ad coronam:
nam quia nullus par virtuti plausus erat in terris;
victori thiriomacho vocale plausit Cœlum

VIII.

VIII. Kal. Ianuar.

25 Decemb.

S. ANASTASIA

Virgo, & Martyr.

Synop. *Senatoris filia fuit à S. Chrysogono instructa. aderat Martyrum certaminibus: cum in ipsam inuaderet Capitolij Pontifex, cæcus est factus. in flammas iniecta est Floris præsidis iussu, & in horto sepulta.*

ENCOMION 414.

Prætextato parente nata
nullius ornatus fuisti tam studiosa, quàm purpuræ,
sed eius, quam tingeret cruor
pro religione profusus.
gaudebas inter fortes heroes heroina versari,
spectatrix pugnæ, testis victoriæ:
collegisti, victrix timoris, sanguinem triumphalem.
ad pietatem à Chrysogono instituta
moribus imbuta es nomini consonis, hoc est aureis. *χρυσὸς aurum*
ideò didicisti in pœnis vile aspernari ferrum.
tradita Iouis Capitolini Flamini, vt caderes victa,
aspirasti potiùs ad Capitolij gloriam victrix.
rapuisti è gremio ipsius Iouis laureas,
debitas tibi.
ipsum Pontificem, cum in te iniiceret manus,
orbasti oculorum acie, qui orbatus erat mentis.
at te in pyra media constitutam,
ambierunt flammę, tantùm vt coronarent luce.
Floro Illyrię præfecto commissa
accepisti libenter omen,
quòd pœna verum cessura esset in florem.
meritò ab Apollonia matrona es in horto sepulta,
vt efflorescceres vel à morte.
nimirum suo sibi iure vendicat
immortalitas Anastasiam. *ἀθάνατος immort.*

VII.

VII.Kol.Ianuar.

S. STEPHANVS

Protomartyr. 26 *Decemb.*

Synop.*Cum Iacob patriarcha confertur. ille supra lapidem dormiens, bic inter lapides vigil rerum dominum prospexit in Coelo. eius pietas, Iudęorum obsurdescẽtium peruicacia, & furor ostenditur.*

ENCOMION 415.

Gaudet & theatris Deus;
ex alto athletam spectat agonotheta;
currere, sed difficili iubet in stadio,
nam substernit currenti lapides.
sed mirus athleta, nunquam cucurrit pede tam libero;
ad saxa religauit nauim, patriam aspectu tenens.
quidam heroum Deum vidit decumbens in lapide,
hic occumbens lapide.
vtri species obiecta maior,
ei, qui innixum, an qui stantem vidit Deum?
quæris, cur hic nullæ tendant in Cœlum scalæ?
non vtitur scalarum gradibus, sed pennis Amor.
nunquam hic lenior, quàm inter aspera fuit saxa:
inter surdas versatus aspides
mel ex ore pro veneno fudit.
clausit & Vlysses aures,
sed Sirenum illecebris,
ne ad cautes allideretur incautus;
at hi cœlestem Sirenem surdi appetunt cautibus;
nouus Orpheus inter canoras preces
trahit ad se saxa.
comminuti sunt lapides in magni Vindicis morte,
in tenuia frustra concisi, vt hunc ferirent mitiùs.
parum ei genti fuit lapidescere dura ceruice, *Acta apost.*
nisi etiam lapidesceret dura manu.

VI.

VI. Kal. Ianuar.

27 Decemb.

S. IOANNES

Apostolus.

Synop. *Aquila comparatur. filius tonitrui dictus à Christo. hæreticos insectatus est, qui eù diuinitate spoliare conabātur. priuilegium expenditur recumbentis super eiusdem Christi pectus.*

ENCOMION 416.

Regium vel in piscatore fuit auspicium:
aliquando & nautis calamus cedit in sceptrum:
nobilem scilicet prætulisti aquilam,
volatu arduo, obtutu oculorum acri;
tametsi immortalitatis non vana suspicio
fecit te phœnicem,
superstitem ex amoris flamma,
sed hòc phœnice nobiliorem, quòd procul à cinere.
tuis se subiecit signis etiam illa pars orbis,
quæ Romanas non nouit aquilas:
desijt hæc ales dici Iouis,
nihil habuit te infestius Iuppiter Tonans:
abiecto fulmine, vnum timuit tuum;
tonitrus dictus coruscasti prodigijs.
non vnum tu lacerasti draconem aquila:
Ebionem in primis, & Cherinthum.
defensa Dei filij æternitas ante tempora
te subripuit tempori,
penè mortali conditione maiorem.
multas rapuisti prædas,
sed nullam felicius, quàm cor ipsum Dei:
credidit ille tibi & pectus, & matrem.
cum insedisti in amantis pectore aquila,
declarasti Amorem regem,
auspicium quoque illi dedisti victoriæ.

V.

V.Kal.Ianuar.

SS. INNOCENTES

Infantes Martyres. 28 *Decemb.*

Synop.*Herodis immanitas, & ambitio execranda carpitur. acerbissimum spectaculum coram oculis proponitur occisor u Innocentium. sed ostenditur, quàm nobile fuerit cecidisse Christi loco.*

ENCOMION 417.

Maiora sunt liuoris monstra, quàm Libyes,
Regum munera Regem inopem consilij faciunt.
Oriens eum incitat in exorientium occasum:
ne vnius diadematis careret insigni,
multas purpura sanguinis tinxit fascias.
ad matrum sinus, & vbera castra militum cogit,
tenerrimum eligit locum, vbi ferrum duret.
aspectu ardentis è Cœlo sideris,
suorum exardescit in sanguinem.
ob nouæ lucis exortum,
eripit infantibus nouæ lucis vsuram.
Xiphiam credidit stellam, cum acuit gladium.
amittendi regni timore correptus expalluit,
idemq; à Regibus illusus erubuit.
Naturæ bellum est ausus indicere,
vt Naturæ parentem perderet.
at non potest, quod quærit, inuenire perfidia;
non crudelitate, sed credulitate quæritur Deus.
oppugnauit ipsam pietatis arcem, vbera.
Solymes regnum lupina inuaserat fraude,
sed fuit crudelior multò, quàm lupa;
illa infantibus admouit mammas, hic gladium.
in Aegyptum puer Deus, non vt euadat, fugit,
sed ne tantum videat monstri.
commune beneficium tyrannus vertit in pœnam,

Ecce nego

negotium salutis iubet esse discrimen;
at nullum in his crimen,nisi fortè quòd nati,
sed feliciter nati,quibus vltrò venit obuiam vita.
primum spiritum fudere in præconium Ducis.
vocalis est testis non lingua, sed sanguis;
pro liquida voce liquidior effluit cruor.
fiunt diserti laude, qui sunt sermone deserti.
primitias offerunt dulces
acerbi ætate,tantùm maturi vel pietati,vel laudi.
occupant vno tempore stadium,atque metam.
præripiunt coronas
manu adhuc latente sub fascijs.
ante Victoria nobiles obtulit palmas,
quàm eas capere possent digitulis palmæ;
manubiæ obtigere penè ante quàm manus.
non arma callent tractare,sed vincere.
generosæ animæ,quę præferunt vulnera osculis,
castra cunis,tela crepundijs.
prędicaneæ cadunt ad aram victimæ
ritè,quia infulatę,
fasciæ ipsę omen fecere sacrorum;
pro victo tyranno hoste litatum.
nouum genus triumphi fuit,
quia rediere lictores cum securibus laureatis
ob victoriam cæsorum.
nouus Imperator è Cœlo nouū conscribit exercitum.
non fulminatrix est hæc legio dicta,sed lactens.
nulla victoria hac cęde lætior,
quia cadentes arrisere hosti,
ignari videlicet fraudis lusere cum gladijs;
feriata nesciuit infantia ferientem.
sed inaudita crudelitas, quæ vnum inuasit in multis.
haud tamen vlli Cœlitum obtigit tantum decus.
nam ceteri necati sunt propter Christum,
at hi singuli,quasi Christus.

IV.

IV.Kal.Ianuar.

S. THOMAS

Episc.Cantuar.M, 29 *Decemb.*

Synop.*Quo tempore hic ortus,incendium excitatum est in patria.eius ardor animi prædicatur. Henricus,cuius gratia necatus est,nudatus ad eius tumulum, coenobitarum flagris sponte humeros obtulit.*

ENCOMION 418.

Mira ſunt,Preſul magne,tui natalis auſpicia;
prodis in lucem ardente patria.
non caſu excitatur incendium;
arcanum aliquid loquuntur linguę,quę vibrant;
illuſtrem te fore fama prędicunt,
ſed inter inuidiæ iactandum faces;
aut renouanda per te moribus patria
more phœnicis ſuo ardet in rogo,
cum primùm te Solem ſpectauit orientem.
aut Alexandrum alterum peperit mater,
in cuius ortu Dianæ cor flagrauit fanum;
quanquam tu non euertis delubra,ſed conſecras
quà lacrymis,quà cruore.
non vis illa defendi more caſtrorum ſed caſta prece.
maior es, qui religione ſuperas Magnum.
vterque inter flammas editus,
at non vtrique ſic auſpicata ſplenduit flamma.
illi inter incendia belli fatalem portendit pÿram,
tibi vitalem tuendę religionis ęſtum.
cum hoſtis tuo ſanguine tinxit infulas,
reddidit triumphales.
ſed feciſti purpura tua,
vt Rex pœnitens facti exueret ſuam.
quin etiam nudos humeros ſubiecit piorum flagris,
ſed illuſtrior horum,quàm lictorum, factus eſt virgis..

III. Kal. Ianuar.

SS. SABINVS EPISC. ET VENVST. Martyres.

30 Decemb.

Synop. *Sabinus religione ardens, Iouis simulacrum cōminuit; quamobrem abscissæ sunt illi manus. cæcum sanauit in carcere. pertulit verbera. vnà cum Venustiano martyrium subiit, qui in mare proiectus est.*

ENCOMION 419.

Sabino pugna fuit cum ipso Rege Deorum Ioue;
in larario Præsidis, simulacrum illius fregit.
Cœlo tonantem afflixit in terram;
non alio campi victor in puluere,
quàm in comminuti Iouis;
opposuit Pontificium lituum eius sceptro,
fulmini fulmen;
hoc acrius, quo execrata, & deuota capita
adigi ad Stygem possunt.
post manus sibi abscissas, in lucta fortior fuit;
centimanos finxere Titanes, vt oppugnarent Iouem,
at hic nullis manibus expugnauit.
in carcerem inclusus cæco reclusit palpebras;
inter tenebras positus, dedit vsum lucis.
truncas admouens manus integros fecit oculos;
stillans cruore brachium sanauit ægrum.
demum strenuè superatis hostibus triumphum egit,
manubijs onustus, sine manibus.
liuidus totus flagris
liuore affecit inuidum Ditem.
vt esset spectaculum pugnæ pulchrius,
socium habuit Venustianum.
hic in mare demersus decus attulit mari:
inquinatum scilicet illud ortu Veneris
expiatum est satis accommodatè morte Venustiani;

Pri-

Pridie Kal Ianuar.

S. SILVESTER

Pont.Max. 31 Decemb.

Synop. *Sub hoc hierarcha religio, & roboris accepit, & ornamenti plurimum, Constantino magno Imperatore eam fouente, & locupletante. curandæ lepræ non infantium cruorem, sed sacram adhibuit aquam.*

ENCOMION 420.

Cum terminus videbatur fore labori,
silua laudum aperitur immensa.
nempe religionis illa vera vox est;
ne siluescerem, vnus effecisti, Siluester.
tunc primùm Roma dedignata lupam,
ducere lac cœpit è mammilla Regum:
ferreas mutauit claues in aureas.
vidit ea ætas spectaculum omnium maximum,
infulatum Imperatoris Constantini caput
subiectum senili dexteræ, sed intrepidę:
non tantum ille accepit decus,
cum barbarorum subdidit colla,
quàm cum ipse suum.
Romano hierarchæ imperium concessit Occidentis,
quod tamen nulla vi caderet;
secessit ipse in Orientem,
vt se recens illustratum significaret è Cœlo.
in quinatam lepra trabeam
abluere aqua maluit, quàm cruore.
negauit sibi prodesse vitam, quæ obesset alienæ:
noluit decolorare purpuram
pallore morientis infantiæ.
nunquam visus est Cęsar aut celsior, aut augustior,
quàm cum diademate præcinctam frontem
pronus demisit in fontem.

purius

purius in eo fonte resplenduerunt capitis gemmę;
quàm in suis, vndè acceptæ.
vilis haberi cœpit Hermus, ac Tagus;
quia ita labuntur, vt non eluant labem.
accepit Imperator à sacris decus, & dedit.
vt plures ad illud inuitaret lauacrum,
coronatum auro, & lapillis caput immersit:
vltimum, ac supremum imposuit imperio fastigium;
cum est initiatus.
didicit indulgere infantiæ,
cum renatus euasit infans.
didicit dulcis esse lactentibus,
cum ritè lac cum melle gustauit,
dignior fuit Constantinus cognomento Magni,
cum se fecit paruulum.
vbi ipse decreuit in paruulum,
religio adoleuit in magnam.
tunc augustius caput inuoluit regijs vittis,
cum puerilibus pepercit fascijs.
crudelia, ac ferina meditantem
Siluester fecit vrbanum.
fons ille lustralis
siccauit oculos matrum.
tunc generosę probata est acies aquilæ,
cum cœpit verum intueri Solem.
desierunt in vexillis sibilare dracones,
vbi petitæ sunt è Cœlo
victrices notæ vafri serpentis.
quamquam dicitur & Siluester interfecisse draconem;
augusta vox pro venabulo fuit.
congruenter idem conficit ipsum annum,
conuolutum in se, tanquam in spiras anguem.
rectè imponit hic heros tempori metam,
vt ęternitas sit in voto.

Pri

Pridie Kal. Ianuarij

S. BARBATIANVS

Presbyter 31 Decemb.

Synop. *Concessa est ei diuinitùs curatio morborum: sed, vt id donum tegeret, Medicum se simulauit. ea tamen adhibebat, quae vel vim sanandi nullam haberent, vel certè non tam praesentem.*

ENCOMION 421.

Claudatur annus præclaro Salutis auspicio.
habuit hic, præter cetera, in morbos imperium;
Apollinis filium putasset antiquitas,
nisi ille apparere gestiret,
hic latere.
ne sanitatem ab ipso acceptam virtuti adscriberent,
voluit adscribi arti:
Medendi artem artificiosè præse tulit.
sed ijs, quæ adhibuit, medicamentis
declaratum est non humanæ fuisse opis
quod nouo more, & sine mora præstaret.
domesticis vsus est cataplasmatis,
ne esset pretium peregrinis.
in primis obstructis cuiusdã faucibus imposuit cerã:
Vlysses cera sociorum aures clausit, ne vox influeret,
at hic guttur cera reclusit, vt vox effluerer.
nimirum docuit proferre verba non amara,
sed mellea pietate condita:
ita ministerium salutis
conuertit in magisterium vitæ.
Idem dum solo nutu curare detrectat,
Apem se ostendit, odit fumum.
Alterius cæcitatem item mirè sanauit;
pallio suo eius oculos operuit, vt aperiret:
potuit tangendo curare,
sed maluit tegendo, vt se quoque tegeret.

Pri

Pridie Kal. Ianuarij

31 Decemb.

S. COLVMBA

Virgo, & Martyr


Synop. *Imperatoris filii nuptias spreuit. quamobrem in lupanar inclusa. sed accurrens Vrsa eã tutata est. Ignis, cui tradita, diuinitùs extinctus est niue. occubuit gladio viriliter,*

ENCOMION 422.

Mitis fuit hæc, more Columbæ,
sed acerbior felle visa est spurijs Dijs,
quia insectata illos est semper hostiliter.
Expetita ad nuptias à nobilibus procis,
etiam Aureliani Cæsaris respuit filium;
putata est à bonis generosior Colũba, quàm Aquila;
quia ab hac uinci non potuit.
sed quàm sordidus Imperator vel in purpura fuit,
cum iussit eam in fœdum lupanar intrudi!
aduolarunt accipitres, sed eos præda delusit:
scilicet repente accurrit Vrsa
ad tutelam Columbæ.
custos fit in terris, quæ custode eget in cœlo;
mirum, nouumque prodigium;
Vrsæ beneficio factum,
ne Columba verteretur in lupam.
mallet ipsa configi venantium telis,
quàm hanc Cupidinis.
Adhuc tyrannus furit: in ignem coniici iubet;
sed diuinitùs niue delapsa
niueus defensus est candor.
tandem Columbæ ceruices ferro cruentant,
sed tortores ipsi fecerunt pulchrè torquatam.
Quàm igitur auspicatò euolauit annus
aureis huius Columbæ pennis!

FINIS.

AVCTARIVM
Ad Encomia Cœlitum.



ENCOMIA
CHRISTI, EIVSQ; MAGNÆ MATRIS V.

Auctore eodem

IO. BAPTISTA MASCVLO

è Societate IESV.



NEAPOLI,

Ex Regia Typographia Aegidij Longhi MDCXLIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

AD LECTOREM.



D Encomia Cœlitum, quę in lucem pridem edideram, visum est addere alia nonnulla, nō modò Cœlitum, sed Dei Filij, ac Deiparæ; quod in prima editione ferè non feceram, tum quia non omnes festi Christi dies stati sunt; tum quia quædam ad mysteria potius pertinent, quàm ad facta: Encomia verò, vt Aristoteles docet, propriè factorum sunt. Sed cessi tandem pijs amicorum votis. decet autem laudare vnà cum filio matrem, idque seorsim à ceteris Cœlitibus facere. breuis labor, sed grauior omnino; quippe magnoperè vereor, ne alterius maiestate, alterius dignitate obruar.

CHRI-

CHRISTVS

Recens natus

Synop. *Expenditur amoris magnitudo, quo affectus Deus inter tot incommoda nasci voluit, quæ tamen omnia in nostrum cesserunt commodum. tum infantis ipsius Dei pulchritudo, ac decor commendatur.*

ENCOMION 423.

Quis vel disertissimus audeat effari
sub Deo infante?
quis importuno interturbare sermone
medium Mundi silentium?
mira res: Natura silet in Verbo,
per quod est condita:
silet, an stupet?
Qui super pennas dicitur ire ventorum,
hic sub ipsis vapulat.
qui spiramento animauit hominem,
hic indiget anima brutorum.
totum illud maiestatis pondus immensum,
incubuit, hæsitq. stipulæ.
quantò hic ab hostibus maiora feret incommoda,
cui vel leues stipulæ fiunt graues?
primum cruciamenti genus est
acumen aristę,
nempe vix natus nostra messuit mala.
at non vallat diuinum arista frumentum
ab auium morsu;
sed ipsa, dum fulcit, mordet.
gratum est Deum arctari corpore,
durum arctari frigore.
breuis apparet in membris,
sed breuior fit in glacie.
Immani cogitur frigore,

at non coactè, sed sponte.
totus constringitur gelu,
totus idem soluitur fletu.
odit tumorem, nisi quòd ocelli tument.
nunc tandem desinit esse rigidus Deus,
cum incipit rigere.
nunc magis ardet, cum alget.
inter pruinas nactus est prunas:
sic amat firmiùs, cum tremit.
Habac. proph. venit, vt prædictum est, ab Austro,
sed incidit in Aquilonem:
at nunquam videri potuit tam niueus puer,
nunquam etiam purior mater,
quàm inter niues.
gemit, sed quid eius vagitu dulcius,
qui traxit ad se Cœlitum lyras?
vilis iacet, sed quid eius specie pulchrius,
quem vt auidius cerneret Cœlum,
nouo sidere se oculatius fecit.
intempesta oritur nocte,
tempestiuus tamen nocti pellendæ.
quid hic nisi Cœlum placabilis spondet,
qui ardens fulmen vertit in stellam?
Tonantem consequitur imber, sed lacrymarum.
Desinunt interim pastores manu mulgere oues,
student ore mulcere Deum.
Desine tu quoque Roma vbera mirari lupina;
dignius admirare virginea.
hunc tibi, si sapis, inaugura Regem,
habes oleum, quod apud te diuinitùs scatet:
regia tamen à te ornamenta non quærit,
diadema sunt fasciæ, trabea panni.
hinc fœnum collige, quòd præfers in signis,
vt bruta tibi subiaceat tellus.

IESVS

IESVS CHRISTVS Circumcisus.

Synop. *Iesu nomini iure exhibetur honor. eius vis in Iosue, qui itē Iesus dicitur. ostenditur, Sole & Luna stare iussis, donec hostē obtereret. Huius nominis auspicio fausta omnia sunt orienti anno.*

ENCOMION 424.

Ttriumphale nomen hoc est, quod inditur,
licet vulnere partum Ducis.
sed disce statim admirari diuina:
nomē excisum cultro cruentat hostem, excindit Erebū.
vilia sunt vittata capita Cæsarum,
nisi huic sponte se prona demittant.
sceptra neque solida sunt, neque recta,
nisi Reges ipsi se flectant.
nempe magni huius argumento nominis,
mortalis olim prodigiosè imperauit Naturę:
excursurus in campo, Solis in Cœlo inhibuit cursum:
mira res: vt hostem perpetua opprimeret nocte,
cauit edicto, ne nox accederet;
vt eriperet hosti lucis vsuram, noluit eripi Solem.
ostentauit & Lunæ bicorni fracta exercitus cornua.
desijt interim vnà cum Luna Sol vocari planeta,
cœpit fixus admirari huiusce vim nominis:
ad vmbram solùm tanti nominis tanta lux expauit;
vmbra geminauit diem.
nullus in hoc nomine datur errandi locus,
in quo errare dediscunt sidera.
meritò præclaris eius auspicijs
laureatus incedit annus inter triumphos Cœlitum:
at dies hic, vt ceterorum videretur princeps,
diuino sanguine primo purpuram imbuit suam.
Etsi cruore rubescit dies,

cal;

calculo tamen notandus est candido;
quia faustus,& vitalis est cruor.
oritur hic Imperator simul,& victor,
statim sibi nobile trophæum
suo inscribit sanguine.
miro modo iustam in nos hebetauit iram,
scilicet per aciem cultri.
sanguini non parcit suo,vt parcat hostili.
Petra est:sic voluit appellari,
qui voluit sculpi.
Plinius visus est in hoc quasi Phidias Amor,
nam se vnà ipse ambitiosus effinxit.
ergo parum erat veluti contrahi Deum
in paruula membra,
nisi etiam fieret minor
eorum parte desecta?
sed crescit Amor in nos diuinus,
dum decrescere in se videtur Deus,
maiestate naturæ immensus.
præstat ille se integrum fide,
dum hic finditur cultro.
non satis Deo fuit inuolui fascijs,
vt se tegeret nudum,
nisi etiam egeret fascijs,
vt suum tegeret vulnus.
infans est,& acerbus ferendo;
at Deus est,& maturus amando:
nunquam Amor non præcox est,
quia nescit moras.
vix descenderat salutis in stadium
diuinus athleta,
cum offendit in lapidem:
sed vt acutus fuit is lapis,
ita ipsum acuit ad cursum.

CHRI-

CHRISTVS à Magis adoratus.

Synop. *Honor ab Orietis Regibus exhibitus recens nato ostenditur. singulorum munerum proprietas exprimitur. Stella quoquè, quæ apparuit, honorifica legatio exponitur.*

ENCOMION 425.

Nunquam regalis purpura pulchrius rubuit,
quàm cum ad conspectum pannosi Dei
dibapha prorsus erubuit;
additum est ex altero rubore decus:
arsit in Cœlo astrum, in terris ostrum;
illud fuit amoris, hoc honoris.
libenter submiserunt capita Reges,
excipentes lacrymulas subiecto diademate,
vt clarioribus illud illuminarent gemmis;
minus lucere cœperunt, coram orto Deo,
ii, quos attulerant ex Oriente, lapilli.
certarunt cum Dei fascijs regiæ vittæ,
sed cesserunt victæ.
certarunt sceptra cum stipulis,
sed leuiora visa sunt sceptra quàm stipulæ;
specus, quàm aula, speciosior fuit.
quàm illustris legatio, quę fit per sidera?
quàm clarus ille natalis,
quem publicauit Cœli lingua?
quàm faustè diuinæ nuptię celebrantur,
vbi fax stella, pronuba Pietas, auspex Amor?
nō adhibita est Fama pro nuncia,
quia fida non est, quæ canit etiam infecta:
deperdidisset potius, quàm acquisisset, vt solet,
impar in hoc Fama vires eundo:
auersatus est puer garrulæ Famæ tubam,

qui

qui humi iacens nihil admittit inflatum:
noua lex Cœli, ſtella fit index diei:
nemo videlicet teſtari certius poterat,
Deum adeſſe de Cœlo, quàm ipſum Cœlum.
ſed quid hoc? ceteri, ne fallantur in itinere,
contemplantur aſtra, ſed fixa;
at Reges, nè deuij aberrarent,
aſtrum ſecuti ſunt erraticum.
Nec minus hoc mirum; pro munere detulerunt Deo
aurum tot malorum ferax:
expalluit ſolito magis aurum
more reorum:
veritum eſt tribunal pauperis Dei,
ſed timere mox deſijt,
cum & Deum puerum vidit aureum,
immò ad natiuum accreuit auro decus,
cum vibrauit in ipſum ex ocellis lucidis fulgor.
At thura nunquam afflauere ſuauius,
quàm cum ex impio ſimulacrorum vſu
ſenſere ſe libera.
fragrantius deinceps ardere cœperunt
in cordis ara.
Inter munera apparere auſa eſt
etiam myrrha,
ſcilicet latere ibi ſenſit amantem,
ſciens in amore ineſſe nonnihil amari.
tametſi ſuauitas fuit in munere,
quia pietate conditum.
ſed illud ipſa myrrha fuit amarius,
quod poſtea æmula molita eſt impietas,
cum caſtis Dei oppoſuit cunis
inceſtum Adonidem filium Myrrhæ:
Adonis quamquam abiudicatus eſt locus amaſio turpi,
quià ipſum prior occupauerat Amor pulcher.

CHRI-

CHRISTVS Transfiguratus.

Synop. *Habitus Christi, dum se transfigurat, exprimitur. radiatus Solis instar vultus, & indumenta niuis instar candida. tum ratio affertur, cur in tanta gloria de sua morte verba faceret.*

ENCOMION 4261

Non nisi sublimiter loqui decet
de sublimi montis ascensu:
noua conquirat, oportet, rhetor schemata,
quando nouam Deus induit figuram.
mirum visu. facies exardescit in Solem,
dum indumentum hibernas exalbescit in niues,
nec tamen colliquescunt à Sole niues;
sed parua sunt hæc fœdera:
Fecialis hic magnus iunxit imis summa,
homini Deum.
at cur pulchram induit formam,
dum sermo habetur de deformando,
immò, ob lacerum in primis caput,
penè de carituro forma?
cur amictus candet in niues,
dum verba fiunt de sordibus mortis?
quin etiam circumdatur Solis lumine,
dum ea narrantur indignè gerenda,
propter quæ Sol retrahet lumen.
nimirum hoc vnum est iter ad gloriam,
haberi, non esse inglorium.
nonnisi acris hiems, & horrida morientis
candidas dabit niues resurgentis.
cum sanguineo Sol occidit aspectu,
serenus redibit dies.
interea de nube vox editur,

quæ indicet parenti magno dilectum :
stuporis fuisset, de nube, vnde prodit fulmen,
amantis prodire præconium,
nisi & Amor haberet tela, sed aurea.
Interea heros, qui Deum vidit inter asperos vepres,
nunc videt in flore virtutis.
quem vidit inter flammas,
nec tamen in fruticem ardentes,
nunc videt inter indumenti niues,
nec tamen algentes.
splendida ille olim effulserat fronte
instar Lunæ bicornis,
opportunè nunc conuenit lucis auctorem,
qui præseferebat Solem:
opportunè & alter heros accessit,
à quo Sol ipse nomen accepit
Ex Chrys. ἥλιος dictus;
suum ille obtulit currum
Duci adepturo nouo more victoriam
per triumphalia vulnera:
quanquam nondum hic induit purpuram,
quia nondum fuderat, quo imbueret, sanguinem.
nondum trabeatus, quia nondum pependerat trabe;
aptè & eundem admisit ad loquendum de sua nece,
hoc est de tanto amoris incendio,
Eccles. 40. cui os arsisse dicitur vt facula:
tantus moriendi ardor etiam inter niues.
sed de morte vincenda sermonem iure habuit
qui eam laureatus euaserat:
opposuit pallori frigido mortis
vultum igneum,
cineri flammam.
frenos, quibus viuidos incitauit equos,
domitam inhibuit mortem.

CHRI-

CHRISTVS
Euchariſtiam inſtituens.

Synop. *Admirabilis Chriſti amor oſtenditur, cùm ex tanti doni præſtantia, tùm ex adiunctis temporis: eo videlicet tempore tam munificus fuit, quo ipſi dira pœna, ac mors parabatur.*

ENCOMION 427.

Stupet animus ſimul, & exilit,
quà prodigij magnitudine, quà pietatis,
quod ore fit, dici ore non poteſt;
ad explicandum anguſto,
ad operandum auguſto:
magnum eſt è Cœlo Deum trahi, maius humi contrahi.
magnum eſt orbem condere,
maius orbiculo condi.
cum erat hoſti prodendus à ſuis,
tunc maximè amorem prodidit ſuum.
cum ob auaritiam venalis paruo,
tunc opes prodigebat omnes.
tunc de ſacro ſe præbuit edendum,
cum habebat aduerſariam
ſacram pecuniæ famem.
dum parabatur fel, propinauit nectar.
velox Amans pectus aperuit, antequam venas,
infudit ſanguinem nondum profuſum.
manus, antequam acciperent ferrum,
donarunt aurum.
dum eum mors à mortalibus ſeparare conatur,
mirum inuentum eſt amoris gluten;
nempe quo deglutitur Deus.
hic ſe clarius oſtentat Amor, ac prodit,
vbi ſe tegit.
hic præſefert verè amantem,

vbi simulat dapem, dissimulat Deum.
apis est, fingit, sed fauum:
non imponit, sed mel reponit.
non facit tibi cum fraude fucum,
siquidem apis odit fucos.
omnes aboleuit veteres sui figuras,
cum hic tandem abdidit suam.
priscas antiquauit vmbras,
cum hic se inumbrauit:
facit Sacerdos, nec aram inficit;
quia libatur cruor, sed incruento sacro.
magni hæc Solis est mensa,
at non in Sole gustanda.
mirum consilium: nube se tegit;
vt fulminare desinat.
lynceum hic esse, orbari luce est;
metiri oculis, mentiri.
quod intus est, intra fidem est,
quod extra, citra fidem.
parum cordati est
esse hic multùm oculatum.
Auctor muneris fidem quærit,
tamen propellit hinc canes,
quia etsi sunt fidi,
at nimium sagaces.
vsque ad extremam amauit lineam;
cum superficie latuit.
hòc factus est dulcior,
quòd miscuit amara dulcibus:
nempe suæ memoriam mortis
infudit poculo vitæ.
instar adijcialis opiparam instituit cœnam;
sed adijci nihil potest:
Instar dubiæ est plena, sed certa.

CHRE

CHRISTVS
patiens, & moriens.

Synop. *Singula ferè pœnarum, & opprobriorum genera expenduntur, quæ Christus pertulit; tum prodigia, quæ acciderunt in eius morte, atque horum omnium fructus ostenditur.*

ENCOMION 428.

Est locus Encomio etiam inter probra;
immò sumit decus oratio à probris Dei:
nunquam nobilius tractatur à nobis calamus manu,
quàm cum obtrectando fit calamus sceptrum.
nunquam Amor aut pulchrior nitet, aut gratior,
quàm hic inter odia:
tam dura cote melius acuitur stylus.
quanquam quis non insculpet triumphales notas;
quando hostis ipse sufficit columnam?
quis non desudet in eo laudando,
qui tantum laborat in bene merendo?
Statim præcurrit ictum, ac vulnus vltroneus cruor.
quàm difficile fuit illud stadium mortis,
quod antequam intraret athleta tam fortis,
desudauit sanguine?
osculo capitur, qui amore vult capi.
manus tradit in vincula, vt vinciat corda.
sed prostrati sunt hostes ore, non manu,
maiestate, non impetu.
qui concitarunt procellam aduersus Tonantem;
attoniti fulgure numinis cadunt.
infandum. sistitur ante tribunal hominis
Deus, vt reus.
nisi quòd terret iudicem suum,
cum se dicit iudicem Mundi.

prò

prò dolor: liueſcit flagris Amor,
qui nunquam liueſcit inuidia.
crepitant in eum ictus plagarum,
ne crepitet in nos fulminibus Cœlum.
ſimul & regali illuditur trabea,
& ſeruili damnatur trabe.
ſed probro non eſt, quam induit, purpura;
immò accedat ad decus & latus clauus.
neſcit hoſtis ſuperbus, ac ſęuus
imponi à ſe victori trophæum humeris.
Vide adag. impius propinauit acre acetum ori,
quod ille non habebat in pectore,
cum paricidis pepercit dulciter:
nempe coaceſcere non poteſt amor.
cernis? totum iam tragœdus Amor compoſuit corpus
in ſcęnam pietatis.
tametſi ille, qui tam auidus eſt pœnarum,
eas ſolùm ab ore amouet.
reſpuit fel: nempe dulcem allocuturus matrem,
noluit amaritie oris infici dicta,
memor materni lactis in felle.
Interim Crux regium fronte fert titulum.
locanda videlicet ipſa in frontibus Regum.
ſolium eſt, ſi inde ſodali dat regna.
quanto illa maieſtatis incubuit pondere,
quæ infixa coëgit terràm intremere?
fracta ſunt montium ſaxa velut in pilas,
vt inſculperentur in monumenta victoriæ.
tandem poſt confectum bellum acceſſit lancea,
ſera pugnæ, ſed opportuna triumpho.
non ante per illam patuit cor Dei,
quàm patuiſſet per mortem Amor.
vt redames ergo, tot clamant ora, quot vulnera:
ſurdaſter es? nuper vel hoſtilem ſanauit aurem.

CHRI-

CHRISTVS
rediuiuus.

Synop. *Eius ſepulchri, etſi vacui, dignitas exprimitur. tum oſtenditur, omnia probra, ac ſupplicia ceſſiſſe in decora. ſacri quoque lintei immunis à flamma laus additur.*

ENCOMION 429.

Non debet diutius occludi ſepulchro
is, qui recluſit Inferos.
ſeruiat marmor aræ, non vrnæ;
obeliſco, non cippo.
non dicatur de more: Hic ſitus eſt:
is, qui Deo ſatus eſt.
non inſcribatur: Vixit: ſed, Viuit.
hòc nobilius ſepulchrum eſt, & illuſtrius;
quòd eum excepit,
quem diu poſſidere non potuit.
hòc pleniore laudandum eſt ore,
quòd corpore vacuum rediuiuo.
caret Imperatore, at non caret triumpho,
quia intùs relicta ſunt ſpolia
cum victoris effigie.
hoſtis ipſe, cum ibi ſignum poſuit Iouis, *Baronius.
putauit Capitolium.
penetrabilis factus eſt lapis
ei, qui vel lapidea penetrat corda.
qui pridem ſaxa diffregit,
nunc ſaxa permeat integra,
quia redintegrata iam vita.
candidum videlicet matris vterum
candidus æmulatus eſt lapis;
immò hic immortalem protulit, ille mortalem.
vterque ſacras oſtentat faſcias.

ſed

sed hæ speciosiores, quæ referunt speciem:
quàm pulchrè hic ille insignitur amantis effigie;
vbi lineamenta expressa sunt sanguine?
de vulnerum theca Amor pigmenta deprompsit,
quibus ipsa depingeret vulnera.
hòc venustior est imago, quòd tota purpurea;
habes Subaudia triumphales exuuias,
quibus olim excitata flamma non nocuit:
nempe veritus est ignis linteum,
quod maternæ madefecerant lacrymæ,
quod artus exceperat gelidos morte.
sed tempus est, vt spina reflorescat in rosas,
vt arundo cedat in sceptrum,
vt humeri virgæ in regni fasces;
vt repleti cruore vulnerum sulci
progerminent in segetem gloriæ.
viuat, qui vel moriens viuere iussit mortuos;
reddat mors eum, per quem ceteros reddidit:
remittat sibi commissum triduo,
per quem remisit tumulatum vel quatriduo.
vt euomuit cetus Vatem, sic Inferi Deum;
sed ille sit præco mortis,
hic auctor, & signifer vitæ.
per illum in vrbe mœsta versatus est cinis
per hunc excitati alacres è cineribus Manes.
at quàm cæca inter hæc fertur inuidia,
quæ clausis oculis tumuli adhibet testes?
scilicet eum mentitur ereptum,
qui potius diripuit Tartara;
à latronibus sublatum fingit,
quem latro ipse fassus est Deum.
est hic quidem cum occiso Leone collatus,
sed inde inclytus heros pastus est melle,
hinc (prò nefas) inuidus hostis tumuit felle.

CHRI-

CHRISTVS
ascendens in Cœlum.

Synop. *Triumphalis pompa describitur, in qua ex Habacuci vatis oraculo, in primis captiua mors ante victoris faciem ducta, communis hostis ante pedes. nubes autem pro curru fuit.*

ENCOMION 430.

Inter lacrymas calamus versatur, & gaudia:
illas euocat amantis absentia,
hæc prouocat regnantis magnificentia.
sed arent oculi statim, cum hærent
obstupefacti spectaculo:
corpus pridem libratum bifida trabe.
se librat in Cœlum,
quod graui succubuit ponderi,
leuius euolat ventis:
pœnis succedunt pennæ,
infelici arbori trophæum,
nuditati triumphales exuuiæ.
mons dat initium pompæ,
non consitus lauro, sed olea,
ostentat insignia non belli, sed pacis.
stupet mors audiens epinicia,
versari solita inter epicedia.
surda semper mortalium votis
audire cogitur laudes sponte deuoti:
incedere iubetur ante os Ducis,
quæ insidiari solet à tergo.
olim post se seruum ferebant in curru,
qui admoneret mortis:
at hic triúmphator ante se fert,
quam posthabuit, mortem;
quia hic os obuiæ non formidat, it præuia.

exhibet, ac nudat humeros turpe mancipium
ad domini flagra.
præcedit, vt eius possint inspici manus
catenis retro deuinctæ,
quas mortua innexuit vita.
qui vicit, ei eripuit falcem,
vt sibi demeteret gloriam.
At communis hostis iussus est ire
ante Ducis pedes;
nempe his ante protritus.
tota denique pompa infertur Cœlo,
præter mortem, & mortis auctorem.
nunquam magis mirandum spectaculum datum;
nam decretus est Imperatori triumphus,
quia cecidit,
decretus est honor ob probra,
salutis nuncupatur assertor
ob accepta vulnera.
sed quàm tenero eum amore dimisit tellus!
quippè visa est in ceram penè liquescere,
vbi mollito solo vestigia decedentis excepit.
cum ille mortem obijt, effregit saxa,
cum abijt rediuiuus, emollijt.
nobilior calçatus, quàm si titulo lapis erectus.
non nisi candida dies signandus est nota,
quem Cœlites amictu cohonestarunt candido,
etiam cum atram prædicerent diem
eo habitu redituri Iudicis.
nouum horum magisterium, & præclarum fuit;
nempe docuere mortales,
etiam in hilaritate pallescere:
scilicet vtrinque timendum est Numinis fulmen,
vel quia euehitur more aquilæ,
vel quia inuehitur nube.

CHRI-

CHRISTVS
e Cœlo .ſ. demittens Spiritum.

Synop. *Expenditur modus, quo diuinum Numen afflauit ſuos, lingua videlicet ſpecie, eiuſq; ignea; tum concitato ingenti fragore per aura afflantis impulſum.*

ENCOMION 431.

Hæſitat omnis lingua mortalium
inter diuinas:
nec tamen fas eſt ſilere,
vbi pro munere datur lingua,
cuius admiranda vis eſt;
nam cum ſecta ſit in partes,
vnum loquitur Numen;
vt ſimplicis faciat veritatis nuncios,
facit bilingues,
ſed qui angues calcent trilingues.
ambit lingua capita ſimul, & lambit;
ambit vt coronet; lambit, vt formet.
At cur ignis, cui æther eſt ſedes,
antefertætheri terras?
nempe vbi Deus amore ardens eſt viſus in terris,
etiam ignis nouo pondere fertur ad ima,
qui ſemper appetit ſumma:
ſed eos, in quos decidit, attollit.
rem indignam; vt lymphati mero notantur,
qui communem notam eluturi ſunt lympha;
ſonitu, & fragore cœleſti
incitantur ad prælium,
ſed adepturi nece victoriam.
ille qui afflat, ſpiritus
vel bellatorum, vel præconum inflat tubas.
vaſta enauigaturi maria,

vt velificari felicius possint,
abundè secum ferunt auram.
fit cum igne fragor, vt igneo tonent ore.
maximo afflantur spiritu vitæ,
vt præclaræ deuoti morti
sponte magnam efflent animam.
Amor est is, qui gestat facem,
tametsi nudus Amor non est,
siquidem ideò dicitur missus,
vt virtute induat suos;
tot aurea simulacrorum spolia
hoc direpta sunt Duce;
tot centimani Erebi gigantes
vno hoc deiecti sunt digito.
subiectum sibi terrarum Orbem
hic mensus est digitus,
sed immensus est Numine.
indixit hic digitus silentium Dijs;
cum diuina hæc occœpit eloqui lingua,
factus est vel Hermes elinguis,
aurea catena oris cessit in vinculum.
At is linguam hanc largitur dulcem,
qui suam ab hoste infectam habuit felle.
talia pro amaris ab amore redduntur.
cœleste propinat merum,
cui propinatum est acetum.
inuicto robore obarmat suos,
qui viribus exarmatus occubuit.
quin etiam heros ille, qui apud ignem
ancillam timens, eiurauerat Deum,
nunc eundem, morte posthabita,
prodit gentium dominæ Romæ.
redardescit hoc igne de Cœlo
quæ humi apud ignem refrixerat fides.

MA-

MAGNA DEI MATER
Concepta sine labe

Synop. *Alluditur ad illud. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram &c. ostenditur non decuisse futuram Dei matrem primigēia labe infici, idq; varijs rerum imaginibus adumbratur.*

ENCOMION 432.

Scilicet & magna Dei parens intereat à paricida?
pœnas luat eius labis, quam partu eluet?
vmbram subeat infelicis arboris,
quæ feliciter obumbrabitur Numine?
at prior est gratia floris, quàm austeritas pomi.
infectænè veneno venæ reficient Deum?
ante illa seruiat Inferis, quàm imperet Superis?
captiua nè olim, vtero capiet Deum?
non ante vitam pariat, quàm pereat?
immò careat omnino macula,
quæ ante maculosam Lunam fuit præstituta concepta.
nesciat pondus, quia nondum terra librata pōderibus.
non iugulet illam hostis;
quia nondum rigebat in aciem ferrum.
non sentiat anguis morsum,
quia nondum hic se contorserat vafer in spiras.
procliuis non sit, ac præceps in ima,
quia nullæ montium decliuitates in valles:
commune non patiatur naufragium,
nondum diffuso cum euripis Oceano.
Circumdet hāc tutela Deus, antequam pelagus vallo.
fulminis non ardeat ictu, nondum concretis nubibus.
illudat hosti, quæ lusit in orbe terrarum.
collum, quod simile dicitur præcelsæ regiæ turri,
nulla vis curuare poterit iugo.
Tumeat hæc non veneno, sed Deo,

vte;

vterum implente.
non grauiter spirantis hydri
afflata est halitu,
sed leniter aspirante Numine.
Prou. 5. meritò cerua dicta est gratiarum,
vel quia venatorem elusit celerior fuga,
vel quia nobis infestum elisit anguem.
nec viuax modò cerua dicenda,
sed parens vitæ.
non modò non timuit sibila serpentis,
sed egit, vt victus exsibilaretur à nobis.
nondum ipsa presserat humi pedem,
cum illius tumidum oppressit caput.
ducta non est in triumpho captiua,
quæ nunquam in se experta est bellum.
manus non constrictæ sunt vinclis,
quarum amplexu adstrictus est Deus.
communi non arsit in rogo,
quæ caruit fomite.
non felici exulauit horto,
in qua deliciæ perennant hortenses.
si sublimis hæc dicitur palma,
non succubuit ponderi culpæ.
si obsignatus est fons diuinitùs,
non vndas Cocytus immiscuit suas.
quid magnum egisset, cum obtulit Deo
ancillare obsequium,
si antea tyranno seruijsset Stygio?
dici illa cum parente non debet exlex,
ex qua ortus est Legifer.
non eam Deus subiecit fatali decreto,
cui se subiecturus erat sponte parendo.
denique non debet videri rea,
quæ penè visa est Dea.

MA-

MARIA VIRGO recens nata.

Synop. *Quanta ex eius ortu lętitię seges exiſtat, oſtenditur, & quàm aptè in diuinis literis varijs argumentis, ac natura inſignibus eius dignitas, ac decus exprimatur.*

ENCOMION 433.

Editur in lucem puella editura lucem,
immò fontem ipſum lucis.
incipit communem hanc haurire auram,
at non communiter, mox afflanda diuinitùs. *Ex Lucret.*
accipit vitæ lampada,
quam tradat mortalibus, vt viuant.
labitur ex vtero, ſed ſine labe;
candidior eſt ipſo lacte, quod ſugit.
nondum numerat paſſus,
& iam metam attigit laudum:
paruula penè repit domi,
ſed ad ipſam nunquam arrepſit anguis;
immò cum nondum pede terram tereret,
anguem obtriuit:
cum ille, hac premente, ſibilum dedit,
indixit ſibi ipſi ſilentium,
ne vocem armaret ad fraudes.
dum illum calcando vexat, ac torquet,
cogit expirare ſpiris intortum.
vix hæc ingreditur terras,
& iam ſupergreditur Cœlum.
Illæ, quæ cingunt faſciæ, inaugurant Reginam.
Inſignia ea ſunt imperij, non infantiæ.
omnes deliciæ Naturæ, vel decora
crepundia ſunt naſcentis.
quippe rubeſcit in roſa,

at non erubescit à labe.
Hierecuntina dicitur rosa,
at non obnoxia ruinis
nec eius vrbis, nec orbis.
est in illa lilij candor, at non languor;
instar Auroræ surgit
Homerus: roseis non digitis modò, sed genis,
rubicunda pudore, non probro.
Quid eius illustrius natali, vel dignius,
Apocal. quæ pro fascijs induit Solem?
qui omnia detegit radijs,
hanc tegit luce.
nondum firmatæ sunt plantæ,
cum insistit in Lunam.
quàm augusto editur partu,
quæ obstetricem Lucinam subijcit pedibus?
nulla hæc inficitur labe,
cui maculosa subiacet Luna.
euasit & ex aucupis maculis,
vt ipsi in prædam obtingeret Deus.
prorsus cœleste prodigium,
quia caput cingit astris,
quæ discussit, non intulit noctem:
hic tantùm conueniunt astra cum Sole;
quia non parentant Soli cadenti.
dum hanc ornant, latere non possunt;
quia nihil in ipsa non conspicuum.
quàm serena illa frons emicat,
quam ambiunt sine nube sidera?
quàm pulchrè intermicant ocelli,
in quos inhiant tot Cœli oculi?
vix attigit lucem, cum tota collucet.
sed (mirum) tunc vberiùs implebitur lumine;
cum inumbrabitur numine.

MA-

MARIA VIRGO
Templo se sistens

Synop. *Singularis eius pietas ostenditur, quæ à tenera ætate se Deo dicarit: tum sanctissimi illius delubri, apud quod excubabat, ornamenta, adumbrationes quadam fuisse dicuntur ipsius gloriæ.*

ENCOMION 434.

Non amat domum puella, sed stadium.
primus vitæ cursus è cunis ad aram.
fastigium pietatis tenebat,
cum scandere cœpit gradus.
non tàm ipsa veneratur aram,
quàm ara ipsam,
licet demolienda per Virginem,
vt pro vna excitentur multæ.
inter victimas læta versatur,
quarum mox abolebit vsum,
vt vna litetur egregia,
quam ipsa sufficiet.
cum hac facient, illę deficient:
nullum delubro munus illatum est maius,
quàm hæc paruula,
immò maior ipso delubro.
concepit hæc quem capere locus nequit.
quin etiam omnia eius delubri decora
huius argumenta sunt Virginis.
se ipsam in eo contemplari licuit:
nempe quadriformes illi Cœlitum vultus
in hanc conuersi sunt vnam;
tot induerunt vultus,
vt hanc vndique circumspectarent auidius;
tametsi Aquilæ hebetata sunt lumina.
Bos illi auspicium fecit

amplæ gloriæ meſſis;
Leo imperij;
prorſus obſtupuit Hominis vultus;
cum vidit incedentem penè Deam.
at illa, quæ abſque humore euiruit, virga,
huic illibatum debet florem,
mutuata eſt decus virga de Virgine.
illud in aurea vrna repoſitum nectar,
ſine hac fuiſſet inſuaue:
quod tandiù non extabuerit,
huic refert acceptum.
vide Exod. at redimita coronis aureis menſa
huic regias parabat dapes
altrici futuræ mortalium, quia aluit Deum;
iccircò æneo mari tot appenſa ſunt ſpecula,
vt plura eſſent, quæ referrent hanc Virginem.
ipſi quoque ſacer lychnuchus ardebat,
à qua accipiebat lumen,
etiam antequam ederetur in lucem.
mirum dictu. lychnuchus ideò clarè fulgebat,
quia huius vmbra.
expreſſæ in eo ſcyphorum formæ
referebant hanc ſobriam.
tametſi Deo ebriam:
pallebant illic in auro lilia,
ſed nullus huic pallor à metu,
quia tutus candor à labe.
quod ex ijs adytis edebatur oraculum,
hanc præcinuit.
at cum iam habuit, ſiluit.
quamquam tunc cœpit omnium linguis dici verum,
cum obmutuit;
tunc cortina illa ſe aperuit clarius;
cum hæc Virgo ſe obnupſit flammeo.

MA-

MARIA VIRGO concipiens Christum.

Synop. *Ostenditur magnitudo facti; cum videlicet Deus in eius vtero nostrā accepit formā illæso pudore, obumbrante ipsam numine, cuius opera conceptus ille diuinus extitit.*

ENCOMION 435.

Quicquid est in maiestate naturæ
videri cœpit minimum,
cum eius auctor in terris visus est paruus:
immò nihil potest dici tàm amplum,
quàm in arctum coacta diuinitas,
vt latius expatiaretur Amor.
Nouum fœcunditatis genus, & mirum,
quo virgo fit grauida,
nec quisquam est pudori grauis.
nunc primùm acceptis insignibus regni
pudor rubescit in purpura,
dum verecunda virgo fit mater.
turbatur puella magnitudine honoris,
non perturbatur dedecoris nota:
auriflui more fluminis
quod tunc maximè latentes promit opes,
cum turbatur ab aura;
scilicet spirat & hic ab Austro Deus,
pallor hic fulgor est auri.
Apiculæ instar castæ, defendit fauum,
aluus cessit in aluear;
non Virgo defloruit ex fructu,
quia & fructus ipse flos est.
frutex germinauit ex horto non consito,
quia Deo insitus.
Non mittitur Iris nuncia,

ne promissi ludatur Virgo
colore vano:
nusquam tamen opportunius esset locus
Thaumantiæ nomini,
quàm in hoc opere,
quod maximè omnium est admirandum.
tunc in terris siccatæ sunt lacrymæ,
cum supernè torauit Cœlum:
ex rore surgentis Auroræ
concreuit in concha vnio,
vbi Deus & homo coit in vnum.
labitur in hanc Deus,
vt mortalitati labanti succurrat:
tunc nox cum tenebris cessit,
cum hæc obumbrata est:
tecta simul est; & protecta virginitas.
euanuerunt veterum vmbræ sacrorum
sacratiore vmbraculo Numinis:
quæ fuerat tantùm adumbrata religio
absolutam transijt in imaginem.
traxit vltimam Deus amoris lineam;
cum lineamenta desumpsit nostra.
noua vis auræ aspirauit, & mira,
quia turgida non fecit vela,
tunc cum potentior:
nempe afflatur Virgo, nec inflatur;
fert Deum, nec effertur:
dum audit se magnam Dei matrem,
tumet à numine, non ex nomine.
immò vt detumesceret hominum fastus;
venter intumuit Deo.
mirum decus; cum hæc inaudito prodigio
minore forma Deum protulit ex se,
visa maior est se.

MA

MARIA VIRGO
Inuisens Elisabetham

Synop. *Expenditur eius officiosa pietas in cognatam. tum infantis in vtero exilientis gaudium, cum ad aures accidit vox salutantis, non sine magnarum rerum argumento.*

ENCOMION 436.

Nunc maximè officiosa sit Eloquentia
in magnam Dei parentem,
cum ipsa certat officijs
cognatam inuisens suam.
fœcunda sit oratio laudum,
vbi insignis prærogatiua fœcunditas est
vel in vetula, vel in Virgine.
latum excurrat orator in campum,
dum hæc procurrit in montem.
gaudeat ille sublimi verborum ambitu,
dum hæc culmina Iudeæ ambit.
mira res: quę se abiectam dixit ancillam,
contendit ad summa,
tum cum Deus ad ima descenderat;
decliuis in se, amat accliuia:
vbi est obumbrata diuinitùs,
prodit in Solem:
cum Deus latuit, ipsa se protulit.
cum sit grauida, fit leuior,
nempe honore affecta, non onere.
vbi ab Aligero accepit nuncium,
alas & ipsa induit ad cursum:
verè dictum, nullas esse in Amore moras.
aura numinis, quæ ipsam afflauit,
incitauit vt curreret.
Nunquam hæc leuior fuit,

quàm

quàm inter beneficiorum pondera:
ſuperat montium ſaltus,
vt cognatæ infans in vtero ſaltet:
Vox exultat ad vocem:
nemo vnquam aptius dixit ſalutem,
quàm hæc, quæ attulit:
ſoluit infans incluſus pedes ad numerum,
vt accurrat ad immenſum.
choreas agit in orbem,
vt conditori plaudat orbis.
toto ſe corpuſculo librat,
vt ſua lance beneficium pendat.
quàm hæc Virgo fuit immunis à labe,
cuius aſpectu eluitur labes?
quanto hæc cum imperio regnat,
quæ ſoluit voce captiuum?
ſi tanta vis eſt in blando ſermone,
regia quid facient iuſſa?
ſi vetus anguis languet ore percuſſus,
quid cum pede protritus?
quid hac diuinius puella,
quæ non ſolum ipſa edit oracula,
ſed anum efficit vatem;
vaticinatur anus, at non aniliter:
libat oſcula, ſed illibatæ.
dum virginem ſtringit amplexu,
ſuum ſoluit infantem vinculo.
nunquam anus tanta eſt quiete perfuſa,
quàm cum nouos intra ſe ſenſit motus.
& ipſa quàm digna præconio,
cuius in vtero exilijt præco?
qui cum ad huc geſtaretur, geſtijt:
ante cœpit tuba clangere viriliter,
quàm ore vagire pueriliter.

MA-

MARIA VIRGO
ritè lustrata.

Synop. *Quàm aptè, dùm lustraretur, columbas pro munere in templum attulerit, ostenditur: tum Simeonis vaticinatio expenditur de arcano gladio, quo erat illa transfodienda.*

ENCOMION 437.

Omnia dicendi adhibenda sunt lumina;
vbi præclara Dei Mater laudatur
inter lucidas tædas:
Nestoreo manet oratio melle;
inter solemnes illius ceras.
quanta sit oportet sermonis puritas;
vbi lustratur Virgo?
etsi nec illustrius quicquam est ipsa, nec purius.
in delubrum cum columbis ingreditur,
etsi per ipsam gemere desijmus.
siluerunt fatidicæ Dodonæ columbæ,
cum hæ sunt illatæ
inter oracula non vana, sed vera.
senis ore infans proditur Deus,
nutant labra, non fides:
trepidant manus, ac penè succumbunt;
non tàm ætatis languore,
quàm maiestatis pondere.
dum albescens verenda canitie;
tam dulciter vltimum accinit carmen;
album præ se fert olorem.
inter votiuas columbas, & cygnos
vtrinque candore certatur.
solui vult corpore,
vbi coniunctum vidit corpori Deum:
satis se vixisse putauit,

vbi

vbi eum complexus est amanter;
per quem tandiù vixit:
satis vixit, qui potitus est vita.
inuidenda planè mors senis,
qui non ante potuit mori,
quàm domitorem cerneret mortis.
quid mirum, quòd timere desierit mortem,
vbi tenuit vitam?
referbuit calor in sene,
vbi fouit amantem sinu.
at hoc mirum, quòd longæuus tractat gladium:
adest trepidus senio, sed firmus oraculo;
vulnerat ore, non manu.
quid hoc? dum salutis gestat auctorem,
ferit oraculo matrem?
versatur Amor inter vulnera,
bellator antequam tiro.
ferit, sed in promptu sunt nati fasciæ;
defuit lictor, at non defuit dolor,
nec tamen obduruit dolens mater in marmor,
ne videretur votis surda mortalium.
non erat in filij morte frangenda,
vt cetera tunc fracta sunt saxa,
quæ in eius ortu fuerat integra.
noluit filius in ceruices, quas strinxerat aureas,
immane distringi ferrum:
iugulanda illa non fuit,
per quam abiecimus iugum.
si candidæ fuissent sectæ ceruices;
vt nonnullis accidit, lacte fluxissent;
at non debuit illud lac satiare barbariem,
quod satiauerat Deum:
scilicet collo, è quo tàm pependit gratè,
non nisi solam rependit gratiam.

MA

MARIA VIRGO
in Cœlum assumpta.

Synop. *Ostenditur quàm congruenter, ac dignè supra Cælum sit euecta vnà cum corpore, tum per singulos orbes transitus describitur, quos omnes praeteruecta est digna altiore solio.*

ENCOMION 438.

Mira planè Virgo: ideo non abijt in cinerem,
quia eum peperit, qui dictus est consumens ignis.
sed nefas fuit, eam fœdari puluere,
per cuius filium primò animatus est puluis;
carere par erat etiam vltimis sordibus lethi,
quæ prima caruit labe.
diffingi non debuit morte,
per quam refecti sumus vita.
non huius inferatur tumulo terra leuis,
aliorum more mortalium,
quæ leuior ventorum alis
sublimis effertur è terra.
meritò Lunam infra se habeat,
quæ in se maculam habuit nullam.
Lucinam sub se reliquit,
quæ cum peperit, obstetrice non eguit:
nunquam Mercurij sidus tam apparuit paruum,
quàm cum eò penetrauit Cœlitum maxima;
desipere visa est vnà cum illo Græcia,
cum recepta est Cœlo veri magistra.
nunquam hæc venustior incessit,
quàm cum Venerem subiecit pedi virgineo.
at cum in Solis orbe lucidissimo fuit,
tanquam in vestiario fuit,
Sol purpuream cessit in pallam.
à Marte se sustulit, quæ attulit pacem.

ſupergreſſa regiam Iouis ſtellam,
& ſceptrum illi extorſit, & fulmen.
At deſes, ac pigra ſtella Saturni
commune cum hac nihil agnouit,
præter ſeculum verè aureum.
mox vbi in orbem eſt inuecta ſtellatum,
aſtra non ei fatua texuerunt fata, ſed ſerta,
cum auguſtum coronarunt caput:
non tamen hæc conſedit inter aſtra Virgo,
ne ſeueram geſtaret libram,
quæ gaudet ſola pietate.
noluit cum Sagittario eſſe, ne feriat.
altior abijt dracone,
quæ antiqui contriuerat caput.
in cathedra Caſſiopeæ non ſedit,
ne poſtea vnà cum nouo euaneſceret ſidere.
cum huius pedibus calcata ſunt aſtra,
deſierunt diuino ſuperbire de cultu.
neque conſcendens conſtitit in orbe cryſtallino,
ne ideò videretur maior, & grandior,
quia intra cryſtallum poſita.
nec in eo, quem vocant trepidationis, orbe,
quippe quæ ſpei dux trepidare nos vetat.
ſummo ipſo orbe menſore diei
ſublimius euolauit,
ne videretur verſari cum tempore,
cum ipſius vbere alatur æternitas.
Tandem auguſto ſedit in throno,
quæ erat ipſa Numinis thronus:
quantum fas ſinit, proxima aſſedit Deo;
niſi adſtans hic emineret maior,
vix illa videretur minor.
non licet ipſi per naturam ſe conferre cum Deo:
at licuit ſupra naturam ferre vtero Deum.

LAVS DEO, EIVSQ; MATRI V.

Nomina Cœlitum, quorum sunt Encomia.

A

s. Almachius m. 1. Ian.
s. Andreas Episc. 6. Ian.
s. Arcadius m. 12. Ian.
s. Antonius Abb. 17. Ian.
s. Agnes v. m. 21. Ian.
s. Alexander m. 30. Ian.
s. Agatha v. m. 5. Febr.
s. Apollonia v. 9. Febr.
s. Auxibius Ep. 19. Febr.
s. Aristion 22. Febr.
s. Arianus m. 8. Martij.
s. Aedesius m. 8. April.
s. Anicetus Papa 17. Ap.
s. Anselmus Ep. 21. Ap.
s. Anthimus Ep. 27. Apr.
s. Athanasius Ep. 2. Maij
s. Alexander Pap. 3. Maij
s. Antonius Pad. 13. Iun.
s. Auitus 17. Iunij.
s. Albanus m. 21. Iun.
s. Anatolius Episc. 3. Iulij
s. Anatolia m. 9. Iulij.
s. Anacletus Pap. 13 Iul.
s. Antiochus m. 15. Iulij.
s. Athenogenes 16. Iulij.
s. Alexius 17. Iulij.
s. Apollinar. Ep. 27. Iulij.
s. Abdon m. 30. Iulij.
s. Aspren Episc. 3. Aug.
s. Albertus 7. Augusti.
s. Athanasia 14. Aug.
s. Arnulphus 15. Aug.
s. Agapitus m. 17. Aug.
s. Alexander m. 20. Aug.
s. August. Ep. 28. Aug.
s. Adauctus m. 30. Aug.
s. Aegidius 1. Septemb.
s. Adrianus m. 8. Sept.
s. Andreas m. 17. Octob.
s. Aquilinus Ep. 19. Oct.
s. Artemius m. 20. Octob.
s. Abercius Ep. 22. Octob.
s. Agricola m. 4. Nouem.
s. Amantius Ep. 4. Nou.
s. Andreas Ap. 30. Nou.
s. Ambrosius Episc. 7. Dec.
s. Alexander m. 12. Dec.
s. Agnellus Abb. 14. Dec.
s. Albina v. m. 16. Dec.
s. Auxentius Ep. 18. Dec.
s. Anastasia v. m. 25. Dec.

B

s. Basilissa m. 19. Ianuar.
s. Blasius Episc. 3. Febr.
s. Benedictus 21. Martij.
s. Balbina v. 31 Martij.
s. Bonifacius m. 14. Maij.
s. Bernardinus 20. Maij.
s. Bonifac. Episc. 5. Iun.
s. Barnabas 11. Iunij.
s. Basilides m. 12. Iunij.
s. Basilius Ep. 14. Iunij.
s. Basilides m. 30. Iunij.
s. Bonauentura 14. Iulij.
s. Bernardus 20. Aug.
s. Barthol. Ap. 24. Aug.
s. Bruno 6. Octobr.
s. Bacchus m. 7. Octobr.
s. Barlaam m. 19. Nou.
s. Birinus Episc. 3. Dec.
s. Barbara v. m. 4. Dec.
s. Barbatian. m. 31. Dec.

C

s. Cōcordius m. 1. Dee.
s. Clemens Episc. 23. Ian.
S. Cyrus m. 31. Ian.
s. Cornelius cent. 1. Feb.
s. Celerinus m. 3. Feb.
s. Ceadda Episc. 2. Mart.
s. Chunegundis Imperat. 3. Martij.
s. Chelidonius m. 3. Mar.
s. Casimirus 4. Martij.
s. Conon. m. 6. Martij.
s. Codratus m. 10. Mart.
s. Catharin. v. 22. Mart.
s. Calliopius m. 7. April.
s. Cathar. v. Sen. 30. Apr.
s. Cataldus Epi. 10. Maij.
s. Cantius 31. Maij.
s. Cantianus m. 31. Maij.
s. Cātianilla m. 31. Maij.
s. Clotildis Reg. 3. Iunij.
s. Christina v. m. 24. Iulij
s. Christoph. m. 25. Iulij.
s. Celsus m. 28. Iulij.
s. Cyriacus m. 8. Aug.
s. Clara v. 12. Aug.
s. Caesarius Ep. 27 Aug.
s. Cornel. Papa 14. Sept.
s. Cyprianus Ep. 14. Sep.
s. Cosmas m 27. Sept.
s. Colomann. m. 13. Octob.
s. Callist. Papa 14. Octob.
ss. Crispinus, & Crispinianus 23. Octobr.
s. Chrysāthus m. 25. Oct.
ss. Caelites omnes 1. Nou.
s. Carolus Borr. 4. Nou.
s. Colūbanus 2. Nouemb.
s. Cecilia v. m. 22. Nou.
s. Clemens Pap. 23 Nou.
s. Chrysog. m. 24 Nou.
s. Cathar. v. m 25. Nou.
s. Christina 15. Decemb.
s. Colūba v. m. 31. Dec.

D

s. Dorothea v. m. 6. Febr.
ss. Duo Martyres 14. Mar.

† s. Dympna

s.*Dympna v.m.*15.*Maii.*
s.*Desiderius Ep.*23.*Maii*
s.*Donatianus m* 24.*Maii*
s.*Dominicus* 4.*Aug.*
s.*Donatus Ep.*7.*Aug.*
s.*Damianus m.*27.*Sept.*
s.*Demetrius m.* 8.*Octob.*
s *Dionysius* 9. *Octob.*
s.*Daria m.* 25.*Octob.*
s.*Damasus Pap.* 11.*Dec.*

E

s.*Euphrosina v.* 1.*Ian.*
s.*Eucherius Ep.* 20 *Feb.*
s.*Eulogius Ep.* 11. *Mar.*
s.*Euphrasia v.*13.*Mart.*
s *Eduardus Rex* 18. *Martii.*
s.*Eustasius Ab.* 29.*Mar.*
s.*Eupsychius m.*9.*April.*
s.*Eleutherius m.*18.*Apr.*
s.*Epimachus m.* 10.*Maii*
s.*Eleutherius Papa* 26. *Maii.*
s.*Erasmus Ep.*2.*Iunii.*
s *Ediltrudis Reg.* 23. *Iunii.*
S.Euseb. Ep.m.1.Aug.
s.*Egidius Ep.*2.*Sept.*
s.*Eudoxius m.*5.*Sept.*
s.*Eleutherius Ab.*6.*Sept.*
s.*Euortius Epi.*7.*Sept.*
s.*Euphemia v.* 16.*Sept.*
s.*Eustachius m.*20.*Sept.*
s.*Euaristus Pap.* 26. *Oct.*
s.*Elesboam Rex* 27. *Oct.*
s.*Emericus* 4.*Nouemb.*
s.*Edmūdus Ep.*16.*Nou.*
s.*Elisabetha* 19. *Nou.*
s.*Edmūdus Rex* 20.*Nou.*
s.*Eligius Ep.* 1. *Dec.*
s.*Eulalia v.m.* 10.*Dec.*
s.*Epimachus m.* 12.*Dec.*

F

s.*Fulgentius Ep.*1.*Ian.*
s.*Felix m.* 14. *Ian.*
s.*Faustinus m.*15.*Feb.*
s.*Felix Papa* 25.*Feb.*
s.*Francisca* 9. *Martii.*
s *Frumētius m* 23.*Mar.*
s *Franciscus Paul.* 2.*Ap.*
s.*Flauia Dom* 12.*Maii.*
s.*Felix Pap.*30.*Maii.*
s.*Felicianus m.*9.*Iunii.*
s.*Felix m.*30 *Aug.*
s.*Ferreolus m.*18.*Sept.*
s.*Franciscus Assis.*4.*Oct.*
s.*Felix Ep.* 24.*Octob.*
s.*Florentius Ep.* 7.*Nou.*
s.*Franciscus Xau.*2.*Dec.*

G

s.*Genouefa v.* 3. *Ian.*
s.*Guilielmus* 10.*Feb.*
s.*Gregorius m. Papa* 12. *Martii.*
s.*Guilielmus* 6.*April.*
s.*Georgius m.*23.*Apr.*
s.*Gregorius Naz.*9.*Maii*
s.*Gordianus m.*10 *Maii.*
s.*Germanus Ep.*28.*Maii*
s.*Geruasius m.* 19.*Iunii.*
s.*Goar Episc.* 6.*Iulii.*
s.*Gorgonius m.* 9.*Sept.*
s.*Gudelia m.*29.*Sept.*
s.*Gerardus* 3.*Octob.*
s.*Gereon m.*10.*Oct.*
s.*Gummarus* 11.*Octob.*
s.*Gallus* 16.*Octobr.*
s.*Galaction m.*5.*Nou.*
s.*Gregorius Thaumat.* 17.*Nouemb.*
s.*Gregorius III.Papa* 28.*Nouemb.*
s.*Gorgonia* 9.*Decemb.*
s.*Gregorius Ep.*24 *Dec.*

H

s.*Hilarius Ep.*13.*Ian.*
s.*Hemiterius m.* 3.*Mar.*
s.*Hilarius m.* 16.*Mar.*
s.*Hugo Episc.*2.*April.*
s.*Hermenegildus m.* 13. *April.*
s.*Hospitius* 21.*Maii.*
s.*Hippolytus m.*13.*Aug.*
s.*Hyacinthus* 16.*Aug.*
s.*Helena* 18.*Aug.*
s.*Hyacinthus m.*11.*Sep.*
s.*Herculanus m.*25.*Sep.*
s.*Hieronymus* 30. *Sept.*
s.*Hilarius Abb.* 21. *Oct.*
s.*Homobonus* 13.*Nou.*

I

s *Iulianus m.* 9.*Ian.*
s.*Io. Chrysostomus Epis.* 27.*Ianuarii.*
s.*Iacobus Erem.* 28.*Ian.*
s *Ignatius m.* 1.*Febr.*
s.*Ionita m.*15.*Febr.*
s.*Iuliana v.m.* 16.*Feb.*
s *Ioseph* 19.*Martii.*
s *Iacobus Ap.*1.*Maii.*
s.*Io.Damascen.* 6.*Maii.*
s.*Io.Silētiarius* 13 *Maii*
s.*Ioannes Pap.* 27.*Maii.*
s *Io.Bapt.nasc.*24.*Iunii.*
s.*Ioannes m.* 26.*Iunii.*
s *Io.Gualbertus* 12.*Iulii*
s.*Iusta m.* 19.*Iulii.*
s.*Ignat. Loiola* 31.*Iulii.*
s.*Io.Bapt. occis.* 29.*Aug.*
s.*Iunētius Episc.*12.*Sep.*
s.*Ianuarius Ep.*19.*Sept.*
s.*Iustina m.*26.*Sept.*
s.*Iudas Apost.* 28.*Octob.*
s.*Ioānes Apost.* 27.*Dec.*
ss.*Innocētes* 28. *Decem.*

s.*Lu-*

L

s. Lucianus m. 7. Ian.
s. Leobardus 18. Ianuar.
s. Lazarus Mon. 23. Feb.
s. Leander Epi. 27. Febr.
s. Lucius Papa 4. Martij.
s. Latro bonus 25. Mart.
s. Lugdernus Ep. 26. Mar.
s. Leo Papa 11. Aprilis.
s. Liphardus 3. Iunij.
s. Lutgardis v. 16. Iunij.
s. Leo Papa 28. Iunij.
s. Largus m. 8. Augusti.
s. Laurētius m. 10. Aug.
s. Ludouicus Ep. 19. Aug.
s. Ludouicus Rex 25. Au.
s. Lambertus Ep. 17. Sep.
s. Linus Papa 23. Sept.
s. Leodegarius Ep 2. Oct.
s. Lucas Euang. 18. Oct.
s. Leonardus 6. Nouemb.
s. Laurētius Ep. 14. Nou.
s. Leopoldus 15. Nou.
s. Lucia v. m. 13. Dec.
s. Lazarus 17 Decemb.

M

s. Martina v. m. 1. Ian.
s. Macar. Alex. 2. Ian.
s. Macarius Aegypt. 15. Ianuarij.
s. Marcell. Pap. 16. Ian.
s. Marius m. 19. Ian.
s. Maurus m. 29. Ian.
s. Marcella 31. Ian.
s. Meletius Ep. 12. Febr.
s. Matthias Ap. 24. Feb.
s. Malch. Ep. 28. Mart.
s. Macarius Antiochen. 10. April.
s. Mucius m. 22. April.
s. Mellitus Ep. 24. Apr.
s. Marcus Euāg. 25. Ap.
s. Marcellus Pa. 26. Apr.
s. Marianus m. 30. Apr.
s. Maxim. Episc. 5. Maij.
s. Michael Arc. 8 Maij.
s. Martyrius 29. Maij.
s. Marcellin. m. 2. Iunij.
s. Medardus Episc. 8. Iun.
s. Margar. Reg. 10. Iun.
s. Marcus m. 18. Iunij.
s. Marcellin. m. 17. Iun.
s. Martialis 30. Iunij.
s. Martinianus m. 2. Iul.
s. Margar. v. m. 20 Iulij.
s. M. Magdal. 22. Iulij.
s. Martha v. 29 Iulii,
s. Mamas m. 17. Aug.
s. Marcellus m. 4. Sept.
s. Maurilius Ep. 13. Sept.
s. Matthæus Ap. 21. Sept.
s. Mauritius m. 22. Sep.
s. Martius 24. Octobr.
s. Marcellus Ep. 1. Nou.
s. Malachias Ep. 3 Nou.
s. Martin. Episc. 11. Nou.
s. Menna m. 11. Nou.
s. Martinus Papa 12. Nouemb.
s. Maxim. Ep. 27. Nou.

N

s. Nicetas Abb. 3. April.
s. Norbertus Ep. 6. Iunii.
s. Nazarius m. 28. Iulii.
s. Nicolaus Tol. 10. Sep.
s. Narcissus Ep. 29. Oct.
s. Nympha m. 19. Nou.
s. Nicolaus Episc. 6. Dec.
s. Nemesius m. 19. Dec.

O

s. Odilo Abb. 1. Ianuarii.
s. Olympiades m. 15. Ap.
s. Onuphrius 12. Iunii.
s. Osuardus Rex 5. Aug.

P

s. Paulus Erem. 10. Ian.
s. Prisca v. m. 18. Ianu.
s. Pontianus m. 19. Ian.
s. Protectus Ep. 25. Ian.
s. Polycarp. Ep. 26. Ian.
s. Papias m. 29. Ianuarii.
s. Paulus Episc. 8. Febr.
s. Polyeuctus m. 13. Feb.
s. Polychron. Ep. 17. Feb.
s. Petrus Damian. 21. Feb.
s. Phocas m. 15. Martii.
s. Patricius Ep. 17. Mar.
s. Pompeius m. 10. Apr.
s. Paternus Ep. 16. Apr.
s. Petrus m. 29. Aprilis.
s. Philippus Ap. 1. Maii.
s. Pelagia v. m 4. Maii.
s. Petrus Celest. 19. Maii.
s. Pamphilus m. 1. Iunii.
s. Petrus m. 2. Iunii.
s. Primus m. 9. Iunii.
s. Paulinus Ep. 22. Iunii.
s. Prosper Ep. 25. Iunii.
s. Paulus m. 26. Iunii.
s. Petrus Apost. 29. Iunii.
s. Paulus Ap. 29. Iunii.
s. Potamiena m. 29 Iunii.
s. Processus m. 2. Iulii.
s. Pantænus 7. Iulii.
s. Procopius m. 8. Iulii.
s. Pius Papa 11. Iulii.
s. Plato m. 22. Iulii.
s. Pantaleon m. 27. Iulii
s. Philibertus 20. Aug.
s. Priuatus 21. Aug.
s. Protus m. 11. Sept.
s. Paphnutius m. 24. Sep.
s. Petronius Ep. 4. Octob.
s. Placidus m. 5. Octob.
s. Pegasius m 2. Nouem.
s. Petrus Ep. 26. Nou.

s. Pata-

s.Patapius m 8.Decēb.
s.Philogonius 20.Dec.

Q

ss.Quadrag.M.9.Mart.
s.Quirinus m.30.Mart.
s.Quirinus m. 4.Iunij.
s.Quintinus m.31.Oct.
ss.Quat.Coron. 8.Nou.

R

s.Rigobertus Ep.4.Ian.
s.Raimundus 7.Ianuarij
s.Rembertus Ep.4.Febr.
s.Romualdus 7.Febr.
s.Romanus Ab. 28.Feb.
s.Rupertus Ep.27.Mart.
s.Rogatian.m.24 Maij.
s.Robertus Abb. 7.Iunij.
s.Ruffina m.19.Iulij.
s.Romanus m.9 Aug.
s.Radegunda 13. Aug.
s.Remigius Ep. 1.Octob.
s.Respicius m.10.Nou.
s.Romanus m. 18.Nou.

S

s.Simeon Stylites 5.Ian.
s.Seuerinus 8.Ianuarij.
s.Sebastianus m.20 Ian.
s.Scholastica v.10.Febr.
s.Saturninus m. 11.Feb.
s.Simeon Episc. 18.Feb.
s.Suitbertus 1.Martij.
s.Simeon m.24 Martij.
s.Sabba m.12.April.
s.Soter Papa 22.April.
s.Stanislaus Ep. 7.Maij.
s.Sisinius m 29.Aug.
s.Siluerius Pap.20.Iun.
s.Samson 27.Iunij.
s.Simeon Sale 1.Iulii.
ss.Septē fratr.m. 10.Iul.
s.Symphorosa m.17.Iun.
s.Symphronius mar. 26. Iulii.
ss.Dormientes 27. Iulii.
s.Sennen. m 30.Iulii.
s.Sophia m. 1.Aug.
s.Stephanus Pap.2.Aug.
s.Smaragdus m 8.Aug.
s.Symphorian.22 Aug.
s.Sidonius 23.Augusti.
s.Seraphia m. 3.Sept.
s.Sofius m. 23.Septemb.
s.Sergius m. 7.Octob.
s.Seuerinus Epi. 23.Oct.
s.Simon.Apost.28.Oct.
s.Saturnin.m.29.Nou.
s.Sabbas Abbas 5.Dec.
s.Spiridion Ep.14.Dec.
s.Steph. Prot. 26.Dec.
s.Sabinus m. 30.Dec.
s.Siluester Pap. 31.Dec.

T

s.Theodosius 11.Ian.
s.Timoth.Ep sc.24.Ian.
s.Thomas Aqu. 7.Mart.
s.Theophanes mart. 12. Martii.
s.Theodulus m. 4.April.
s.Tiburtius m. 14.April.
s.Theodorus Trich. 20. Aprilis.
s.Theodor.Ep.22.April.
s.Theodora v. 27.April.
s.Torpes m. 17.Maii.
s.Tiburtius m. 11.Aug.
s.Teresia v. 15.Octobris.
s.Theodorus m.9.Nou.
s.Triphon m. 20.Nou.
s.Tiberius m.10.Nou.
s.Thomas Ap. 21.Dec.
s.Thomas Epi.29.Dec.

V

s.Vincentius m.22.Ian.
s.Valentinus m. 14.Feb.
s.Victor m.26.Febr.
s.Vulfrannus Episc. 20. Martii.
s.Vincentius Fer.5.Apr.
s.Valerianus m. 14.Apr.
s.Vitalis m.28.April.
s.Vbaldus Ep. 16.Maii.
s.Venantius m.18.Maii.
s.Vrban.Pap.25.Maii.
s.Vitus m 15.Iunii.
s.Vigilius Ep.22.Iunii.
s.Vldaricus Ep.4.Iulii.
s.Victor m.21 Iulii.
s.Valerian.m.15.Sept.
s.Vuenceslaus m.28.Sept.
s.Vulfridus Ep. 12.Oct.
s.Vrsula v.m. 21.Octob.
s.Vitalis m.4.Nouemb.
s.Vuillibro.Ep.7.Nou.
s.Victoria v. 23.Dec.
s.Venustian.m.30.Dec.

X

s.Xystus Papa 6.Aug.

Z

s.Zoe m.5.Iulii.
s.Zenobius m. 30.Octob.
s.Zenobia m.30.Octob.
s.Zeno m.22.Decemb.

FINIS.

Præter Encomia, Fasti multorum aliorum Cœlitum laudationes continent.

